CHRISTOPHORI

SCHEIBLERI

ANTEHAC IN ACADEMIA GISSENA PROFESSORIS ET PÆDAGOGIARCHÆ

LIBER COMMENTARIORUM TOPICORVM

Hoc est,

DE LOCIS SIVE ARGUMENTIS LOGICIS.

Additi sunt duo INDICES, *Alter Capitum, generalium titulorum, & quæstionum, in initio:* Alter *rerum in fine.*

Editio nova correctior.

B.N.C. F.MADAN OXFORD

OXONIÆ,
Excudebat H. HALL. Impensis J. GODWIN, J. ADAMS, & E. FORREST.
M. DC. LIII.

AD LECTOREM.

EXHIBEO tibi nunc, benevole Lector Logici operis mei secundum librum, videlicet hos Topicos Commentarios, in primis quod vides librum, quem pro Logicæ Introductione nuper edidi, de Philosophia, Natura Logicæ & Prædicamentis, avidè te expectasse fuisse, non id quod spero, tuo sine commodo. Cæterum voco hunc librum Commentaria Topica, eo consilio, quod multa huic libro inserui, per occasionem terminorum quæ non tam Logicæ, quam aliarum disciplinarum sunt. Inprimis certè huc ipsis res Metaphysicæ pluri-

[illegible] temperare debui, quod [illegible]

Metaphysicum hanc operam

[illegible]

BODL.
24 DEC 1959
OXFORD

VIRIS

MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS ET

Spectatissimis, Inclytæ ac Imperialis Reipublicæ SPIRENSIS, Dnn. Curatori & Senatoribus,

Dnn. Benefactoribus, Patronis, & Respective Amicis suis plurimum honorandis.

S. P. D.

SIRE recordor, vtri Magnifici, Amplissimi & Spectatissimi, singularis vestræ affectionis, quàm declarastis mihi, cum circa decursum anni sexcentesimi duodecimi vobiscum SPIRÆ ad adeundam uxoriam hæreditatem commorarer Expertus sum in verbis singularem & pluribus vestrûm humanitatem, in splendido, quo me dignari voluistis, convivio beneficentiam, & in omnibus negotiorum meorum partibus, tùm expediendis promptitudinem vestram planè singularem, quando ad ea promovenda etiam extraordinarios Senatus, extra dies consuetos, convocastis, & decimas, ab uxoria hæreditate vestro fisco inferendas, omnes simul remisistis. ergo adeò hoc modo & qualiacunq; mea studia [illegible] Academicam honorare voluistis, imitati hac in re laudatissimum exemplum aliarum Imperii Civitatum, quæ hinc inde viros Academicos hoc beneficii genere ornasse leguntur, prout & eo ipso anno, quo ego hanc vestram liberalitatem expertus sum, Clarissimus Battus Gryphiswal-

idem sibi à Republica Hamburgensium obtigisse, in Epistola ad eandem Dedicatoria, scripsit.

Alia consulto taceo, quæ præterea in me singularem erga Rempubl. vestram amorem excitarunt. Ministerium intelligo Ecclesiasticum, oprimè constitutum, & id quidem per eos, quos magna ex parte mihi singulariter faventes & amicos novi; Gymnasium etiam nouiter prudentissimo consilio erectum, cui similiter præsunt illi, qui mihi inde ab Academica nostra conversatione fuerunt addictissimi; Et quæ aliàs Rempubl, vestram aliis anteferunt, adeò multa, ut his pagellis includit non possint.

Hæc omnia imperârunt mihi, viri omnium officiorum honorarissimi, hoc opusculum meum vobis ut inscriberem, atq; adeò hoc ipso testarer vestrorum officiorum & beneficiorum, benevolentiæ & munificentiæ memoriam adhuc dum apud me esse. Testórq; me eandem semper conservaturum, neq; occasionem dimissurum esse, quâ vicissim grati animi signum, vel vobis, vel filiis, amicis, cognatis vestris, qui vel nunc hic commorantur, vel deinceps commoraturi sunt, pro ratione virium mearum reponere possim. A vobis autem peto, ut hanc meam testificationem boni consulere, præsentem hunc librum meum benevolo affectu suscipere, mihiq; ac meis deinceps etiam favere velitis. Dat. Giessæ, Anna M. DCXIV. Mense Augusti.

V. M. A. & P.

Officiose colens

CHRISTOPHORUS SCHEIBLERUS
Logicæ & Metaphysicæ Professor & Paedagogiarcha.

BIBLIOTHECA

INDEX

Typographus Lectori S. P. D.

SCHEIBLERI *Topicæ* (*Candide Lector*) *nativo suo nitori restitutæ, non sine magno olei & operæ impendio, jam tandem exhibemus. Quisquis es qui in Lyceo, vel foro triumphos agere contendis, opus hoc avidus amplectaris: illuc te ducit* ubi non seclusa aliqua teneatur aquila, (*ut optimè Orator*) sed unde universum flumen erumpat; *quod argumentorum rivulos indeficienti scaturigine, non tantùm ad studentium usum, sed & pœnè luxuriam, liberrimè excurrentes emittit. Hinc rationes subtiliter indagandi, cásque fortiùs contorquendi artem elicias. Sed* bono vino non opus est hederâ. *Authori extra omnem controversiæ aleam erudito non minus abest præconii necessitas, quàm nobis pro dignitate laudandi facultas. Quod ad nos attinet; nec Authori, nec tibi defuimus. Liber, qui præ manibus est, multò quàm antehac fœliciorem* (*absit verbo invidia*) *typorum nactus est obstetricatum. Ut enim cætera taceam, frequentia contextus lumina & gemmæ, Græcæ undique interspersæ sententiæ, antehac vel mutilatæ*

Typographus Lectori.

turpiter proferri, vel ſaltus turbato aſcensuum & integrarum interdum dictionum ordine tenebras contrahere & ſqualorem: transmarinas tamen editiones utcunque mendoſas plerique in cœlum attollunt: in domeſticis verò acrius perſtringendis.

——Et pueri naſum Rhinocerotis habent. *Utinam non plus naſi, quàm frontis, aut cerebri ſuppeteret: naſuti ſcilicet cudirent, non polypoſi. Sumptus tui ergò ſuſceptos æqui boni conſulas. Et negotium ſiquæ exciderint,* (*quod oculatiſſimo contingat.*

——aliquando bonus dormitat Homerus)

Candor eminear, non cenſura.

INDEX

INDEX CAPITUM GENERALIUM Titulorum, & Quæstionum.

Numeris appositus notat numerum marginalem cujusque capitis.

De locis Dialecticis in genere, & eorum classibus.

CAPUT I.

Theoremata. Com. Num.

De voce argumenti. Marg. 1.

De Definitione argumenti. 2

De voce loci Dialectici. 11

De voce ὅρου. 16

De divisione argumentorum. 17

Q. *An loci maximæ etiam pertineant ad primam Logicæ partem?* 18

Q. *An alia sint argumenta præter enumerata in theorematibus?* 23

1. *De loco ab exemplo.* 24

2. *De Relativorum.* 25

3. *De loco ab absurdo, & impossibili.* 26

4. *De loco à necessario, probabili & verisimili.* 27

5. *De loco à generatione & corruptione.* 28

6. *De loco à signo.* 29

7. *De loco positivi & comparativi* 30

8. *De loco ab appositione & adjectione.* 31

9. *De loco ab usibus.* 32

Canones 10. de argumento. 33. *& seqq.*

CAP. II.

De causis in genere.

Theoremata.

De voce causæ. num. marg. 1

Q. *Cujus disciplina sit agere de causis.* 6

Q. *An hæc dividantur in externas & internas?* 14

Q. *De numero causarum.* 27

1. *An una sit causa, nempe efficiens?* ibid.

2. *An instrumentalis causa sit addenda?* 30

3. *An exemplaris causa?* 36

4. *De causâ sine qua non* 61

5. *Probatur quatuor esse causas.* 55

Canones 11. De causis. 59 *& seqq.*

Q. *An principium & causa idem sunt?* 63

CAP. III.

De causâ efficiente.

Theoremata.

I. *De ordine causarum.* Num. marg. 1.

II. *De definitione efficientis.* 2

III. Q. *An efficientis causalitas sit actio?* 6

IV. *De causa procreante & conservante.* 9

Q. *An conservans verè sit efficiens causa?* 10

Q. *An omnis efficiens sit procreans vel conservans?* 14

Q. *An causa corrumpens adjici debeat?* 18

Q. An etiam aliæ causæ conservent. 23
Q. An conservans & procreans sufficienter distinguantur. 24
V. De causa solitaria & socia, 27
Q. An Pater, Filius, & Spir. sint creationis causæ socii. 28
VI. De efficiente principali & instrumentali 33
VII. De agente Naturali 35
VIII. De agente voluntario 37
Q. An Deus sit agens voluntarium 38
Q. An angeli sint agentia voluntaria? 45
Q. An homo 50
Q. An alia præter Deum, angelos & homines. 58
IX. De causis per accidens 65
Q. An detur effectus per accidens? 69
Q. An Deus sit aliquando per causa per accidens 75
Q. Quid requiratur in genere, ut aliquid dicatur causa per accidens? 79
Q. An causa per accidens sit solum in efficiente 80
Q. In modo dicendi sit causa per accidens? 82
De Fortuna 87
De Casu 89
X. De causa Univoca & Æquivoca 91
Q. Cujus causæ sit hæc divisio ib.
Quid sit univoca & æquivoca causa 92
Q. An mus sit causa univoca generans simicam? 93
Q. An Deus gignens sit univoca 94
Q. An sola animantia sint causæ 95
XI. De causa per emanationem, & per transmutationem 96
XII. De causa universali & particulari: prima & secunda 97
Q. An Deus concurrat ad omnes actus causarum particularium? 98
Q. Quomodo Deus concurrat cū causis particularibus? 106
Q. An alia sit causa universalis præter Deum? 113
Q. An causæ secundæ sunt necessariæ? 121
XIII. De efficiente interno & externo 128
Q. An aliqua efficiant possit dici interna 29
Quid externum & internum A 131
XIV. De causa physica & morali. 133
Canones 135. de efficientibus. 135. & seqq.

CAPUT IV.

De Materia

Theoremata
De nomine materiæ 2.
De definitione materiæ. 4
De causalitate materiæ 5
Q. An materia sit causa 6
Q. An omnia entia habeant materiam. 12
An Deus habeat materiam 14
An Angeli habeant materiam 17
An formæ habeant materiam. 24
An accidentia habeant materiam. (25
D. An materia solum sit materia compositi 28
Quæ sit causalitas materiæ 34
De divisionibus materiæ 37

Materia remota vel propinqua. ib.
Immanens vel transiens 38
Sensilis vel intelligibilis 39
Prima vel secunda 41
Physica vel Logica 44
Canones 12. de materia 45 *et seqq.*

CAP. V.
De Forma.

Theoremata 51
De nomine formæ. Num. marg. 1.
De nominibus æquipollentibus 3
De definitione formæ 13
De causalitate formæ 14
An forma sit causa. ibid.
Cujus rei forma sit causa 17
An materia prima sit per formam 24
An forma informans materiam 29
Qua sit forma causalitas. 33
De divisionibus formæ 34
Forma est substantialis vel accidentalis ibid.
An aliqua forma sit substantia. 35
Forma est generica, specifica, vel individua 39
An plures formæ possint esse in eodem composito 41
An forma sit principium individuationis 58
Forma est materialis, vel immaterialis 62
Forma totius vel partis 62
Totalis vel partialis 63
An plures formæ partiales possint esse in eodem composito 64
Forma est assistens vel informans. (69
Metaphysica vel Physica. 70
Canones 16. de forma. 71 *seq.*

CAP. VI.
De Fine.

Theoremata 1
De vnico finali Num. marg. 3
Ejus definitiones 6
Ejus causalitate 8
An finis sit causa 9
An nullum agens agat propter finem 12
An agentia naturalia agant propter finem 14
An Deus semper agat propter finem 19
An malum possit esse finis. 25
An finis necessario sit causa bonum 33
An indifferens possit esse finis 34
An medius possint esse fines 35
An incognitum possit esse finis 37
An non ens possit esse finis. 39
An finis causet in esse reali, an in esse intentionali 49
Quænam causalitas finis 49
De divisionibus finis 50
Est proximus vel remotus ibid.
An bene sic dividatur finis 51
Finis est cujus vel cui 53
An finis sit vere finis 55
An finis sit vere finis 59
Finis est formalis, vel objectivus 62
Finis est indigentiæ, vel assimilationis, 63
An omnia sint propter hominem. 66
Finis est principalis, vel minus principalis. 70
Per se vel per accidens 72
Adæquatus vel inadæquatus 75
Actionis vel rei factæ 46
De mediis. 77

Canones

Canones 11. de fine. 79. & seqq.

CAP. VII.

De effecto

Theoremata

De voce effecti. Num. Cons. 1

Vtra vox melior effecti, an causati?

De specialibus quibusdam effectum vocibus

De materiato

De formato

De finito

An omnis res effecta sit eadem materiata & formata & finita?

An omnis res effecta sit eadem materiata & formata & finita?

An motus doctrinæ pertineat ad Logicam? 22

CAP. VIII.

De subiecto & adjuncto,

Theoremata

De voce subiecti, adiuncti, oppositorum, relatorum. Consequentium.

An subiectum sit argumentum Dei?

De definitione subiecti & adiuncti.

An substantia possint esse adiuncta? 13

An accidentia possint esse subiecta? 24

An non ens possit esse alterius adiunctum? 30

An Deus sit subiectum eorum attributorum, quæ realiter idem sunt cum ipso? 37

An Deus sit subiectum humanitatis? 44

An Locus sit subiectum loci? 59

Tempus sine subiectum, & adiunctum? 63

De divisionibus subiecti & adiuncti 64

I. Subiectum est inhæsionis vel adhæsionis, vel occupans 69

An obiectum recte reseratum ad subiectum? 69

II. Subiectum est proprium vel commune 72

De voce proprii 72

An bene censeantur vulgò 4 modi proprium? 74

De definitione proprii 78

Canones 15. de proprio. quibus tota huius doctrinæ ferè declaratur. 79. seqq.

An propria possint spectare ad subiecta 107

An proprium suscipiat magis & minus? 109

An propria possint argumentari? 125

An uno communicato, communicentur cætera. 140

De adiuncto communi 144

An idem sint Accidens prædicabile & adiunctum commune. 146

An bene definiatur accidens, quod adest & adesse potest, citra subiecti interitum? 147

III. Subiectum in variationis nomine quid? 158

IV. Adjunctum separabile vel inseparabile 162

De objecto & cum divisionibus. 168

An unum sit obiectum partiale in Physicis 171

Canones de subiecto & adiuncto 178 seqq.

CAP. XI.

De antecedentibus & consequentibus

Theoremata
De voce antecedentium & consequentium. Comm. 1.
An locus antecedentis et consequentis sit addendus aliis locis
Canones 3 8. seqq.

CAP. X.

De Connexis.

Theoremata.
De voce Connexorum Com. Num.
An connexorum vocis sit necessaria?
An hæc propositio; si mundus est, videre, & visibile est capax disciplinæ, & sit ex connexis
Canones 3. de connexis. 11

CAP. XI.

De Relatis.

Theoremata
An doctrina de relatorum recte ponatur inter elementa consequentia? Com. Num. 1
De definitione relatorum
Canones 5. de Relatis 15 seqq.

CAP. XII.

De dissentaneis in genere.

Theoremata
De dissentaneorum definitione Com. Num. 1
De eorum distributione
An dissimilia etiam sine dissentaneis
An repugnantia addenda sine aliis dissentaneis? 15
De ordine dissentaneorum 25
Canones 2. de dissentaneis 26

CAP. XIII.

De diversis.

Theoremata
Exempla diversorum varia Com.
De voce diversorum
Ratione differre quid sit? 3
An diversa sint argumenta Logica? 7
An diversa sint. Est hic homo est Theologicus, nemo est Philosophus, 10
An propositiones simplices sint etiam ex diversis
An diversa usum syllogisticum habeant. 16

CAP. XIV.

De oppositis in genere

Theoremata
De voce oppositorum Comm. Num. 1
Definitio oppositorum
An opposita non possint eidem attribui
An opposita recte dividantur in disparata & contraria
Canones de oppositis. 32. seqq

CAP. XV.

De disparatis

Theoremata
Exempla disparatorum varia. Comm. Num. 1
De Etymologia & ambiguitate vocis disparatorum
An disparata sint opposita
An disparata recte definiantur, quod sint duæ aliquæ res vel species oppositæ.
Eorum definitio exponitur.

Canones

Canones 19

CAP. XVI.

De Contrariis in genere

Theoremata
De voce contrariorum. Comment. Num 1.
De definitione eorum. 3
De divisione contrariorum. 9
An divisio contrariorum sit adequata? 13
An divisio ista contrariorum univoca sit? 20
Canones 5. 24 & seqq.

CAP. XVII.

De adversis.

Theoremata.
Definitio adversorum. Comment. Num. 1.
Quibus rebus conveniat contrarietas? 11
An substantia possit esse aliquid contrarium? 12
An quantitati? 26
Q. An calor & frigus, gravitas & levitas sint adversa? 34
An bonum & malum, virtus & vitium sint contraria? 36
Canones 9. de adversis. 39 & seqq.

CAP. XVIII.

De Relative Oppositis.

Theoremata.
De ambiguitate in voce relatorum. Num. 1.
De differentia relati, & relative oppositi. 6
De definitione relative oppositorum. 71
Canones 3. 12

CAP. XIX.

De Contradicentibus.

Theoremata.
De voce contradictionis. Comment. Num. 2
De definitione contradicentium. 3
Q. An contradicentia sint argumen- Logica? 10
Q. An uterque terminus contradicens possit esse affirmativus? 14
Canones 4. 19

CAP. XX.

De privantibus.

Theoremata.
De voce privationis. Comment. Num 4
De definitione privantium. 8
Q. An & quomodo distinguantur privantia & contradicentibus? 11
Q. Privatio Physica & forma, quomodo opponantur? 16
Q. Annon privationes habeant veram & realem entitatem? 34
Canones 15. de privantibus. 39

CAP. XXI.

De Comparatis in genere.

Theoremata.
De voce comparatorum. Num. 1.
De divisione comparatorum per Identitatem & diversitatem
Canones 17. Aristoteles de identitate & diversitate.
De aliis divisionibus comparatorum.
Q. An comparata sufficienter dividantur in paria & imparia, similia

milia & dissimilia? 13
Canones 16. de comparatis. 20

CAP. XXII.

De Comparatis in Quantitate.

Theoremata.
De voce parium & inæqualium Num. 4.
An paritas sit in sola quantitate? 6
Explicatur definitio parium. 9
Canones de paribus. 15
De imparibus. 21
De eorum definitione. 22
De eorum divisione in majora & minora. 24
In quo consistat excessus majorum, & defectus minorum? 25
Canones de imparibus. 27
Canones de comparata Entium Nobilitate. 31
An cælum sit ignobilius quavis re animata? 67

CAP. XXIII.

De Comparatis in qualitate.

Theoremata.
De voce simile. In Comm. Num. 1.
De similium & dissimilium definitione. 5
In qua re sit dissimilitudo? 9
An & quomodo differant similia & paria? 17
An simile dicatur relatione mutua? 19
De Analogia. 24
De Parabola. 31
De loco à translatione. 33
Canones 17. de similibus & dissimilibus. 34

CAP. XXIV.

De argumentis ortis in genere.

Theoremata.
De definitione ortorum. Comment Num. 2.
De proprietatibus ortorum in arguendo 3
De argumentis Nominalibus.
De Nomine. 4
Cujus disciplinæ sit agere de Nomine. 6
An nomina sint argumenta? 8
Canones 3. & 9. & legg.

CAP. XXV.

De Conjugatis.

Theoremata.
Unde dicantur conjugata. Comm. Num. 1.
An conjugata & casus differant? 2
An conjugata recte dicantur argumenta? 3
An pene definiantur conjugata quod sint nomina cognata significatione? 4
An in conjugatis requiratur una deductio ab eodem principio? 10
An conjugata sint etiam illa vocabula quæ eundem sonum & pronunciationem habent? 14
An conjugata sint quæ nullam etiam à principio convenientiam habent? 18
Quid sit abstractum et Concretum? 24
Canones 11. de conjugatis.

CAP. XXVI.

De definitione Nominis.

Theoremata.

An conjugata rectè præponantur Notationi? Com. Num. 1
De nomine Notationis & æquipollentibus. 2
Quæ differat definitio Nominis à reali? 3
Quid differat Etymologia, Logica, & Grammatica? 4
De definitione Notationis. 5
Ex quibus argumentis sumatur Notatio? 6
An exempla haberi possint à propriis? 9
De allusione. 13
Canones 10. de Notatione. 26
De Transumptione. 32
Canones Transumptionis. 37

CAP. XXVII.

De distinctionis Nominis. 37
Theoremata.
An distinctio vocis faciat peculiare argumentum? Com. Num. 1
Quid sint Homonyma? 4
Unde cognoscatur Homonymia? 7
Canones 18. cognoscendæ hujusmodi. 8
Quando & per quos debeat distinctio Nominis? 27
Canones 3. ejus instituendæ. 28

CAP. XXVIII.

De Toto & Partibus. 31
Theoremata.
Ubi in Logicis agi debeat de toto & partibus? Comment. Num. 1.
De voce totum & partium 6
De totius definitione 8
De toto essentiali 9
An materia rectè dicatur pars essentialis? 13
Ad quod est totum Metaphysicum, & sit etiam totum physicum? 17
De toto integrali 27
An partes totius integralis rectè dicantur membra? 31
Totum est similare, vel dissimilare 32
Unde cognoscatur totum similare? 35
An partes dissimilares rectè dicantur officiales? 49
Totum integrale est per se, vel per accidens. 50
Partes totius integralis primariæ, vel minus principales. 54
De voce omne. 55
An genus nullâ dicatur omne respectu speciei? 59
An Deo communia dicuntur omnia? 63
An negationes possint esse genera aut species? 64
Genus est generalissimum, subalternum, & subalterna, vel specialissima? 72
An ens sit genus generalissimum ad omnia substantia & accidentia? 76
An per speciem specialissimam rectè intelligatur individuum? 81
Genus est nomen, vel pertinens 87
Genus est univocum, analogum 90
An detur genus æquivocum? 91
An detur genus analogum? 92
An plura genera possint dari, quæ sint prædicabilia essentialia, & integrale, & universale? 93
De toto perfectivo. 96
De toto potestativo. 98
De toto individuali. 100
De toto secundario 102
Canones 13. de toto & partibus 107

Canones 22 de distinctis
Canones generis
173
Cap. XXIX.
De Distributione.
Theoremata.
De voce divisionis & distributionis 2
De distributione totius essentialis, 3
partium integralium 4
totius universalis. 6
An genus recte distribuatur per differentias? 9
distributionibus secundariis 15
An addenda sit divisio accidentis in accidentia? 16
An addenda sit divisio substantiæ in accidentia? 17
An addenda sit divisio totius? 19
Canones de distribuendi. 20
Cap. XXX.
De Definitione.
Theoremata.
Ubi agendum de definitione Com. 1
An in Metaphysica definitionis fit mentio? 2
An Aristoteles definitionis sit definitor? 7
An Aristoteles de ea inventione primò
& etiam de ea in inventione primò
sit tractandum? 10
An postponenda distinctioni? 16
De voce definitionis 19
De definitione definitionis 21
De definito. 25
Quænam res definiantur, quæ non? 26
An solæ substantiæ possint definiri? 27
An sola species definiatur? 32
An individua non possint perfectè definiri? 34
De partibus definitionis 46
An omnis definitio debeat constare genere & differentia? 49
An omnis definitio constet pluribus? 52
De definitione perfecta & imperfecta 53
An hæc distributio sit sufficiens? 56
An definitiones defectuosæ referri debeant ad perfectas definitiones? 58
De definitione perfecta 64
De definitione imperfecta 65
De varietate in definitionibus substantiarum & accidentium. 66
An non alio modo, ac Aristoteles recensuit, definiri possint accidentia? 73
De viis inveniendi definitionem. 75
De via divisiva. 76
De via compositiva. 81
Canones 83. de definiendo 85. & seqq.
An Lutherus in Catechesi rectè definierit Sacramentum Altaris? 111
An relata rectè definiantur per genus absolutum? 116
An justitia rectè definiatur, quòd sit constans & perpetua voluntas? 117
An definitio hæc: Homo est animal rationale, sit deficiens? 136
Cap. XXXI.
De testimoniis.
Theoremata.
I. De voce Testimonii & æquipollentibus. 1
II. De ejus definitione. 6

An

INDEX

An recte dicatur argumentum? 8
III. De divisione testimoniorum. 8
De Testimonio Dei. 9
II. An Dei testimonium arguat assumptū mi? 10
De Testimonio Scripturarum. 14
V. An auctoritas Patrum sit infallibilis? 16
An Concilia habeant auctoritatem infallibilem? 28
VI An decreta Pontificum habeant auctoritatem infallibilem. 33
An traditiones habeant auctoritatem divinam? 34
VII. An ex apparitionibus mortuorum sumantur idonea testimonia ad probandas res sacras? 41
VIII. An ex somniis possint sumi probationes? 43
IX. Quatenus testimonium consuetudinis vim habeat? 45
X. An lex Naturæ contineatur sub testimonio divino? 46
XI. An judicium sensuum sit infallibile? 47
Canones 26 de Testimoniis. 50 seq.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

LIBER.

LIBER
DE LOCIS DIALECTICIS.

CAPUT I.

De Locis Dialecticis in genere, & eorum classibus.

1. *Argumentum est terminus simplex vel notio Logica, qua ad aliquid arguendum affecta est. Aliis dicitur Locus Dialecticus, Aristoteli* ἐπιχείρημα, ὁρος.

2 *Ejus multæ classes sunt:* I. *sunt, quæ vulgò dicuntur* Consentanea, *ut causa & effectum, subjectum & adjunctum, Antecedens & Consequens, Connexa sive concomitantia & Relata.*

3 II. *Sunt quæ vulgò dicuntur* Dissentanea, *ut Diversa, Disparata, Adversa, Relativè Opposita, Contradicentia, & Privantia.*

4. III. *Sunt* Comparata, *ut Paria, Imparia, Similia, Dissimilia.*

5 IV. *Sunt ex his* Orta; *Conjugata; Definitio nominis, Distinctio nominis, Totum & partes, Distributio & Definitio.*

6. V. *Est locus à Testimonio & Autoritate.*

COMMENTARIUS.

1. *De voce argumenti*

VOX Argumenti non eodem modo sumitur, 1. Est idem quod summarium, sive Periocha. Sic *Cic. In Epistolis:* Si uno in *argumento*, unáq; in persona mens tota versabitur. II. 1. dem est, quod medius terminus, sive ratio ex qua sumitur conclusio in Syllogismo. Sic *Cic. in top. p.* 221. Argumentum, *inquit*, est ratio rei dubiæ fidem faciens. Et in Part. *p.* 230. Argumentum est inventum ad faciendam

Ambiguitas in voce Argumenti.

fidem,

fidem. Nihil autem refert hic, sive argumentum sit probabile, sive necessarium. Utrumque enim hoc significatu comprehenditur. III. Specialiter significat rationem, ut opponitur testimonio. Sic Socrates ad Polum *in Protag. Plat.* ait, Veritatem non teste, sed *argumento* esse ponderandam. Ad hanc significationem pertinet illa apud Aristot. *in Rhet. ad Alex cap.* 14. Argumentum (Græcè est ἔλεγχος) est, quod aliter habere non potest. Et hoc sumitur, ut ibi addit Aristoteles, ex naturâ necessariis, videturque etiam hæc significatio esse, *Hebr.* 11. *vers.* 1. cùm Fides dicitur *argumentum* (ἔλεγχος) non apparentium. Est autem sensus, quòd fides certissima faciat etiam eâ quæ non videntur. IV. Est idem quod Syllogismus sive argumentatio. Ita vulgariter dicitur, Tale vel tale esse *argumentum Opponentis*, vel *Respondentis*. Et ad hunc modum etiam sumitur *Argumentari*, quod est nihil aliud, quàm unum ex alio inferre, apud *Perer. lib.* 3. *Phys. cap.* 17. Ultimò sumitur pro omni termino, ex quo integratur & essentialiter constituitur axioma. (Libet enim ex hac conditione argumentum describere,) Et in hac significatione nunc definitur argumentum.

Dubitant aliqui, an talis possit esse significatio hujus vocis, quia nuspiam sic usurpata inveniatur. Ad hæc dico: Artifices jus habere τὸ ὀνοματοθετεῖν, hoc est, faciendi vocabula, & dònandi ea novâ significatione. Et per hoc, si nuspiam sic usurparetur vox Argumenti, posset nihilominus hæc significatio retineri. Nam inprimis non deest ratio, propter quam vox hæc sic amplianda sit, nempè ex significatione τὸ *arguere*, & *arguti*. *Argutus*, secundum Cœlium Secundum *in Comm. in Dial. Periohii*, est, qui ingenio & cogitatione suâ res explicat, illustrat, & distinguit. Igitur *argumentum* est id, unde res explicatur, illustratur, distinguitur, &c. Quid sit *arguere*, mox dicetur. Nunc usu trita est hujus vocis significatio in scholis nostris, non ergo placet eam demittere.

II. De Definitione Argumenti.

De genere argumenti. Primò loco generis ponitur *Terminus simplex* vel *notio Logica*. Utrumque ex *Introd. Logic. cap.* 16. Habet enim notio Logica communitatem essentialem ad argumentum, axioma, Syllogismum, Methodum. Unde argumentum rectè per eam definitur. Terminus autem simplex habet communitatem essentialem ad alia multa, quæ extra Logicam sunt termini simplices, tam in artibus, quàm in scientiis, ut Tropus, Cœlum

Cœlum, Homo, &c. Notatur autem hoc genere etiam aliqua distinctio, nempe argumentorum ab aliis notionibus Logicis. Nam aliæ notiones Logicæ, quia occupantur in secunda & tertia operatione intellectûs, ideò non versantur in simplicibus terminis, sed in conjunctis.

3 *Objectiones contra genus argumenti.*

Tria videntur hîc objici posse. Non debere argumentum habere genus, quia sit genus generalissimum. Ita Ramæus 2. Videntur aliqua esse argumenta, quæ non sunt termini simplices, ut Definitio, quæ constat ex genere & differentiâ: & expresse ab Arist. 7. *Metaph. c.* 10. vocatur Oratio, Oratio autem opponitur termino simplici apud Arist. *de interp. cap.* 10. Idem est de Testimonio, quod sæpè est integra sententia. 3. Etiam aliæ Notiones Logicæ videntur esse termini simplices, nempe Axioma, Syllogismus, Methodus. Nam unumquodque horum est unica vox.

4 *Solvitur.*

Respondeo ad primum, Negando Antecedens. Nam notio Logica, vel terminus simplex habet omnes conditiones, quæ adgenus (quale quidem in definitione requiritur) requiruntur. Prædicantur in Quid, prædicantur non conversim, &c. de argumento. Istæ autem sunt notæ generis. Dicunt aliqui, Argumentum non esse genus generalissimum absolute, sed tamen esse generalissimum in Logica. Respondeo 1. Nulla dari ratio potest, cur de notionibus Logicis in genere non debeat doceri in Logica. Indeq; in *Introd. Log. c.* 16. de iis egimus. Sic igitur etiam in Logicis supra se genus habet argumentum. 2. Si argumentum non est generalissimum absolutè, sed habet supra se genus ex Metaphysica, adhuc ex eo definiri potest. Ita in Physicis corpus definitur per substantiam. In Matheſi quantitas definitur per Accidens, utrumque autem sumitur ex Metaphysica.

5 *Definitio an & quomodo sit terminus simplex.*

Respondeo ad secundum, præmittendo aliqua. I. Vox definitionis est ambigua. Aliquando enim complectitur & definitum, & definitionem, sic posset dici *axioma definitivum*. Aliquando autem significat aliquid à definito contradistinctum. Prior significatio hujus loci non est, sed posterior. Argumentum enim definitionis assumentes, dicimus argumentum sumi à definitione ad definitum. Vel appellamus locum à definitione ad definitum. Audis distingui definitionem à definito. II. Præmisso: Terminus simplex appellatur, non quasi nullam prorsus conjunctionem habeat, sed solùm sic, quod non habeat compositionem vel dispositionem axiomaticam. Dispositio autem & compositio axiomatica est, ha-

bere subjectum & prædicatum conjunctum per copulam.

Ex his respondeo 1. de Definitione: Eam esse terminum simplicem (si sumatur prout à definito distinguitur,) etsi enim in definitione ponuntur duo termini, nempe genus & differentia, tamen tum deest inter hæc copula, tum etiam utrèque hic terminus est solùm altera pars axiomatis, nempe prædicatum. Sic igitur non est compositio Axiomatica. Hoc expressè habetur apud Aristotelem *l. 2. post c. 3. t. 16. In definitione*, ait, *non prædicatur aliud de alio, ut neque animal de bipede, neque hoc de animali. Nec utique de plano figura. Non est enim planum figura. Neque figura planum.* Benè hunc contextum explicat Zab. *in comm. ibid. p.* 1073. Negat Aristoteles, *inquit*, unam partem definitionis de alia parte prædicari posse, quatenus in definitione sunt. Ut in definitione hominis, nec prædicatur animal de bipede, nec bipes de animali, sed solùm dicitur, quod homo est animal bipes. Sic in definitione Circuli, nec figura de plano, nec planum de figura enunciatur, sed solùm dicitur: Circulum esse figuram planam. Sic etiam Averroës dicit definitionem esse compositam, non ad modum Enunciationis, sed ad modum Ligamenti & conditionis. Sic definituri hominem, dicimus: Homo est animal, videmus autem hic animal adhuc esse vagum, & prædicari etiam de bestiis, additur igitur conditio aliqua ligans animal ad hanc speciem, nempe rationis particeps. Unde apparet hanc compositionem non tollere conceptum simplicem. Et hinc etiam Zabarella refert definitionem ad primam operationem intellectûs, *lib. 3. de Method. cap. 13. pag. 251.*

Definitio quomodo sit Oratio?

Quòd autem definitio Oratio dicitur, nihil officit. Nam est aliqua Oratio non Enunciativa, ut sumitur ex Aristot. *de Interp. cap. 4. & 5.* Et per hoc nulla est consequentia. Definitio est Oratio. Ergo non est terminus simplex, sed complexus. Igitur quando duo termini conjunguntur per copulam, tunc est terminus complexus, Ut Homo est rationalis. At quando duo termini conjunguntur sine copula, atque adeò solùm explent locum prædicati vel subjecti, & cum alio accidente demum faciunt axioma, possunt isti adhuc esse terminus simplex. Ut animal rationale: Cui si accedat alius terminus, veluti homo vel lapis, fit axioma. Veluti: Homo est animal rationale: Lapis non est animal rationale.

De

De Testimonio eodem modo respondendum est, quòd, quâ tale est, non habeat compositionem Axiomaticam. Est enim solùm altera pars Axiomatis. Exempli gratiâ: Apostolus dicit; Hominem justificari solâ fide. Hic testimonium ponitur loco *prædicati*, Et est *justificari fide*. Loco subjecti autem ponitur testis, & est *Apostolus* dicens. Et sic in aliis. Dico autem *Quâ tale est*; Quia extra rationem testimonii potest testimonium esse integra sententia sive axioma, ut homo est justus solâ fide. Nunc enim non disponitur in hoc axiomate Testis cum re testata sive Testimonio, sed aliorum argumentorum est dispositio. 8 *An testimonium sit terminus simplex.*

Ad tertium respondeo, distinguendo inter vocem & rem voce significatam. Etsi igitur omnes voces Logicæ sunt aliquid simplex, etiam axioma, Sllogismus, Methodus: tamen res significata est aliquid complexum, ut ex singulorum definitionibus patet. Nam Methodus est coordinatio præceptorum homogeneorum; Syllogismus propositionum trium; axioma argumentorum. 9

Secundo. Loco differentiæ in definitione argumenti, ponuntur hæc verba: *Quæ ad aliquid arguendum affecta est* Arguere (missâ significatione forensi quâ est idem, quod accusare vel insimulare apud Cic. passim) in Logica significatione est idem, quod ostendere, declarare, illustrare, explicare, indicare, & quasi candidum facere. Volunt enim aliqui hanc vocem arguendi, esse à voce ἀργὸς *Candidus, albus, &c.* Unde ἐναργὲς est manifestum. Ex his igitur manifesta est differentia posita. Nempe omne illud est argumentum, quod affectum est ad ostendendum, declarandum, &c. aliud. 10 *De differentia in definitione argumenti.*

III. *Ad vocem Loci Dialectici.*

Locus à Cic. & Boëthio definitur, quod sit *sedes argumenti*: Vel est id, *à quo ad propositam quæstionem conveniens ducitur argumentum.* Per argumentum autem intelligunt hîc, more suo, probationem, vel medium terminum in Syllogismo. Sic igitur idem erit locus & argumentum, ut à nobis definitum est. Nam ex illis etiam argumentis petuntur probationes, & sic sunt sedes argumentorum, hoc est, probationum. Nempe cùm volumus aliquam quæstionem concludere, tum sumimus probationem ex loco sive argumento Causæ, effecti, subjecti, contrariorum, &c. Sic Aeonem habere animam, probatur inde, quia movetur. 11 *Vox Loci Dialectici declaratur.*

Locus hujus probationis est effectus. Item Temperantia non est vitium, quia est virtus. Locus hujus probationis est à contrariis. Et sic in reliquis.

12 Vocantur autem argumenta hæc *Loci* appellatione Metaphoricâ. Sicut enim ex loco materiali, ea quæ ibi reposita sunt, sumuntur, & inde depromuntur: Ita etiam ex argumento nervi probationum, qui ibi repositi sunt, ad diversas materias sumuntur & applicantur.

13 *Locus maxima, & locus differentia Maximæ.*

Cæterum Boëthius *lib. 2. de diff. Top.* & communiter Interpretes inde dividunt locum Dialecticum in locum Maximam, & locum Differentiam Maximæ. *Locus Maxima*, (vel locus, qui est Maxima) est propositio, ex qua sumitur consequentia aliqua Syllogistica, Exempli gratiâ: Hic Syllogismus, *Temperantia est virtus, Ergo non est vitium.* habet consequentiam suam ex hac propositione: Cui convenit unum contrariorum, de eo negatur alterum contrariorum. Hæc igitur dicta propositio appellatur Locus Maxima. Sic in aliis. Hic Syllogismus: *Qui est animal rationale, is etiam est homo. Petrus est animal rationale, Ergo est homo*) consequentiam habet ex hac propositione. Cui convenit definitio, ei etiam convenit definitum. Igitur hæc propositio dicta etiam est locus Maximæ, sive locus qui est Maxima. Maxima autem est idem, quod propositio vel axioma.

14 Locus differentia Maximæ (sive locus, qui est differentia Maximæ) est terminus ille, ex quo Maximæ illæ sive propositiones constant. Sic in priori propositione habeo *contraria*, in posteriori terminum *Definitionis* & *Definiti*. Terminus igitur definitionis, definiti, contrariorum, &c. sunt differentiæ Maximarum.

15 Atque hîc nunc observandum, cum æquipollentia dicimus *Argumentum* & *Locum Dialecticum*, tùm intelligi locum, qui appellatur *differentia Maximæ*. An autem etiam Loci Maximæ ad primam Logicæ partem pertineant, postea videndum est.

16 *Argmentũ vocatur. ὅρος.*

IV. De voce ὅρος.

Aristoteles argumentum vocat ὅρον, 1. *prior. cap. 1. Id in quod resolvitur propositio ὅρον dico.* Hoc autem in quod resolvitur propositio sunt argumenta. Sed vox ὅρος propriè quomodo exponenda sit dubitant Interpretes. Firmius ὅρον interpretatur *extremum*. Peronius *verbum* vocat, sed duræ sunt interpretationes. Rectius igitur ὅρος dicitur *terminus*. Sed

eur

cur argumenta appellantur termini? Alexander ut & Philoponus *in 1. prior.* & Boëth. *l. de Enunciat.* existimant: dici terminos, quia terminent & concludant Enunciatum. Dicuntúrque adeò termini, sicut in motibus designamus terminos à quo, & ad quem. Ergo dicuntur termini, quia ab ipsis incipit compositio Syllogismorum, aut axiomatum. Et rursus dicuntur termini, quia in eos fit ultima resolutio propositionum & syllogismorum, & sic etiam 6. *Ethic. c.* 11. Principia prima demonstrationum dicuntur ὅροι τοῦ ὅρου. Et huc congruit definitio termini, quam Euclides tradit *l. 1. Element.* Ὅρος (terminus) est quod alicujus extremum. Vide Monlor. *ad 1. prior. l. 1 §. 9. in schol.* *Cur argumentum dicatur terminus.*

V. De divisione argumentorum.

Placuit hîc potiùs Classes aliquas constituere argumentorum, quàm multis divisionibus & subdivisionibus uti. Inprimis quia illarum multitudo videtur obscuritatem facere. In prima & secunda Classe addimus, quæ *vulgò* dicuntur (Consentanea & Dissentanea.) Sunt enim etiam aliqui, qui etiam Consentaneis similia & paria, Et Dissentaneis dissimilia annumerant. Videatur Fonsec. *l. 7. Instit. Dial. c.* 11. Et certè si voces spectemus, Consentanea nihil aliud sonant, quàm Convenientia, hoc est, quæ sic se habent, ut affirmari ad invicem possint. Dissentanea autem sonant disconvenientia, hoc est, quæ sic se habent, ut affirmari ad invicem non possint. Et hoc modo Consentaneis non solùm similia & paria, sed etiam Conjugata, Notatio, Diffinitio, Distributio, & Testimonium annum erari conveniret. 17

Quæstio I.

An Loci Maximæ etiam pertineant ad primam Logicæ partem.

Per locos Maximas dictum est intelligi propositiones integras, quibus confirmari potest consequentia aliqua syllogistica. Quæstio igitur eadem est cum hac: *An regulæ vel Canones in singulis argumentis annotari debeant?* Quomodo quæstionem hanc tractat Doun. *in Comm. Logicis, f.* 475. Ac videntur quidam Ramæi in defectu, Aristotelici autem in excessu peccare. 18

Igitur dico primò: *Illæ regulæ, quæ continent proprietates, argumentorum proponi possunt in inventione.* Scire enim cujusque rei proprietates, facit ad pleniorem illius cognitionem. 19

Secundò dico: *Regulæ illæ, quæ continent usum argumentorum axiomaticum, vel Syllogisticum, vel Methodicum in inventione per se proponi non debent*, Tales sunt: Effectus non *prædicatur* de Causa sua directè, veluti non dicimus, Deus est Mundus, Sutor est Calceus. Item, A generis positione ad certam speciem non *valet Consequentia*. A Testimonio divino valet affirmativè & negativè *Consequentia*: Generalia *præponenda* sunt specialibus, &c. Nunc confirmatur, I. Quia tales regulæ non continentur sub fine inventionis Logicæ, qui est, dirigere intellectum in apprehensione simplicium. At illæ regulæ sunt de secunda & tertia operatione, hoc est, Compositione & Divisione axiomaticâ, item de Discursu. Docent enim an unum rectè ex alio sequatur, an secus. &c. II. Quia per tales regulas confunditur Methodus Logicæ, & præcipitatur discens eam. Patet: Nam ad cognitionē alicujus propositionis requiritur cognitio omnium terminorum in ea. Igitur quia in illis propositionibus etiam hi termini sunt, *Dispositio, Consequentia, Ordo, &c.* oportet etiam hos cognosci, quod non potest fieri, nisi ex locis inventionis saltus fiat in posteriores Logicæ partes.

21 Unde dico III. *Locum proprium harum regularum esse in doctrina axiomatum, Syllogistica, Methodi.* Hoc satis ex dictis sequitur. Faciunt enim directè ad finem harum Logicæ partium, qui est dirigere mentem in secunda & tertia operatione sua, hoc est, in Compositione, & Divisione, & Discursu.

22 His tamen addendum est IV. Quia à posterioribus priora, veluti ab effectu causa, non malè illustrari possunt, idcircò si hoc consilio quis velit tradere Canones Consequentiæ ad singula argumenta, non quasi nunc docere consequentiam velit, sed ut illustret argumenta ipsa, non malè faciet. Et hoc quidem consilio aliquando etiam talia axiomata huic tractationi intuli.

Quæstio II.

An alia sint argumenta Logica præter enumerata in theorematibus?

23 *Adæquatio divisionis est in duobus.* Examen bonæ divisionis est in adæquatione ejus ad divisum. Ea autem consistit in duobus: Uno, si nihil sit in divisione, quod non sit in Diviso; Altero, si omnia ea, quæ sunt in diviso, sint etiam in divisione. Roterat autem hic de utroque quæri. Nam sunt, qui negant, aliqua argumenta à nobis posita,

posita, veluti locum Antecedentium, Consequentium, &c. Sed hæc deferimus ad particularem doctrinam de singulis. Visurus igitur solùm de posteriori. Quæritur, Annon plura sint argumenta Logica, præter enumerata. Inprimis enim aliqui Logici plura ponere solent.

Articulus I.
De Loco ab exemplo.

Respondeo: hunc locum non esse peculiare argumentum inventionis, sed pertinere ad diversa argumenta. I. Pertinet aliquando ad Testimonium, veluti si dicam: Proceleusmaticus potest poni in Hexametro: Argumento ab Exemplo, quia id fecit Virgilius, in voce *Parietibus*, item Ennius in voce *Capitibus &c.* *II.* Pertinet aliquando ad locum Parium vel similium, Ita Apostolus *Rom.* 4. colligit homines justificari fide, Exemplo Abrahæ. Parium scilicet eadem est ratio, in articulo autem justificationis omnes sunt pares, Ergo si uni contingit justificatio ex fide, & aliis. *III.* Pertinet aliquando ad locum dissimilium & imparium. Ita *Luc.* 9. *ver.* 54. Apostoli petunt ignem descendere de cœlo, ab exemplo Eliæ, quia hoc is perverit, 4. *Reg.* 1. *v.* 10. Sed Christus dicit exemplum dispar esse, &c. *IV.* Aliquando exemplum significat speciem, ut Tyranni violentâ morte perire solent. Exemplo fuit Julianus, Herodes, &c.

II. De locis Personarum.

Loci distinguuntur in locos personarum & rerum. Loci personarum sunt illi, ex quibus sumitur laus vel vituperatio personarum. Et sunt hi: *Patria, Sexus, Parentes, Educatio, Mores, Vitæ genus, Res gestæ, Eventus, Ætas, Mors.* De his respondeo cum Philip. Melanchth *lib.* 4. *Dial. p.* 255. eos includi in aliis Locis Dialecticis. Ita ad Causam efficientem pertinent parentes, Res gestæ ad effectum, Patria ad subjectum, Reliqua adjuncta sunt.

III. De Loco ab absurdo & impossibili.

Hunc locum numerandum esse in Logicis docet Melanch. *lib.* 4. *Dial. pag.* 262. & 304. 307. Et notat ibi hanc regulam: *Absurda rejicienda sunt & hypotheses, ex quibus sequuntur absurda, falsas esse necesse est, quia ex vero nil nisi verum.* Sed Entia non sunt multiplicanda sine necessitate, quæ hîc nulla est. Semper enim absurditas desumitur & indicatur

catur ex aliquo argumento Logico. Sic opinio Epicuri, quòd voluptates Corporis sint summum bonum, confutatur ab absurdo, quia sic concedantur multa flagitia. Hìc concedi multa flagitia, ad opinionem Epicuri habet se ut connexum, vel ut Effectum ad causam. Absurditas autem illius propositionis (Flagitia sunt concedenda) adjunctum est & ex variis locis sumitur. Sic hæc sententia: *Deus est author peccati*, confutatur ab absurdo, quia sic sequeretur, Deum non esse summè bonum. Consequentia hæc est ex loc Causarum & Effectorum, inter quæ debet esse aliqua similitudo, quæ non est inter illud, quod est summè bonum & peccatum. Absurditas autem ipsa, est adjunctum hujus propositionis, *Deus non est summè bonus*. Et causa absurditatis est quia Contradicentia sic simul sint vera. Hæc enim habent implicitam Contradictionem, esse Deum & tamen non esse summè bonum. Atque ex his evidens est: *Absurditatem ipsam non residere in terminis simplicibus, sed in earum connexione, hoc est, esse in propositione integra.*

Absurditas est affectio propositionis.

IV. De Loco à necessario, probabili, vel verisimili.

17 Et hos locos *Melanchthon* ponit, ubi suprà. Hìc tamen non sunt peculiaria argumenta, sed sunt affectiones ferè generales argumentorum. Dicimus enim Causas, Effectus, antecedentia, adjuncta, &c. necessaria, probabilia, verisimilia. Sic dicitur *l. cum de ætate, ff. de prob.* Verisimilitudo multùm attenditur in probationibus, ut talis quisque præsumitur esse, qualis est habitus, quem gestat. Argumentum est ex adjuncto verisimili.

V. De Loco à Generatione & Corruptione.

18 Hunc locum habet Aristoteles *l. 2. Top. c. 9. §. 3. & l. 3. c. 4.* Sed is pertinet ad locum Causæ, ut apparet ex argumentis inde sumptis, *Præterea*, inquit ibi Aristoteles, *argumenta ducenda ab ortu & interitu, ex iis quæ faciendi vel corrumpendi vim habent, sive quis refellat, sive confirmet. Quorum enim ortus sunt in numero bonorum, etiam ipsa sunt bona & si ipsa sunt bona, etiam ortus sunt boni: At si ortus sunt mali, etiam res ipsæ sunt malæ. In Corruptionibus autem è Contrario arguendum est. Nam si Corruptiones sunt bonæ, ipsa sunt mali.* Si verò *Corruptiones sunt malæ, ipsa sunt bona. Eadem ratio est in iis quæ efficiendi vel corrumpendi vim habent. Quorum enim efficientia sunt bona, etiam ipsa sunt bona, &*

quorum

quorum corruptiva sunt bona, ipsa sunt mala. Hæc Aristoteles. Confer *Fonsec. in Inst. Logic. lib. 7. cap. 21.*

VI. De Loco à Signo.

Hunc locum etiam *Melanchthon* habet Talæus *in Rhetoricis* videtur referre ad ad junctum. Nam Metonymiam signi, vocat Metonyniam adjuncti. Dici tamen potest, melius etiam ad alia argumenta referre signum. Cordis vis postrata est (argumento à signo) quia non est pulsus, vel motus in arteriis. Hic signum est effectum. Sic: sentio latus circa costas intus pungi, & accedunt difficultates anhelitûs, Ergò Pleuritis incipit. Argumentum hoc ducitur à signo, ex loco Consequentium. Heri fuit vespertina rubedo cœli: Ergo hodie est serenitas. Argumentum est à signo, sumptum ex loco Antecedentium, & sic in aliis. Atque sic signum non est peculiare argumentum, sed est quasi aliorum argumentorum affectio. In quantum enim aliquis affectus, vel Causa, vel aliquid Consequens, &c. in sensus incurrit, & aliud notificat, sic illa res signum dicitur. Confer Keck. *in syst. Log. pag.* 205. 29

VII. De Loco positivi & Comparativi.

Et hunc locum Aristoteles habet *lib. 2. Top. cap.* 11. Explicatúrque ab August. Hunnæo *lib. 5. Dial.* Ex eo loco sunt hæ argumentaiones: I. *A Comparativo ad Positivum arguitur affirmando.* Mel dulcius est lacte. Ergo mel dulce est. Virgilius doctior est Horatio: Ergo Virgilius doctus est. II. *Arguitur à positivo ad Comparativum, negando.* Ut Zoilus non fuit doctus Poëta Ergo non fuit doctior Homero, & sic deinceps. Possunt autem hi loci referri vel ad Comparationem majorum & minorum; Nituntur enim his axiomatibus: Si id inest; quod majus est, etiam inerit, quod minus est: Et, si non inest quod minus est, etiam non inerit quod majus est. Vel etiam referri possunt ad locum totius & partium. Est enim comparativus cum positivo collatus quædam species seu aliquid minus universale. Quod inprimis evidens est, si comparativus circumscribatur, per præpositam particulam magis, ipsi positivo. igitur hæc collectio (mel est dulcius vel magis dulce quam lac: Ergo est dulce) bona est, quia cuicunque convenit species, etiam ei convenit genus, & sic deinceps. Eadem ratio est loci *à determinato ad simplex* (quem Aristot. habet *l. Top.* 11. §. 4.) Nam determinatum est veluti species simplicis. 30

Locum à determinato ad simplex.

VIII. De

VIII. De Loco ab Appositione vel Adjectione.

Et hic locus est apud Arist. *l. 2. Top. c. 11. §. 1. Praeterea etiam locus est*, inquit Arist. *ab adjectione, si alterum alteri adiectum faciat bonum aut album, cùm antea non esset album aut bonum; certè quod est adjectum erit album aut bonum, quale etiam totum fecit. Praeterea, si ad id quod tale est aliquid adjectum magis calefaciat, quàm antea erat, id quoque quod est adjectum, tale erit.* Ita per locum ab Appositione sequitur: ignis admotus aquæ eam facit calidam. Ergo ignis est calidus. Glacies apposita manui reddit eam frigidam. Ergo glacies est frigida. Qui versatur cum libidinoso fit improbus: ergo libidinosus est improbus. Habentque hæc, & istiusmodi alia consequentiam secundùm hunc Canonem. Quam sibi qualitatem contrahit res una ex alterius oppositione, eam qualitatem quoque habere rem oppositam, necesse est. Sed hic locus optimè refertur ad locum causæ & effecti. Colligitur enim ex effectu ignis (calefacere aquam) quod ignis sit calidus, Ex effectu glaciei (infrigidare manum) quod sit frigida, & sic in cæteris. Appositio autem sive adjectio, aut approximatio agentis ad patiens est conditio requisita in agente, ut infrà dicetur.

IX. De Loco ab Usibus.

32 Hunc addit Franciscus Titelmannus *l. 5. Dial. Consid. c. 19.* satis prolixè, dicens ex duobus axiomatibus hîc argui: 1. *Cujus usus bonus est, ipsum quoque bonum est.* 2. *Cujus usus malus est, ipsum quoque malum est.* Verum usus nihil aliud est, quàm effectus, ut vel ipsius Titelmanni exempla ostendunt. Probatur vinum est bonum, ab ejus usu, quia usum bonum habet: Lætificat cor hominis: confirmat imbecilles, conservat vigorem corporis, &c. quæ omnia effecta vini sunt.

CANONES.
De Argumento

33 1. *Omne argumentum est terminus simplex. Est apud Arist. 1. Top. cap. 4. §. 3.* Hæc conditio est argumenti, ad distinctionem ab axiomate, syllogismo & Methodo. Estque sensus, quod nullum argumentum, ut sic, habeat compositionem aut divisionem, aut discursum. Unde relinquitur, si alterius generis complexio sit, minor compositione & divisione

visione axiomaticâ aut discursu, quod ea non repugnet argumento. Talis est qualiscunque complexio vocum, in quantum illæ unum conceptum absolvunt, & sine accessione alterius integrum axioma non faciunt. Ita definitio est argumentum, atque adeò simplex est, quia de se non facit propositionem integram: Etsi pluribus vocibus (genere & differentiâ) constet. Facit autem demum integram propositionem, cùm additur definitio. *Vide suprà, num.* 5. *& seqq.*

1°. *Omne argumentum dicitur relativè ad aliud.* Ita patet ex officio argumenti, quod est esse affectum ad aliquid arguendum. Ita causa refertur ad effectum, subjectum ad adjunctum: Par ad aliud par: simile ad aliud simile: Definitum ad definitionem, & vicissim, & sic in cæteris. Et sic substantia & accidens non sunt argumenta Logica, quia hæc non sunt relativa. Substantia enim non est accidentis substantia, sed respectu ad accidens remoto, adhuc est substantia. Est autem observandum 1. Intelligi axioma de argumentis ipsis, non de eorum exemplis. Causa & effectum relata sunt, & ita causa est effecti causa, & effectum est causæ effectum. At Deus & mundus, arcularius & mensa quam facit, non sunt relata. 2. Relationem inter argumenta non esse uniusmodi. Alia igitur sunt relata unius nominis, ut Paria, Similia, Opposita. Alia sunt nominum diversorum, ut Causa & Effectum; Definitio & Definitum. 35

Substantia & accidens cur non sint argumenta?

Dubium incidit de privantibus, quæ non videntur relativa esse. Nam *Arist.* 8. *Top.* & ex eo Perer. *lib.* 5. *c. ult.* aiunt: Unum eorum quidem, hoc est, privationem, definiri per habitum, sed habitum non definiri per privationem. Unde consequens: Habitum & privationem, non esse relata, quia relata dicuntur mutuò. Imò expresse id tradidit Aristoteles *lib. Categ. cap.* 10. §. 17. Privationem, *inquit*, & Habitum non opponi ut ad aliquid, perspicuum est, quia id ipsum, quod est, non dicitur oppositi. Nam aspectus non est cæcitatis aspectus, nec aspectus cæcitatis, &c. Sed propter hæc non est recedendum à generalitate superioris propositionis, quæ ibi satis confirmata est. Confunduntur autem in proxima instantia, ipsa argumenta cum eorum exemplis. Ergò de argumentis ipsis verum est: ea esse relativa, non autem de eorum exemplis, ut dictum est priùs. 35

Objectio

Objectio autem fit de exemplis privantium. Et ſic tum appareret ſubtiliùs intuendo, privativa magis relata eſſe, quàm alia argumenta, quia, ut vilum eſt objectione, ad exempla privantium diffunditur etiam qualiſcunque relatio, in quantum privatio definitur per habitum, quod non eſt in aliis argumentis, in quibus ſolùm reperitur relatio, ſiſtendo in ipſis argumentis.

36 *III. Quod eſt corelativum alicujus argumenti, id etiam eſt argumentum.* Veluti ſi cauſa eſt argumentum, etiam effectum eſt argumentum. Et ſic in aliis. Ergò ſi adjuncta referuntur ad locos Dialecticos, vt fatentur Ariſtotelici, etiam iis annumerandum eſt ſubjectum. Vide *infrà c. 8. n. 6. & ſeqq. in Commen.*

37 *IV. Unum argumentum habet ſolùm unum corelativum.* Hoc ſumitur ex generali natura contrariorum (ſub quibus ſunt relata.) In iſtis enim unum uni tantum opponitur. Igitur ſpecies malè dicitur correlativum generis, ſimul & individui, ſed ſolùm refertur ad genus. vide *inf. c. 29. n. 69. in comm.*

38 *V. Quod continetur ſub aliquo argumento, ejus corelatum continetur etiam ſub corelato illius argumenti.* Veluti ſi inſtrumentum eſt efficiens, etiam inſtrumentum eſt effectum. Et ſic, ſi ſubjectum continetur ſub toto, ut Perionius vult, etiam adjunctum continetur ſub parte. Vide *infrà cap. 8. n. 6. in Comm.*

39 *VI. Quicquid ab alio diverſum eſt argumentum, habet etiam diverſum modum arguendi.* Nam diverſitas in modo arguendi, variat eſſentialiter argumentum. Ita quia inſtrumentum arguit eodem modo, quo efficiens, non poteſt eſſe genus diverſum ab efficiente. Ex iſto infertur, quod quæ habent eundem arguendi modum, ſint idem argumentum.

40 *VII. In quodcunque reſolvitur aliquod axioma, aut Syllogiſmus, id eſt argumentum.* Nam illa materiam ſuam non ſumunt aliundè, quàm ex locis Dialecticis. Et ſic omne axioma eſt diſpoſitio argumenti cum argumento: Et omnis Syllogiſmus conſtat ex tribus terminis, qui tria ſunt argumenta. Et ſic quia aliqua axiomata, & aliqui Syllogiſmi non poſſunt aliter reſolvi, quàm in Accidentia & Conſequentia vel Connexa, inde neceſſariò ſequitur, quod Antecedentia & Conſequentio, itémque connexa ſint argumenta. Vide *infrà c. 9. & 10.*

41 *VIII. Unumquodque argumentum definiendum eſt ex ſuo, non alieno corelato.* Ita cauſa definitur, cujus vi Res, hoc

eſt

est, effectum est. Effectum est, quod à causis pendet. Sic igitur proprium non est benè definitum à Porphyrio *in Isag. c. 4.* Proprium est quod uni *speciei* convenit, &c. Nam proprii correlatum non est species, sed subjectum: Ex hoc fundamento Doun. *l. 1. Dial. c. 15.* rejecit definitionem contrariorum, quæ dicuntur sub eodem genere maximè distare.

IX. Definitiones argumentorum Logicorum debent habere veritatem in rebus. Explicant hoc verba Zabarellæ, quæ illustria sunt. Omnia præcepta Logica, & definitiones Logicæ (inquit *in lib. de Nat. Log. p. 41.*) veritatem habent de primis, non de secundis notionibus: de primis tamen, non prout rerum notiones sunt, sed ut secundis notionibus subjacentes, quod exemplis clarius reddetur. Animal est vox primæ notionis, genus verò secundæ. Dicit igitur Logicus genus prædicari de pluribus in quid. Hæc definitio, estne vera de hac voce *genus*, an de hac voce *Animal*? Certè non de hac voce *genus*. Hæc enim de speciebus non prædicatur, siquidem homo non est genus, sed de illa voce *animal*. Homo enim est animal (idem habetur apud Armand. de Bello visu *l. 2 Term. c. 283.*) Attamen animali competit, non prout res est, & prout est animal, sed prout ei ab intellectu tribuitur hoc nomen genus, &c. Et proinde malè sugillatur Ramus, quod realem quasi definitionem causæ dedit. *Vide infrà c. 2. n. 3. in Comm.* 42

X. Una eademque res potest ad diversa referri argumenta. Sicut in genere plures relationes fundari possunt in uno absoluto, ita est etiam in relatione arguendi. veluti *Homo* respectu suarum operationum causa est: respectu Dei est effectus: respectu doctrinæ subjectum: respectu rerum objectarum adjunctum: respectu doctrinæ sibi non competentis, est diversum: respectu lapidis, disparatum: respectu bestiæ adversum: respectu non hominis Contradicens: respectu bullæ aliquid simile: respectu animalis species: Et sic deinceps. Et idem est in aliis. 43

Cap. II.

De Causis in genere.

1 Inter consentanea est 1 Causa & causatum.

2 Causa est, cujus vi effectum est, vel: Causæ argumentum est Notio Logica, secundùm quam rebus convenit influere in aliud esse, sicut hoc ab istis dicatur dependere.

3 Influere esse in aliud, fit intrinsecè vel extrinsecè.

4 Intrinsecè influunt, quæ sic dant esse, ut intra rem effectam

effectam maneant, & eam essentialiter constituant, ut *materia & forma.*

5 Extrinsecè: Quæ sic dant esse, ut maneant extra essentiam rei, ut *efficiens* & *finis.*

6 Quatuor igitur causæ sunt: *Efficiens, Materia, Forma, Finis.*

COMMENTARIUS.

I. De voce Causæ.

1 *Unde dicatur Causa.*

Hîc duo notanda sunt; Vocis Notatio sive Etymologia, Secundò Ambiguitas ejusdem. Quantum ad primum Causa putatur dici quasi *Cavissa* à cavendo. Becmannus *lib. de orig. ling. lat.* dictam putat sic, ut Causa sit quasi *cauta.* Esse enim has literas S. & T. ἐυμεταβλήτως, indèque infert, non esse eam vocem scribendam per ss. sed unico S. Est autem utráque notatio sumpta ex officio causæ, quod eam tenentes *cauti* simus, & muniti in rerum cognitione, quódque *cavere* possimus omnis generis errores.

2 *Ambiguitas in voce Causæ.*

Quantum ad alterum: Vox Causæ variè sumitur, Iv apud Rhetores Causa est idem quod Thema, oratione aliquâ tractandum. Sic dicunt, esse quatuor genera Causarum, Demonstrativum, Deliberativum, Didascalicum & judiciale. II. Causa est idem quod efficiens. Ita hæc vox sumitur in his axiomatibus: *Qualis causa talis effectus:* Item *Causa causæ est etiam causa causati, &c.* Item, in divisione Causæ in Univocam & Æquivocam, & sic deinceps. Est autem hæc usurpatio inde, quod efficiens nobilissimum influxum & causalitatem habeat, unde per ἀντονομασίαν vel κατ' ἐξοχὴν causa dicitur. Hoc sensu videtur etiam secundum quosdam dixisse Augustinus *l. octoginta trium quæstionum, q.* 28. omnem causam esse efficientem: Sed fortasse etiam non est absurdum dicere: Augustinum hic secutum esse sententiam Platonis, cujus aliàs studiosus fuit, qui affirmatè tradit, solam efficientem dici debere causam, ut est in Dialogo de pulchro, qui aliàs Hippias major dicitur. III. Sumitur latè pro omni eo, quod ordinem qualiscunque consecutionis habet ad aliud. Sic Aristot. 12. *Met. c.* 2. privationem vocat causam: Et Græci Patres, Patrem in divinis passim vocant αἴτιον Causa filii, (videatur Damasc. *l.* 1. *de orthod. fid cap.* 9. 11, 13. & Athanas. *in Actis Nicenæ Synodi* & Nazianz. *orat.* 29. *de dogmat: & Constit. Epist. & orat.* 35.) & tamen in rigore loquendo

quendo, pater non tam Causa quam principium vocari debet in respectu eo, quem habet ad filium. Imò sic etiam essentiæ divinæ dicitur esse Causa, ut sit sapiens apud *August. lib. 7. de Trinit. cap. 1.* Plura hujus generis habet *Fonsec. lib. 5. Metaph. cap. 1. pag. 7. s. 2.* 2. IV. sumitur medio modo, pro illis Entibus, à quibus intrinsecè res dependet: Et hoc sensu convenit efficienti, materiæ, formæ, & fini. Eam significationem declaravit *Aristot. lib. 5. Metaph. cap. 2.* & est hujus loci.

II. De Definitione Causæ.

Variæ solent à Doctoribus afferri definitiones Causæ *Percr. lib. 8. cap. 1.* Causa est, *inquit*, quæ in suo genere per se & principaliter concurrit ad constituendum effectum, *Suarez. disp. 12. Metaph. s. 2. n. 4.* sic Causa est principium per se influens esse in aliud. Ex veteribus sic *Plutarchus lib. 1. de placit. Philos. c. 11.* Causa est per quam aliquid contingit. *Alii:* Causa est id ad quod aliud sequitur. Ex *Aristot. lib. 2. Phys. cap. 7. t. 68.* multi sic definiunt, Causa est id quod reddimus, cum inquirimus propter quid res unaquæque sic se habeat. Dicit autem ib. Aristoteles tot esse causas, quot quæstiones sunt de Propter quid. Ὅτι ἔστιν αἴτιον, καὶ ὅτι ἔστι τοσοῦτα καθ' ἕκαστον ὅσα φαμὲν ἁπλῶν. Τοσοῦτα γὰρ τὸν ἀριθμὸν τὸ διὰ τί ζητοῦμεν.

Cæterum studiosè hîc notandum, I. Definitum hîc intelligendum non de re quam causam vocamus, sed de argumento Causæ. Logicus enim non considerat, & definit res, sed notiones secundas rebus impositas. II. Definitio tamen debet declarare rem ipsam, cui conveniat hæc notio Logica, ut dicatur Causa. Hoc imprimis clarum est ex eo, quia notio semper dicit respectum ad id, cujus notio. Notiones autem secundæ sunt notiones rerum: ergò dicunt respectum ad res, & per hoc etiam ex illo respectu sunt definiendæ. Hoc ostendit Zabarella ex definitione axiomatis & generis, quæ non conveniunt vocibus illis axioma, genus, sed conveniunt rebus significatis, veluti huic, *(homo est risibilis)* cui imponitur notio hæc, ut dicatur axioma, & huic *(animal)* cui imponitur notio hæc, ut dicatur genus hominis. *Lib. de nat. Log. p. 47*

Denique (ut specialiùs dicam) hoc probè advertendum, in definitione Causæ, ut ea sic formetur, ne accommodari possit patri, generanti filium, in divinis. Etsi enim Deo nō repugnet, ut dicatur causa, tamen filio, qui etiam Deus est, videtur repugnare *Deus Pater enim est Causa filii.*

repugnare, ut dicatur causatum, propterea, quia causatum & Ens dependens videntur esse eadem. Esse autem Deum, & esse Ens dependens videtur implicare. Et sic etiam *Athanas. in expos. fidei tom. 1. fol. 80.* ait filium non debere dici productum vel emanâsse. Hoc igitur consilio sic faciamus definitionem Causæ: Causa est notio Logica, secundùm quam rebus convenit per se esse & influere in aliud, ut hoc ab illo *dependere* dicatur. Et hoc modo filius à patre genitus: vel Spiritus ab utroque procedens, non possunt dici effecta, nec pater potest horum respectu dici causa. Nam Filius & spiritus sanctus non sunt Entia dependentia à patre, quia ut dicatur aliquid ab alio pendere, duo sunt necessaria, unum, ut habeat esse ab alio fluens sive participatum. Alterum, ut habeat esse distinctum ab eo, à quo dependet. Videatur *Suarez. disp. 12. Metaph. sect. 2. num. 6.* Et Leuchettus *lib. 1. sent. dist. 2. quæst 6. in fine.* Ex Scoto *ibidem.* At Filius & Spiritus Sanctus non habent esse distinctum à Patre. Pater enim generans filium, communicavit ei eandem numero essentiam: quod præter testimonia scripturæ, probatur etiam ex ratione generationis. Generationem enim perfectissimam decuit esse in divinis. Eò autem perfectior est generatio, quo major est similitudo, vel identitas in gignente & genito. Infimi igitur gradûs generatio est, qua gignens tribuit genito naturam similem genere. Talis est generatio æquivoca. Superioris gradus generatio est, quâ gignens tribuit genito naturam similem in specie. Talis est generatio, quæ vulgò dicitur Univoca, quâ scilicet homo hominem, Leo Leonem generat. Summus igitur gradus generationis est, quâ gignens genito communicat eandem numero naturam suam. Neque enim est major identitas, quàm hæc. Atque sic, quia omnia divina sunt summa, decuit etiam generationem, quæ in divinis est, esse summam, hoc est, talem, in qua summa est unitas gignentis & geniti. Conferri potest *Armand. de Bello Visu, lib. 2. Term. Theolog. & Philos. c. 50.* De causarum divisione mox videbitur, nunc libet quærere.

Dependens quod dicatur?

Quæstio I.

Cujus disciplinæ sit agere de Causis.

Breviter respondens suppono, I. Unam eandemque rem posse à distinctis disciplinis tractari, modò modus considerandi sit alius atque alius. Atque hoc commune Doctorum pronunciatum probatione non eget. II. Suppono. Consideratio Causarum duplex potest esse. Una generalis, hoc est, qua

qua definiuntur summa causarum genera. Altera specialis, quâ definiuntur Causæ in particulari, veluti *anima*, quæ est causa in particulari, eo ipso, quia est sub genere causæ formalis: Informat enim hominem, & sic in aliis. III. Suppono, Generalis tractatio Causarum duplex esse potest, una, quâ illa Causarum genera proponuntur solùm cognoscenda, hoc est, sic, ut intellectus distinctam habeat cognitionem Entis illius, quod causam, vel efficientem, vel Finem, vel Formam, vel Materiam vocamus, adeóque inquirat in peculiarem singulorum Entitatem, Existentiam, Causalitatem, atque adeò etiam proprietates alias. Altera generalis causarum tractatio est, quâ non cognitionis, sed operationis gratiâ tractantur, hoc est, prout ea faciunt ad argumentandum, definiendum, &c. 8

His positis dico primùm I. *Specialis consideratio causarum pertinet ad speciales disciplinas.* Sic causæ virtutum & vitiorum & felicitatis pertinent ad Ethicum, Causæ rerum naturalium ad Physicum, ut *Aristot. docet 2. Physic. 7. 2 to.* cum dicit, Physici esse omnes quatuor causas nosse, & quæstionem, quâ quæritur propter Quid, in communes causas naturaliter reducere. Hæc res satis clara est. *Specialis causarum tractatio.* 9

II. *Generalis cognitio causarum pertinet ad Metaphysicam.* Confirmatur: Quia causalitates sunt generales affectiones Entis, juxta quod & ens distinguitur in causam & causatum. At omnis scientia agit de sui subjecti affectionibus, tum de generalibus, tum de specialioribus, quatenus usque scilicet patitur constitutio disciplinæ, quæ in scientiis Theoreticis sumitur ex subjecti abstractione à materia. Unde in Metaphysicis omnia tractanda sunt, quæ à materia secundum rem & rationem sidque vel per essentiam, vel indifferentiam abstrahi possunt. *Tractatio causarum Metaphysica.* 10

Objicis; Causæ hoc modo abstrahi non possunt, inprimis materia & forma. Hæc enim sunt essentialia principia corporis, & non possunt esse nisi in corpore, ut inde patet, quia utrumque horum est substantia: Ideóque etiam non componitur intrinsecè, nisi substantia. At non componunt substantiam incorpoream, sive spiritualem, quæ est expers materiæ & formæ. Ergò componunt solum substantiam corpoream. At ea quæ solùm conjuncta sunt corpori, non possunt secundùm rem & rationem abstrahi à materia, quia corpus omne est compositum ex materia. Ergò etiam non possunt *Objectiones contra priorē conclusionem.*

considerari in Metaphysica, quæ solùm de iis agit, quæ à materia isto modo abstracta sunt. Et Soncinas *l. 5. Met. q* 15. hinc prorsus negat Metaphysicum quicquam demonstrare per materialem causam.

5

10 *Responderi* tamen potest. 1. Metaphysicam aliquando qualitercunque egredi ex abstractione sua, ut ea feliciùs cognoscat, quæ intra eam sunt. Sic aliquid agit de substantia corporea, ut melius cognosci faciat substantiam incorpoream, quarum illa extra, hæc intra abstractionem Metaphysicam est. Videatur Suarez *disp. 2. Met. s. 2. n. 24. & s. 5. n.* 41. Sic igitur etiam possit agi in Metaphysica de materia & forma, ut & facilius cognosci possit actus & potentia, quorum ille per formam, hæc per materiam illustratur. Ita docet Colleg. Conimb. *in proœm. Phys. q* 1. *a.* 5.

8

11 Deinde respondetur solidius. Metaphysicam directè agere de materia & forma, & contineri etiam sub abstractione Metaphysica, imprimis quia indifferenter se habent ad corporea & incorporea. Sic enim etiam materia & forma accidentium, veluti trianguli materia sunt tres lineæ. Hinc igitur quando materia & forma dicuntur substantiæ, & ideò etiam solùm substantiæ (corporeæ) principia; necessariò intelligendum, id esse, *per analogiam*, quod scilicet nobiliori & principaliori ratione conveniat formæ & materiæ substantiali esse materiam & formam. *Ad hæc* quod dicuntur principia corporis, non officit considerationi Metaphysicæ, quod propterea non possint abstrahi à materia. Nam primus motor etiam est principium corporum, sicut propterea de eo agit *Aristot. lib. 8. Phys.* Et tamen etiam de eo agitur in Metaphysicis, ut Zabarel docet *lib. de Invent. prim. mot. cap.* 5. Denique Cur materia & forma non possunt dici abstrahi posse à materia. Abstrahi à materia in Metaphys. est nihil aliud, quàm vel non esse compositum ex materia & forma. Et hoc modo Deus & Angeli sunt entia abstracta à materia, vocanturque Entia abstracta secundùm Essentiam, vel saltem in conceptu suo primo non includere materiam, etsi sub materia Physica etiam esse possint. At materia & forma neque sunt composita ex materia, neque etiam concludunt in conceptu suo materiam primò, ut cuivis patet.

10

12 *Qualis causarum tractatio.*

III. *Alia generalis tractatio causarum pertinet ad Logicam.* Confirmatur ex fine Logicæ, qui est mensura in habitibus practicis. Nam faciunt causæ ad bene disserendum, indeque

Indeque ſumuntur à cauſis loci probationum, atque ſic ad operа Logica referuntur. *pertineat ad Logicam.*

Eſt autem manifeſtum ex his diſcrimen inter tractationem Logicam & Metaphyſicam, etſi utraque generalis ſit. Colligamus diſcrimina, contra vociferationes Ramiſtarum. I. In Metaphyſica cauſa & cauſatum ſunt differentiæ dividentes Ens. In Logicis dividunt argumentum. Et ita ſunt notiones ſecundæ in Logicis. II. In Metaphyſicis ſolùm cognitionis gratiâ tractantur, ſicut fieri ſolet & debet in ſcientiis Theoricis. In Logicis autem tractantur operationis gratiâ. III. Ideoque ibi conſiderantur diſtinctiſſimè, inquirendo in omnes proprietates, accuratè diſputando de ſingularum cauſarum Entitatibus, cauſalitatibus, &c. Hic autem qualitercunque, & ruditer quaſi cognoſcuntur, quantum ſcilicet ad operandum ſufficit. Alia mitto. 13 *Differentia doctrinæ Logicæ, & Metaphyſicæ de cauſis.*

Quæstio II.

De diviſione Cauſæ in Internas & Externas.

14

Hæc diviſio ſumitur ex Ariſtotele quando inquit, *lib. 5. Metaph. cap. 1.* Ἀρχῶν αἱ μὲν ἐνυπαρχούσαι εἰσὶν αἱ δ' ἐκτὸς hoc eſt, *principiorum alia quidem inexiſtentia vel extrinſeca ſunt, alia autem extra.* Indeque acceptatur ab omnibus ferè Philoſophis, & exinde poſita eſt in noſtris Theorematibus. Impugnat tamen eum Greg. Dounamus *lib. 1. comm. Dial. c. 3. fol. 105.* his rationibus: I. Quia hæc diviſio peccat in legem ſapientiæ, (hoc eſt, non eſt reciproca. Legem enim καθ' ὅλου vocat Legem ſapientiæ.) Nam, inquit, internum vel externũ eſſe, non eſt cauſis proprium, ſed aliis etiam argumentis, ut effecto & adjuncto, commune. II. Peccat hæc diviſio in Legem veritatis, hoc eſt, in Legem κατηγορικὸς.) Nam materia & forma, quatenus intra effectum ſunt, nomen ſuum amittunt, ut quibuſdam placet, Cùm enim effectum ingreſſæ ſunt, membra fiunt: quæ non ſunt ipſa materia & forma, ſed earum ſymbola. III. Finis: qui perfectio rei eſt, ejuſque aptitudo ad uſum, inter internas potiùs cauſas numerandus eſt, quàm externas. IV. Lex Methodi non patitur, ut efficiens & finis ſub eodem genere comprehendantur. Nam ut Ariſtot. ait. *Phil. 10. v. 3.* Finis eſt efficienti oppoſitus, quoniam efficiens prima eſt cauſa, finis verò ultima. Et ſi internas cauſas præpoſuerimus externis, materia & forma, quæ efficientis quodammodo effecta ſunt, efficienti *Objectiones Dounami.*

præponentur. Si contrà externas prætulerimus internis, finis qui formæ fructus est, non modò formæ anteponeretur, sed etiam materiæ, quæ formam semper antecedit. *Hæc ille.*

V. Accedit, quod singulæ causæ dividuntur per Externum & Internum. Efficiens alia est interna, alia externa, quarum illa αὐτοενεργὴς, hæc μεταπτικὴ vocari solet. Sic etiam finis in artibus externus est, vel internus. Sicut finis internus Physicæ est cognitio rerum naturalium, Externus est, ut medicari possimus, vel ut possimus eam docere, &c. Forma etiam est interna, (ut in homine, anima rationalis) vel externa, (ut in eodem figura erecta.) Denique etiam materia talis est. Nam distinguitur materia in immanentem & transeuntem. Si igitur materia aliqua est transiens, & non immanens, tum certè materia aliqua non videtur esse interna. Imò immediatè â quibusdam distingui solet in materiam externam & internam.

15 *Divisio ista approbatur.*

Nihilominus contraria sententia confirmatur. I. Autoritate Aristotelis, cujus verba antè posita sunt, & aliorum Philosophorum. Communiter enim ferè accipitur illa divisio. 2. Probatur per rationem, ad veram divisionem sufficit, si in aliquibus Entibus reperiatur aliqua ratio communis, per quam in aliquo genere conveniant. Sed talis communis ratio reperitur in materia & forma ex una parte. Et in efficiente & fine ex parte alia. Ergò utriusque particulare genus assignari potest. Patet assumptum, quia materia & forma hoc communiter habent, intrinsecè causato dare esse. Efficiens autem & finis hoc communiter habent: extrinsecè solùm attingere causatum. 3. Confirmatur veritas per solutionem contrariorum argumentorum.

16 *Solvuntur objectiones.*

Ad primum igitur respondeo: Divisio debet esse reciproca, non quantum ad voces necessariò, sed quantum ad res nominibus significatas. De priori patet. Nam plurimæ divisiones fiunt per voces communiores, sic substantia dividitur per primam & secundam. Qualitas item in Physicis est prima vel secunda, &c. Sic etiam Ens, Propositio, Justitia, Physica, & Metaphysica dividuntur per terminos hos universale & Particulare. Et tamen non propterea huius vel istius, vel illius distributio mala censetur, quia fiat per vocabula communiora. Sufficit itaque reciprocatio quantum ad res significatas. Talis autem reciprocatio hic est. Nam neque effectus, neque disiuncta, nec alia dicuntur interna vel externa, ratione

esse

essentiæ ejus rei, cui dicuntur interna vel externa, hoc est, ut eam vel constituant intrinsecè, vel non constituant.

Ad secundum respondeo 1, Notando κατὰ χρῆσιν, quando materia & forma membra dicuntur. Nam ut aliquid membrum dicatur, hîc requiri solet, 1. Ut sit aliquid materiale, & per hoc nulla forma appellatur membrum. 2. Ut habeat partes dissimilares; & per hoc sanguis, vel alius humor corporis nostri non appellatur membrum. 3. Ut habeat vitam in se: unde æquivocè aiunt Dd. membra tribui cadaveribus. Hæ autem conditiones non conveniunt materiæ & formæ. 2. Dico de reipsa, si materia & forma, prout in composito sunt, non sunt causæ, sed membra (rectiùs partes solùm) tum revera causæ non sunt. Nam extra *hoc* non habent verè & principaliter dictam relationem causalem, secundùm quam influant in causatum. At negatâ causalitate negatur etiam causa. 17 *Membri requisita.*

Ad tertium: Negandum est, finem referri debere ad causas internas. Nec probatur per ea, quæ in objectione insinuantur. Perfectio quod dicatur non officit. Nam perfectio duplex est: interna, quæ vocari solet ἐντελέχεια, & externa, quæ vocari solet τελείωσις. Cùm igiiur finis perfectio dicitur, posterior intelligenda est: si enim finis solùm est formæ fructus (ut posteá dicit Dounamus,) Et formâ positâ res est, sequitur omninò; Finem non dare perfectionem internam quia sic ipsa re prior esset finis. Aptitudo autem rei ad usum, nec finis est nec est aliquid essentialiter alteri intrinsecum, sed est adjunctum consequens essentiam. 18

Ad quartum: Oppositio efficientis & finis non officit, quò minùs hæc comprehendi possint sub uno genere. Nam divisio generis in species tantò melior est, quantò major est oppositio inter species condivisas. Quod autem ad ordinem causarum attinet, perinde est, quæcunque priori loco tractetur, quia sunt quasi species univocæ ejusdem generis. Inter has autem ordo est arbitrarius. Videatur, *lib. Sent. ex.* 11, *ax.* 1. 19 *De ordine Causarum.*

Nec obstat ordo causandi, quòd scilicet forma sit quasi effectum efficientis, & finis formæ fructus, ideoque forma fini, & formæ efficiens præponi debeat. Nam inter species ordinandas non tam habetur respectus ad habitudinem, quam ipsæ ad invicem habent, quàm habitudo illa, quam habent ad genus suum. Ideoque si æquè primo genus 20

participent, æquè primò etiam tractari possunt. Exemplo declaremus: Ea quæ ad sensationem requiruntur, sunt anima, objectum, organum, & medium, sicut in visione est præter animam, color, oculus, perspicuum. Hic objectum primam activitatem habet, postea concurrit medium speciem deferens, deinde, est organum speciem recipiens, denique, est anima speciem judicans. Et tamen nullâ necessitate tenemur, ut primùm de objecto, posteà de medio, denique de organo agatur, & ultimò de anima. Quinimò si argumentum efficax esset, Finis omninò præponendus esset Efficienti, quia respectu hujus, etiam causalitatem exercet, movendo illud ad agendum. Et tamen Dounamus non admittit finem primo loco poni.

Ex his etiam plana est decisio illius quæstionis *de ordine causarum.*

21 *Ad quintum:* Prænotanda est ambiguitas in his terminis: Internum & Externum, quam præ aliis dilucidè tradit Zab. *lib. 1. de propos. necess. cap. 10. & lib. 2. de med. demonstrat. cap. 9.* Igitur internum & externum bifariam sumuntur, vel ratione essentiæ vel ratione loci & subjecti. Interna & Externa ratione essentiæ sunt, quæ essentiæ constitutionem vel ingrediuntur, vel extra eam sunt. Interna autem ratione subjecti appellantur ea, quæ (essentiam quidem non constituunt, sed tamen) intra rem hærent. Ita eruditio est aliquid internum (adjunctum) homini. Externum autem ratione subjecti dicitur, quod non intra rem hæret, sed extra rem illam est, cui dicitur Externum. Ita vestis est aliquid externum homini. Hinc igitur dico, quando causæ (in generali) dividuntur in internas & externas, tum intelligi priori modo: ideoque sola materia & forma ratione essentiæ sunt internæ. Finis autem & efficiens non sunt internæ, sed externæ.

22 *Efficiens quomodo externa & interna?*

Nunc autem specialiter respondeo. *I.* De efficiente, per verba Zabarellæ *ex lib. 1. de propos. necess. cap. 10.* Omnis causa, effectrix quæcunque illa sit, Externa dicitur, habitâ ratione essentiæ effectûs. At loco & subjecto non omnis dicitur Externa. Datur enim aliqua interna, hoc est, in eo ipso subjecto existens, in quo datur effectus. Sicut anima est causa efficiens risibilitatis. Alia autem est Externa, hoc est, extra subjectum existens, in quo est effectus, Talis causa est jugulator respectu jugulati; Interpositio terræ, respectu Eclipsis lunaris.

II. Respondeo

II. Reſpondeo *de fine:* Quòd finis in artibus dicitur eſſe internus, vel externus, non habet hunc ſenſum, quaſi alius conſtituat eſſentiam artis, alius non; ſed habet hunc ſenſum, quòd ſcilicet finis internus ſit, qui intra artem continetur ſic, ut eâ poſitâ hic ſtatim conſequatur. Externus autem eſt is, qui aſſumitur ſecundùm variam hujus vel ejus diſcentis intentionem. 23 *Quomodo finis Externus & Internus?*

III Reſpondeo *de forma:* Quòd hæc diſtinguitur in internam & externam, non eſt diſtinctio rei, ſed vocis ſolùm; ſenſuſque eſt, quòd forma aliquando ſumatur pro cauſa formali: (& hæc eſt forma interna) aliquando autem ſumatur pro adjuncto, nempe figurâ, & hæc eſt externa. Ex quo apparet formalem cauſam non dividi in internam & externam. 24 *Formæ quomodo Interna & Externa.*

IV. Reſpondeo *de materia:* Materia tranſiens eſt etiam interna cauſa: Non enim vocatur tranſiens, quia planè non manet in compoſito, ſed quia à prima ſua Entitate mutetur, et ab ea tranſeat in aliam, antequam ex ea conſtituatur, Eſt igitur materia tranſiens interna, non ſecundùm primam Entitatem ſuam (ab hac enim tranſiit,) ſed ſecundùm eam in quam tranſivit: Sic ſemen eſt materia hominis tranſiens, quæ homini interna eſt, ſecundùm quod ex eo fit os, aut nervus, aut cartilago, aut alia pars ſpermatica, Ideóque niſi commodè explicetur, accipiendum non eſt, quod quidam dicit: *De materia immanente intelligendum eſt, quod Philoſophi dicunt, materiam eſſe partem eſſentialem rei.* 24 *Quomodo materia Externa et Interna,*

Quòd autem materia ſolet dividi in internam & externam, id duplicem ſenſum habet, quorum neuter nobis officit. Nam aliqui (vulgò) per materiam internam aiunt intelligi cauſam materialem, quæ aliâs dicitur materia ex qua. Per materiam autem externam intelligunt ſubjectum, quod vocatur materia in qua Ita *Zabarell. libr. de propoſ. neceſſ. cap.* 10. *in initio.* Alii autem per materiam externam, intelligunt materiam extrinſecùs apparentem. Per materiam autem internam, intelligunt materiam extrinſecùs non apparentem. Hoc ſenſu dicitur materiam externam cœnæ, eſſe panem et vinum; internam, corpus & ſanguinem Domini. In primo ſenſu, non eſt diſtinctio materialis cauſæ, ſed vocis Materiæ ambiguitas declaratur

declaratur. Reiinquitúrque ex ea distinctione, quòd materia in quantùm causam significat, semper sit interna. Posteriori autem modo, quæ dicitur externa, hoc est, apparens, nihilominus suo modo interna est, hoc est, essentiæ constitutiva.

Quæstio III.

DE NUMERO CAUSARUM.

Articulus I.

An una sit causa, nempe efficiens?

27 *Objectio Senecæ, quòd una sit causa.*

Ita senserunt Stoici, quorum sententiam refert & confirmat Seneca *l.8.Ep 66.* Si omnia, *inquit*, sine quibus effectus fieri non potest, in numero causarum ponenda sunt, tum plures sunt numerandæ, Nimirum tempus, locus & motus, sine quibus nullus sit effectus. *In una ergo causa efficiente sistendum est, reliqua vero sunt veluti adjumenta hujusce causæ, aut conditiones necessariæ.* Atque hoc fortasse etiam sensit Augustinus *l.83.quæstionum q.28.* Dicens omnem causam esse efficientem, de quo suprà dictum notabile 1. ad *cap.* 2. Quin & Scalig. *Exerc.* 297. *f.* 3. dicit efficiens principii nomine solùm dignum.

28 *Negatur proposita quæstio.*

Quid hîc sentiendum paucis habe. I. *Efficiens non est sola causa.* Patet. Nam reliquis etiam tribus possunt reales influxus assignari, per quos referantur ad causatum, ut de singulis suo loco clarum erit. Iste autem influxus nihil est aliud, quàm causalitas: At cui convenit causalitas, illud quoque causa est.

II. Nec officit ratio Senecæ. Ad quam tria respondeo. *Primò* verum est, non ilicò causam esse, sine quo effectus fieri non potest; Nam rectè à Dd. distingui solet causa, à Conditione sine qua non: Hæc autem est vera causæ ratio, influere esse in aliud. Ex quibus *secundò* respondeo: Neutrum istorum (locum, tempus, vel motum) posse causam dici. Motus quidem causa non est, quia est influxus ipse, sive causalitas efficientis: Causalitas autem non est causa. Locus autem & tempus similiter causæ non sunt, quia nullam dependentiam habet res effecta ab istis realiter influentibus in se. *Tertiò* respondeo: Etsi aliæ causæ sint conditiones vel adjumenta efficientis, tamen præter hanc σχέσιν, quàm ad efficientem habent, habent etiam aliam ad compositum. Et ab hac causæ dicuntur meritò, ut infrà plenius dicendum est.

III. Vox

III. Vox causæ κατ' ἐξοχὴν rectè tribuitur soli efficienti. Quia enim evidentissimam causalitatem habet efficiens, hinc etiam eminentiori modo causa dicitur, adeò, ut comparando eam ad causas alias, sola possit causa dici: Atque hinc etiam est, quod aliæ causæ ferè describi solent vocibus ab efficiente sumptis, veluti, quòd omnis causa dicitur *agere*, *constituere*, *&c.* quæ voces omnes secundùm impositionem suam significant efficientiam, & ex hoc sensu explicandus est Scaliger, dicens: Solam efficientem dignam voce principii. Notandúmque est ad hanc & similes locutiones, quòd in iis exclusiva (*sola*) non excludat alia à genere, sed solùm ab excellentia vel summitate illa, quam species hæc habet præ aliis. 29

Articulus II.

An instrumentalis causa augeat numerum Causarum.

De Instrumento duæ sunt extremæ opiniones. Una, quòd instrumentum planè non sit causa. Ita sentit *Scalig. Ex. 297. sect. 3.* Instrumentum non est principium, quia non movet, nisi moveatur. Alia opinio est, quod instrumentum sit quinta aliqua causa, distincta ab aliis quatuor, ut Platonem & Galenum sensisse, testis est *Scaliger dicto loc.* Media autem sententia est, quòd instrumentum reducatur ad aliquam quatuor causarum. Alii tamen opinantur, instrumentum pertinere ad materialem causam (ita sentit Philoponus *1. Phys. t. 27.*) Alii autem referunt illud ad causas efficientes, adjuvantes. Alii autem partim ad materiam, partim ad efficientem referunt. Si fuerint instrumenta efficiendi, rediguntur ad causam efficientem. Si sint instrumenta, & præparationes materiæ ad accipiendam formam, revocantur ad causam materialem. Ita *Perer l. 8. de caus. c. 1.* 30

Pro decisione quæstionis sequentes propositiones statuo: 31

Instrumentum est causa.

1. *Instrumentum omninò est principium.* Patet ex eo, quia instrumentum habet verum influxum ad producendum causatum. Ita esse, manifestum est inde, quia causatum etiam ab instrumento dependet. Veluti scriptum à manu, fabricatio à malleo, sectio à cultro, & sic deinceps.

Solvitur objectio.

Ad rationem autem Scaligeri respondendum est, negando, quòd de ratione principii sit in Universum, movere & non moveri. Sic enim efficiens non esset causa. Hæc enim movetur

vetur à fine, ut ipſe Scalig. docet. *Ex.* 254. & 307. *ſ.* 25: Sic & adjuvantes cauſæ non eſſent cauſæ, quia hæ etiam moventur á cauſa principali:

32 *II:* Propoſ. *Inſtrumentum non eſt quinta cauſa,* Confirmatur facilè. Nam non poteſt inſtrumento aſſignari peculiaris cauſalitas diſtincta à cauſalitatibus cauſarum aliarum. Hoc autem etiam magis patebit ex ſequentibus.

33 *III.* Propoſ. *Inſtrumentum non poteſt reduci ad cauſam materialem:* Confirmatur. Nam illud, quod inſtrumentum vocamus, aut habet operationem, aut non. Si habet, non pertinet ad materiam. Hujus enim cauſalitas non eſt operari, ſi non habet operationem; jam propriè inſtrumentum non eſt. Omni enim inſtrumento communiter tribui ſolet operatio, eâque tum participata à principali agente, tum propriâ, quam habet ſibi congruam. Deinde ſi ad materiam pertinerent inſtrumenta, tum eſſent imprimis diſpoſitiones materiæ (quæ à quibuſdam inſtrumenta vocari ſolent) quibus ipſa idonea & habilis ſit ad recipiendas formas: Sed hoc non eſt. Nam diſpoſitio non poteſt aliter referri ad materiam, niſi ut ejus adjunctum. Quòd enim diſpoſitiones materiæ non exerceant cauſalitatem materiæ, apparet tum ex eo, quòd contra diſtinguuntur materia & materiæ diſpoſitio: Tum etiam ex hoc, quòd in univerſum duplex aſſignari poteſt cauſalitas materiæ; una, ut ex eâ fiat vel conſtet compoſitum: altera, ut ſuſtentet formam. Hæc autem non conveniunt diſpoſitionibus. Diſpoſitiones igitur iſtæ in materia non cauſa, ſed conditio ſine qua non ſunt.

34 *IV.* Propoſ. *Inſtrumentalis cauſa pertinet ad cauſam efficientem:* Patet. Nam habet cauſalitatem efficientis, hoc eſt, operationem. Inſtruunt autem in effectum, dum complent actionem principalis agentis. Et confirmatur ſpecialiter. quia totum hoc habent, quod ad cauſam efficientem adjuvantem, (ad quam referimus cauſam inſtrumentalem) requiritur. Ratio enim communis illarum eſt hæc: Deſervire operationi principalis agentis, per ulteriorem operationem.

35 *Objici* contra hanc propoſitionem ſolet definitio efficientis, ex *Ariſtot. lib.* 2. *Phyſ. c.* 3. *t.* 29. Efficiens eſt unde mutationis primum eſt principium. Primum autem principium non eſt inſtrumentum. Pro hujus igitur *ſolutione* ſciendum. I. Quòd aliqui exiſtiment Ariſtotelem, ibi non definire omnes cauſas efficientes, ſed præcipuas ſolum, eas videlicet, quæ

Objectio.

dignæ

dignæ sunt, ut eis simpliciter effectus tribui possit. Ita sentiunt Dd. Conimb. *lib. 2. Phys. cap. 7. q. 2. a. 3.* Et per hoc imbecillis fit objectio. II. Arnis: *in Epit. Metaph. p. 66.* Omnes causas efficientes ait esse principium primum suæ operationis. Et sic tota definitio hæc accommodabitur instrumento & aliis causis. Sic videlicet causa conservans est primum suæ operationis principium, hoc est, in conservando, adjuvans in adjuvando, instrumentum in instrumentando vel deserviendo ad operationem principalis agentis. III. Potest tamen optimè dici: Aristotelem ibi non definire Efficientem, sed loqui de efficiente in genere, & confusè, non habito respectu ad diversitatem efficientium, sed solùm contradistinguendo genus causæ efficientis à generibus causarum aliarum. Igitur conferendo efficientis genus cum generibus causarum aliarum, in efficientis genere primum motionis Physicæ principium invenimus. Esto, in particulari, non conveniat id cuivis efficienti. Et quicquid sit, quod dici possit de conservante vel adjuvante, idem dicatur de instrumentali. Nam neutra istarum primò movet, comparando eas ad alias Efficientes. Conservans agit post operationem procreantis. Et adjuvans post inchoatum motum ab agente principali.

Articulus III.

An causa Exemplaris faciat peculiare genus causæ, & ad quam Causam reducenda sit?

Exemplar (aliis appellatur idea) est forma, quam agens per intellectum imitatur. Ita fere definit *Augustin. lib. 12. de civit. Dei cap. 25.* Sic igitur sutor, exempli gratiâ, faciens calceum, facit eum secundum exemplar in mente; sartor vestem; arcularius menses; & sic deinceps. Sic & Deus, faciens res naturales, dicitur facere eas secundum peculiares ideas, quibus res repræsententur. Hoc igitur Exemplar I. Platonici causis aliis addunt. II. Discursus Senecæ *in Epist. 66. l.* 8. Ex causis Exemplar ejicit. *III* Alii ad causas reducunt, sed tamen & hoc diversimodè, ut mox apparebit. 36 37

Exemplar non est quinta causa.

Esto prima propositio: I. *Exemplar non est quinta causa:* Hæc est contra Platonicos: & probatur, quia exemplar non habet causalitatem genere distinctam à causis aliis, quod postea patebit. Ad numerum autem causalitatum numerantur causæ.

Objici

38 *Objici* hic solet: Quot modis responderi potest ad Quæstionem propter Quid, tot sunt causæ, ut *Aristot.* habet *l. 2. Phys. c. 7. t. 68.* At quinque modis hoc fieri potest: Ergò quinque sunt. Assumptum probatur per Exemplar. Nam si de picta Socratis imagine, quæ sima est, interrogetur propter Quid sima sit, non potest responderi, quod sima sit propter efficientem, vel finem, vel materiam, vel formam, sed propter Exemplar Pictoris, quod imitatus sit Pictor.

39 *Respondeo* tamen: Omninò ad hoc *propter quid* responderi posse ex causa efficiente. Propter quid igitur imago Socratis est sima? Respondeo propter efficientem, tali exemplari determinatam. Dico: *Tali exemplari determinatam.* Nam quemadmodum agens naturale determinatur ad hanc vel istam operationem, hac vel ista potentia. Ita agens per intellectum determinatur ad talem vel talem operationem, tali vel tali exemplari.

40 *Non reducitur ad finem.* *II.* Propositio. *Exemplar non potest reduci ad finem.* Probatur hoc à *Fran. Suarez. disp. 25. Metaph. s. 2. n. 3.* quia finis causalitas est Metaphoricè movere efficientem. Ratio autem exemplaris consistit in hoc, quòd sit forma determinans actionem agentis.

41 *Objici* potest: Quòd idem sit munus exemplaris & finis. Exemplaris enim munus est, ut ad ejus similitudinem fiat res aliqua. Hoc autem etiam munus est finis, unde in speciali, finis quidam solet appellari finis assimilationis. Ad *solutionem* advertendum est, rem hanc, quæ suscipit hunc respectum, ut dicatur exemplar, etiam suscipere hanc, ut dicatur finis. Igitur in quantum illa res terminat actionem agentis, & movet ipsum ad efficiendum aliquid sibi simile, hactenus est finis. Prout autem ea res regulat, & dirigit operationem agentis, hactenus exemplar est. Indèque exemplar & finis in materiali conveniunt, in formali differunt.

42 *Non reducitur ad materiam.* *III.* Propositio. *Exemplar non potest referri ad causam materialem.* Patet: Nam causalitas materiæ consistit in his solùm, ut sustentet formam, & intrinsecè perficiat compositum. Horum neutrum autem competit causæ exemplari, utpote quæ est extra exemplatum.

43 Objici potest locus ex *Arist. 7. Metaph. cap. 7. t. 23.* Ubi Aristoteles describens causam exemplarem, utitur voce ΕΞ, quæ notat materiam. Συμβαίνει προϋπάρχειν ἐξ ὑγιείας γίνεσθαι, καὶ τινὰ ὑγίειαν ἐξ ὑγιείας τῆς ἀνθρώπου, τινὰ ἐξ ὑγιοῦς

ὕλω, hoc est, contingit aliquo modo sanitatem ex sanitate fieri, & domum materiam habentem ex domo immateriali. *Respondendum* hic est: Particulam *Ex*, (ut infrà de materia plenius dicetur) non semper significare materiam. Hîc autem ex est idem, quod secundum; sicut in illo Ciceronis, ex arte dicere vel scribere, hoc est, secundum artem, &c.

44

IV. Propositio. *Exemplar non potest referri ad causam formalem.* Hæc sententia est contra *Colleg. Conimbr. l. 2. Phys. c. 7. q. 4.* Itemque contra Albertum Henric. Gandav. Ægid. Argentinen. Cajetanum & Abulensem, à Conimbricensibus *d. l.* citatos. Confirmatur assertio nostra ex officiis formæ. Omni formali causæ convenit actuare materiam, & informare, hoc est, intrinsecè perficere & complere compositum. Hoc autem non convenit exemplari, quia hoc etiam loco abjunctum est à composito. Est exemplar domûs, calcei, vestis, &c. in mente artificis, domus autem, calceus, &c. sunt extra eam.

Non reduci potest ad formam.

45

Excipiunt Conimbricenses, hæc vera esse de forma interna. Exemplar autem esse formam externam: sed esse aliquid formalem causam, & tamen externum, implicat, ut apparet ex suprà habitâ disputatione de distinctione causarum in internas & externas. Quinimò ex Aristotele, de formali causa externa (qualem aliàs etiam aliqui D. d. ponere solent in objecto ad scientiam, vel actum ejus objecti) nihil prorsus haberi potest. Semper is loquitur de forma, quæ interna sit.

Objectio. Solvitur.

46

Duo *objici* solent. *I.* Exemplar eatenus causare dicitur, quatenus passim imitatione certam formam indit rei factæ per artem. Sed hoc est munus causæ formalis. *II.* Idem confirmatur ex ratione exemplaris. Nam apud *Dionys. c. 5. de Divin. Nom. Augustin. l. 83. qq. Boëtium l. 1. de Trinit.* Proclo aliisque Platonicis, Ideæ vocantur formæ. Et pro hoc etiam facit nominis Etymologia. Nam quod Græcis ἰδέα, hoc Latinis forma est. *Hæc DD. Conimbricenses.*

Objectiones Conimbricenses.

47

Respondeo *ad primum*: 1. Principalis ratio exemplaris est dirigere, & regulare, & determinare agens intellectuale. 2. Indere formam non est influxus formæ, sed efficientis. At exemplar indit rei alii formam: Ergo forma non est, sed efficiens.

Solvuntur.

Ad secundum respondeo, 1. Ex notatione ducitur infirmum argumentum. 2. Commodè potest explicari, quod

48

exemplar

Exemplar forma dicitur. Potest igitur Exemplar forma dici. 1. Respectu agentis, quam suo modo informat, & in actu constituit, ut sit sufficiens ad agendum, 2. Respectu rei exemplatæ potest etiam forma dici, Non quia respectu hujus causalitatem formalem exerceat, sed quia hujus imago sit.

Idea, quo respectu sit forma.

Nam imagines rerum solent dici rerum formæ. Vide *Soarium in Metaph. disp. 25. s. 2. n. 15.*

49 *V.* Exemplar si causalitatem habet, pertinet ad causam efficientem. Hæc propositio est contra prioris propositionis assertores, & est consentanea doctrinæ *Alensis 1. prior. q. 23. membr. 4. Scoti 1. dist. 2. q. 2. & dist. 36. a. 1.* Et *Suarez. disp. 25. Metaph: s: 2. n: 8. seqq. Perer: l. 8. de causis, c. 1.* aliorumque: confirmatur hæc propositio: Sicut se habent potentiæ naturales in agente naturali. Ita se habent ideæ in agente per intellectum. Utriusque enim munus est determinare agens, alioqui indifferens, ad certam operationem. Sed potentiæ naturales non habent aliam causalitatem, quàm effectivam: Ergo nec ideæ. Dico autem: *Si habent Causalitatem*, Imprimis, quia dubium est, an potentiæ sint principia agendi, an verò conditiones solùm agentis, quorum posterius, contra Thomam amplectitur *Zabarel. lib. de facultat. an, cap: 4.*

50 Argumenta contra hanc propositionem nulla invenio, nisi quæ confirmant superiores conclusiones à nobis rejectas. Istis igitur solutis, nihil solvendum restat.

Articulus IV.

De Causâ sine qua non.

Causa sine qua non appellatur ea conditio, quæ ad rem 51 efficiendam, absque tamen influxu causali, pertinet. Unde statim sequitur, hanc non esse causam. Omnis enim causa debet habere causalem influxum sive causalitatem. Exempla illius causæ sine qua non, multa sunt. Tale quid est medium respectu sensionis, crepusculum matutinum respectu dici, remotio puruléntiæ ex vulnere, ut sanetur, &c.

Duo hic *objici* possunt: *Primò*, à conjunctis ad divisa valet consequentia. Ergò Causa sine qua non est Causa. *Secundò:* Causa sine qua non habet habitudinem consentaneam ad causatum. At non est ea habitudo subjecti ad adjunctum, nec adjuncti ad subjectum. Ergo est causæ ad effectum.

Respondeo

Respondeo ad primum: Causa (sine qua non) est Causa, sed nomine tenus & tituló tenus solùm, sicut & alias sæpè contingit, ut nomen rei tribuatur, etiam cùm res nomine significata non subest, sicut fit in homonymis, juxta eorum definitionem, *tib. Categ. cap. 1.*

Ad alterum respondet *Goclenius par. 1. probl. Log. q. 15.* 34
Causam (sine qua non) pertinere ad adjuncta, nisi fortè locum, sine quo nihil fieri potest, ad subjectum referre malis. *Hæc ille.* Sed vera non est assertio hæc, Causam sine qua non semper pertinere ad adjuncta, vel etiam (propter locum) ad subjecta. Nascitúrque talis opinio ex alia falsa, quòd præter causam & effectum, subjectum & adjunctum, non dentur alii loci Consentanei. Certè crepusculum matutinum, dici, & remotio purulentiæ, sanitatis non potest esse adjunctum. Adjunctum enim posterius est suo subjecto. Illa autem priora sunt. Dicendum igitur: Causam sine qua non ut plurimùm pertinere ad Locum Antecedentium. Antecedentia enim sunt ante rem sine influxu causali ad illam, ut infrà constabit.

Articulus V.

In quo probatur quatuor esse Causas.

I. Probatur sic quatuor esse Causas. Quot sunt ea à quibus Causatum dependet, tot etiam sunt Causæ. Causæ enim ratio consistit in hoc, ut influat esse in aliud: Illum autem influxum in aliud, indicat hujus dependentia ab illo: Quatuor autem sunt (non plura, non pauciora) à quibus res dependet. Ergò etiam quatuor tantùm sunt causæ. Assumptum patet. Nam vel dependet id quod causatum dicimus ab alio sic, ut influat in se intrinsecè, vel ut influat extrinsecè. Si illud, tum vel dat causalitatem confusè, & tunc est materia; vel dat Entitatem distinctè & specificativè, & tunc est forma. Si autem extrinsecè, tum vel influit ad eam per motum Metaphoricum, vel per motum propriè dictum. Si illud, tunc est finis, si hoc, tunc est efficiens. 35

II. Probatio sumi potest ex *Aristotele, lib. 2. Phys. cap. 7. t.* 36
68. Quòd quatuor causæ sint numero manifestum est, *inquit*, Totidem enim quæstio ea comprehendit, quâ propter Quid quæritur. Nam quæstio propter Quid, aut ad formam reducitur, aut ad id quod primùm movet, aut ad id cujus gratiâ, aut materia est, &c. Integer Syllogismus *Aristot.* hic

est: Tot sunt causæ, quot modis respondetur ad quæstionem propter Quid. Sed ad hanc quæstionem quatuor modis respondetur, nempe vel ex forma, vel efficiente, vel fine, vel materiâ: Ergo etiam quatuor sunt causæ. Addendum autem hîc vocem *Propter*, non speciatim, (quomodo solùm finem indicat) sed generatim sumi.

37 *III.* Probare sic possumus thema nostrum. Si in rebus naturalibus non reperiuntur plures causæ, quàm quatuor, tum non sunt his plures causæ. Hæ enim quia maximè compositæ sunt, propterea procul dubio à plurimis pendent. Priùs autem patet facilè. Nam imprimis, nullum corpus naturale potest seipsum generare. Quicquid enim generatur, est in potentia ad esse. Quodcunque autem est in potestate reducitur in actum ab alio, quod est actu. Per *Arist. lib. 9. Metaph: cap:* 8. Hoc autem reducens in actum est *efficiens*. Nullum autem efficiens agit, nisi moveatur aliquo bono. Hoc autem bonum efficientis, propter quod ipsum agit, est *finis*. Jam tertiò efficiens in rebus naturalibus non agit ex nihilo. Nihilum enim non est objectum virtutis naturalis & creatæ, in quod ipsa actum aliquem exercere possit. Est igitur sic *materia* necessaria. Denique materia, quia est aliquid confusum, & potentia solùm, propterea nulli rei potest dare ultimam perfectionem, distinctionem, & actum. Requiritur igitur ultrà hæc omnia aliud quid, quod hæc præstet: hoc autem est *forma*. Sic igitur in universum quatuor sunt causæ. Plura qui cupit, legat Simplicium. *l. 2. Phys. c. 3. t. 68. Avicennam l. 3. Met. c. 3. Colleg. Conimbr. l. 2. Phys. c. 7. q. 2. art. 5. Perer. l. 8. de Phil. c. 1. alioſque.*

38 Argumenta quæ contrà veritatem hujus articuli afferri possunt: vel confirmant, etiam alias esse causas: vel impugnant, quòd singulæ harum (hoc est, materia, forma, efficiens, & finis) causæ dicantur. Prioris generis argumenta soluta sunt in prioribus articulis hujus quæstionis. Reliqua autem speciatim ubi opus erit, solventur, ubi specialiter de singulis agendum erit.

CANONES.

39 *I. Omnis causa est prior effecto.* Ex *Arist. 2. post. t. 9.* αἴτιον τὸ πρότερον καὶ αἴτιον, Sic & *Scalig. l. 1. de plant. p. 95.* Nemo vel mediocriter sapiens dicet, consequens esse causam antecedentis. Intelligitur autem de proprietate naturæ, & tùm patet. Naturâ prius dicitur, à quo aliud dependet, per-

Arist.

Arist. l. Categ. c. 12. At omnis effectus dependet à causa: Ergo omnis effectus est naturâ posterior suâ causâ. Intelligitur autem axioma de re, quæ causa est, non de argumento. Nam sic, quia causa relativè dicitur ad causatum, non potest causa prior esse effecto, sed est simul cum eo. Sed de hoc axiomate postea plura erunt, *ax.* 4. 60

II. Omnis causa est notior suo effecto. Hoc sequitur ex priori: Nam modum essendi sequitur modus cognoscendi. Unde quod ordine naturæ est prius, etiam prius notum est, quàm alia. Loquor autem de notitia distinctâ, & quæ est à priori: nam à posteriori effecta sunt notiora causis, & inde cognoscuntur causæ à posteriori, per suas operationes. Anima cognoscitur ex motu & sensu. Deus ex operibus creatis, & sic deinceps.

III. Causa est nobilior effecto. Vulgò hoc dicitur, & sumitur ex Commentatore 2 *Phys. comm.* 4. Est autem duplex sensus, secundùm quem verum est axioma. *Prior* est, si causa sumatur complexè, quasi, ut implicet omnia quatuor causarum genera: Ergò causa (loquendo de toto genere causatum) est nobilior effecto. Cùm enim effectus, quicquid habet, habeat à suis causis, impossibile est, ut in effecto plus sit, quam in causis est, formaliter aut eminenter. Aliter intelligi potest de causis, secundùm quod intelliguntur *ut producentes*; & de effecto, secundùm quod intelligitur *produci*. Beatius enim est dare, quàm accipere. *Act.* 20. *v.* 35. Atque sic hanc dependentiam considerans Augustinus *in l.* 33. *qq. q.* 2. Omne quod fit, ei à quo fit par esse non potest. Extra hos sensus considerando in particulari quamvis causam; Et comparando cujusvis Entitatem cum Entitate compositi, sic de singulis causis dubium est axioma nostrum. De singulis videbitur in particulari doctrina causarum. 61

IV. Causa & effectus sunt simul. ἅμα τὸ αἴτιον καὶ τὸ αἰτιατὸν ait *Aristot.* 2. *Rhet. c.* 23. Et vide 5. *Metaph. c.* 2. Tractat latè hujus axiomatis expositionem *Suarez. disp.* 26. *in Metaph. s.* 2. ut conciliet cum eo, quod dicitur, causam priorem esse effecto. Dicendum autem est 1. Aristotelem loqui nunc de simultate temporis. In quo (tempore) nobilissimo modo spectatur prius & posterius, ut simul sit docetur *l. Categ. cap.* 12. Unde sic nihil absurdi nunc est, quod Aristoteles indeterminatè loquens, intelligitur tamen determinatè, de simultate temporis. 2. Tempore autem sunt simul, causa & effectus, 62

quatenus causa consideratur ut actu causans. Et tum patet, Quia enim causa non aliter actu causat, quàm ut influat, atq; sic effectus à causa pendeat, idcircò impossibile est, ut tempus sit, quo Causa causet, & tamen non sit quod fiat à Causa.

63 V. *Omnis causa est principium.* Est *Arist. 5. Met. c.* 1. Est autem hîc considerandum, principium hic bifariàm sumi. Aliquando sumitur populariter, & est idem quod initium, ac opponitur extremo, vel termino. Hæc significatio non est ad præsens. Aliter principium opponitur principiato, quomodo principium dicitur illud, ad quod aliud, quacunque ratione est consecutivum. Sed hic quæritur:

An principium & Causa idem sint?

64 Causa hujus quæstionis nata est ex variis locis *Aristotelis*, quibus diversas habitudines principii ad causam significavit, ut communiter ferè referunt Metaphysici in hac quæstione.

65 Igitur *primò* dico, *Principium non esse angustius Causâ.* Ità patet, quia *Aristot. lib. 5. Metap. cap.* 1. Principium facit prædicatum Causæ. At nullum prædicatum est angustius subjecto.

66 *Objectio.* Hic objicitur: Quòd *Aristoteles* ad rationem principii requirit, quòd excludere debeat causam superiorem, *lib. 5. de gen. anim: c.* 6. At Causa potest esse sive habeat causam aliam superiorem, sive non. Nam Causa secunda adhuc causa est.

67 Responsio communis ad hoc est: Quod *Aristoteles d. l.* non loquatur de principio in communi, sed solum de principio primo. Hoc autem excludit superiorem causam, non quia principium est, sed quia *primum* est.

68 II Dico, *Causam & principium non esse* æquipollentia, ideóq; nec æquè latè patere. Ita apparet, quòd plura principium complectitur, quàm causa. Principium secundùm *Aristot. 5. Met. c.* 1. dividitur in principium essendi, & cognoscendi. Atque adeò principium comprehendit etiam axiomata. Talia enim sunt principia cognoscendi. At causa ista non complectitur. Sic conditio sine qua non, est principium. At Causa non est. Privatio est principium: At non est Causa; ut *Scalig.* ait 2. *de plant. p.* 38. Sic materia est principium motûs. At non est Causa motûs. Et sic in aliis.

69 *Objectio.* Objicitur hic: Quòd *Arist.* ait 4. *Metaph: c.* 2. Similiter comparari unum ad Ens, & principium ad Causam. At unum.

&

& Ens convertuntur. Ergò etiam cauſa ac principium. Et ſic etiam *Ariſtoteles* privationem cauſam vocat, 12. *Met. cap.* 2. At id fieri non poſſet, niſi principium & cauſa æquè latè patèrent.

Reſpondeo primò *ad poſterius:* Vocem cauſæ ἀνωμολόγως ſumi cùm extenditur etiam ad privationem. Id patet, quia *Ariſtoteles* propriè ſumens vocem cauſæ, ſemper eam dividit in Efficientem, materiam, formam, & finem. At privationem ab his principiis diſtinguit ſemper *in lib: Phyſ: Acroaſ.* atq; ſic ſub cauſa non comprehendit privationem. Et aliàs ſemper latiùs patet, quam cauſa, etiam impropriè dicta. Nam auroram vocamus principium diei. At cauſa dicitur nullo modo. 72

Ad prius reſpondeo: Suppoſito, quòd ſimilitudo non dicatur ad omnia, Ens & unum comparati cum principio & cauſâ, non quòd hæc ſint convertibilia, ſicut iſta, ſed quòd ſint eadem. Identitas autem eſt intra cauſam & principium, in quantum principium genus eſt ad cauſam. Ita *Suarez, diſp.* 12. *in Metaphiſ. 1. num.* 26.

III Dico: *Principium latiùs patere quàm Cauſam.* Hoc ex dictis relinquitur. Ac principium quidem, ut ſic, dicit nihil aliud, quàm unius conſecutionem, ſive ſit cum vero influxu, ſive non, & proinde præſcindit à conditione, quam cauſa ſuperaddit. Cauſa igitur ſic eſt principium, per cujus poſitivum influxum aliud ab eo conſequatur. 73

VI *Omnis Cauſa influit in effectum.* Hujus veritas ſumitur ex definitione cauſæ, ejúſque à principio diſtinctione. Et ille quidem influxus eſt intelligendus cum proportione ad cauſam, neque enim omnes cauſæ eodem modo influunt. Cauſa efficiens influit agendo; cauſæ intrinſecæ, componendo intrinſecè; cauſa finalis, movendo Efficiens. Ex hoc ſequitur, quòd nihil poſſit eſſe cauſa, accuratè loquendo, quod ſolùm ſe habeat privativè. Dicetur igitur ſolùm cauſa per ἀνωμολογίαν, ſicut *Ariſt.* ait, *l. 5 Metaph: c. 2.* Quod cùm adſit alicujus cauſa eſt, idem cùm abſit cauſa contrarii nonnunquam dicitur: ut abſentia gubernatoris naufragii, cujus præſentia ſalutis cauſa erat. 73

VII. *Omnis cauſa agit.* Eſt apud *Scalig. ex. 12. ſ. 3. 307. ſ. 27. & l. 2. de plant. in init.* Et eſt ejuſdem ſenſûs cum priori. Agere enim hic influxum & cauſalitatem ſignificat, ſive id fiat aliàs actione, ſive paſſione. Ita enim quandoque actio 74

sumitur. Veluti cùm dicitur: unaquæque res est propter actionem suam, tanquam propter finem. Ibi actio sumitur late, pro omni usu. Alias enim multæ res non habent actionem, ut potentia passiva, cujus actio, hoc est, usus, est passio. Etsi igitur materia causet patiendo, hoc est, sustentando & recipiendo formam, tamen hoc ipso etiam agit. Hoc ipsum enim est materiæ officium, vel usus. Aliàs autem cùm agere sumitur specialiter, tum soli efficienti, quod idcircò agens & efficiens dicitur, convenit agere. Et forma si agat, non agit tamen in quantum forma est, sed in quantum efficiens est. Verbum, inquit, ad solam efficientem pertinet, si fideliter loquamur, ait *Scalig. 2. de plant. p. 390.*

VIII. *Nihil sine Causâ.* Ἀνὰ αἰτίαν ἐστὶν ὅτιν, ait *Arist. 2. Rhet. c. 23.* Excipiendum tamen est primum Ens, cujus nulla causa est, vel explicandum est ὅτι per γένη. Nihil *fit* sine Causa, quomodo *Melissus* ait apud *Arist. 1. Elench. c. 5. §. 8.* Ἅπαν γιγνόμενον αἰτίαν ἔχει. *Omne quod fit sive generatur causam habet.* Estque tum intelligenda generatio naturalis. Nam filius gignitur in divinis, qui tamen causam non habet, sed etiam primum Ens est. Estque id propter infinitatem divinæ essentiæ, quæ eadem numero communicari potest à gignente. Hoc autem supra rationem Causæ est, ut producat idem numero.

IX. *Nihil est causa sui ipsius.* Axiomatis veritas clara est, quia ejus oppositum includit contradictionem, quia sic idem poneretur & esse & non esse. Nam nondum esset, quia adhuc lateret in Causa, & esset demum producendum. Et tamen esset, quia haberet realem operationem, hoc est, productionem, qua influeret ad esse dandum alicui.

Objicitur: Quòd aliquod Ens dicitur Ens à se. Ens aliud à se est, aliud ab alio. Illud est Deus. Quid autem esse à se, est aliud, quàm esse sui ipsius Causam? Et sic *Hieron. ad Ephes. cap. 3.* ait: Deus sui origo est, luxque causa substantiæ. Tales locutiones passim occurrunt. *Respondendum* est, hæc omnia esse solùm intelligenda negativè. Deus igitur dicitur esse à se, non quia se produxerit, sed quia non est ab alia causa se producente. Et sic etiam Deus ipse est sibi causa, hoc est, non habet sui causam extra se. Non enim probandum est, quod *Lactantius l. 1. de vera relig. cap. 2.* existimat, Deum aliquo tempore se fecisse. Vide *Suarez disp. 28. in Metaph. sect. 6. 7.* Cæterùm Pererius limitat ad causam efficien-

efficientem axioma. Vide *lib. 7. Phys. c. 21.*

X. *Privativum non est causa positivi:* Hoc infrà plenius declaratur *can. 21: in Canonibus:* Generaliter hic dici potest: Non Ens non potest esse Causa: Et apparet veritas: Quod causa est, hoc habet verum influxum. At quomodo influere potest, quod non est? Qualicunque tamen accommodatione, Non entibus, (veluti entibus rationis & privationibus) tribuitur vis causandi, in quantum assimilantur entibus realibus. 77

XI. *Nullius Causæ effectus est non Ens.* Ita August. ait, peccatum non habere efficientem. Patet. Nam causa, qua talis est, influit esse in aliud. Ergo effectus accipit esse à suis causis. At non Ens non habet esse. Dicendum tamen hic est, ut in priori, quia non entia intellectus sæpe apprehendit ut Entia, atque sic Entia rationis fiunt, idcirco proportionaliter quandoque privationes effecta dici. Ita quærimus de causis peccatorum, aliorumque defectuum. 78

XII. *Qualis causa, talis est effectus.* Variæ traduntur hujus Canonis expositiones. Ego limito ad causas efficientes *Univocas.* Hæ igitur semper sunt similes effectibus suis, quoad attributa *Essentialia.* Talis causa est pater tilii: Ergo si pater sit homo, etiam filius est homo. Et si iste est rationalis, aut risibilis, etiam filius talis est, & vicissim. Extra hæc si asseratur consequentia, ea non necessaria, sed contingens, & materialis est. Ita non sequitur, si Deus sit æternus, quòd etiam mundus sit æternus, Deus enim est causa æquivoca. Nec sequitur: Si pater sit doctus, quòd etiam filius sit doctus. Nam hoc attributum (doctum esse) est accidentale. 79

XIII. *Causa causæ est etiam Causa causati.* Hoc etiam intelligitur de causa efficiente. Et sensus est, quod cùm causa efficiens producit effectum, & illud vicissim producit aliud, quod tum ista causa etiam hujus effecti ultimi causa sit. Ita quod producit ignis formam, etiam producit calorem, qui ab ignis formâ efficitur, vel emanat. Existimo autem axioma necessitatem solùm habere in eo effectu, qui à causa media est per naturalem resultantiam, vel emanationem. Quomodo alias intelligitur regula, *Deus formam dat consequentia formæ.* Ea intellige, quæ per talem resultantiam sunt à forma. 80

Solet ad hoc axioma quæri: Quomodo Deus non sit causa peccati, cùm Deus sit causa voluntatis humanæ: Et illa voluntas 81 *Quæstio de causa peccati.*

Quæstio de causa peccati.

voluntas sit causa peccati. *Respondent* aliqui. Canonem non valere, quando causæ superioris, & causæ mediæ, & ultimi causati subordinatio est accidentalis. Quomodo non sequitur: Mali mores sunt causa bonarum legum. Et bonæ leges ornant politiam: Ergo etiam mali mores ornant politiam. Nam mali mores accidentaliter sunt causæ bonarum legum. Et sic, etsi Deus sit causa voluntatis. Hæc autem sit causa peccati, tamen Deus non est causa peccati, quia voluntas ordinatur ad peccandum accidentaliter. Quanquam hic verum sit, non valere axioma in tali subordinatione accidentali, tamen non satis determinatur axioma sic: Causa causæ est etiam causa causati, scilicet, *in Non accidentaliter subordinatis.* Nam Pater est causa per se filii. Et filius est causa per se suarum operationum, veluti quod disputat, currit, concionatur, edit, bibit. Et tamen pater non est harum actionum causa. Neque enim filio sic agente, pater dicitur disputare, currere, &c. qui sæpè tum superstes non est.

Nihilominus quandoquidem Calviniani sic determinant illud axioma (vide *Krek. l. 1. Syst. Log. p.* 143.) potest ex eâ concludi, quod per hypotheles Calvinianas Deus sit causa peccati. In quantum scilicet dicunt: Peccata fieri ex Dei decreto & ordinatione. Videatur *Beza Resp. 2. ad Colloq. Mompelg. p.* 175. Decreto enim divino non accidentaliter, sed necessariò subordinatur illius decreti executio, sicut propterea ibi *Beza* dicit, *p.* 178. oportuisse hominem labi sumptâ necessitate ex decreto divino. Sic igitur colligimus: Deus est autor sui decreti, & illud decretum operatur peccatum. (Quid enim dicemus aliud secundum Calvinianos?) Ergo etiam Deus operatur peccatum.

Melius proinde respondetur, quòd vi hujus axiomatis non sequatur, quòd Deus sit causa peccati, quia peccatum non fit ab homine per naturalem resultantiam vel emanationem, sed longè post productionem voluntatis. Peccatum autem originale etsi homini comproducatur, tamen nec de hoc valet axioma istud. Nam hujus peccati homo genitus causa non est. Axioma autem loquitur de causato causæ mediæ.

XIV. Posità causâ ponitur effectus, & sublatâ tollitur. 1. Præcisè hoc verum est de causa & effectu relativè sumptis. Relata enim se ponunt & perimunt. 2. Loquendo de rebus ipsis, sic positâ causâ in actu, (non in actu, Entitatis suæ

ræ, sed in actu causandi) ponitur effectus, quoad fieri suum. Vide *axiom.* 4. Ita etiam sublatâ causâ, tollitur effectus, quoad fieri suum. Ita si in Baptismo ablatum sit peccatum originale, postea non potest alia gignere. Dicam clariùs: Effectus alius est ἐνέργεια operatio, alius ἔνεργμα opus. Ergo sublatâ causâ tollitur effectus, qui est ἐνέργεια. At non necessariò sublatâ causâ tollitur ἔνεργμα. Sublato architecto tollitur ædificatio ejus, at non tollitur domus quam fecit. Nam à secundis causis & particularibus pendent effecta in fieri solùm, non in facto esse. Quanquam autem axioma inprimis loquatur de efficiente, tamen de materia & forma, & fine similiter verum est, quòd cum ea actu causantia sint, similiter sint effectus, ut de efficiente dictum est.

CAPUT III.

De Causa Efficiente.

1 Efficiens est causa, à qua res est.

2 Ejus variæ sunt distinctiones. *I. Efficiens est Progreans; vel Conservans.*

3 Progreans est, à qua res à non esse ad esse producitur. Conservans est, à qua res in suo esse, quod habet, conservatur.

4 *II. Causa est Solitaria, vel Socia.*

5 Socia est, quæ aliam habet coordinatam, ad productionem effectus. Sic duo Equi sunt causæ Sociæ in trahendo curru.

6 Solitaria est, quæ non habet causas coordinatas. Sic Nisus solus causa cædis Rutilorum. Æn.

7 *III. Efficiens est principalis, vel instrumentalis.*

8 Instrumentum est, quod ab alia causâ elevatur ad effectum virtute suâ superius producendum.

9 Principalis autem causa est, quæ instrumento utitur.

10 *IV. Efficiens est per se, & per accidens.*

11 Per se est, quæ suâ facultate efficit, hoc est, Naturâ, vel consilio.

12 Per accidens, quæ efficit facultate alienâ, hoc est, præter naturæ propensionem, vel animi propositum.

13 Per se est vel Naturalis, vel Voluntaria.

14 Voluntaria, quæ cum deliberatione, vel libertate arbitrii efficit.

15 Naturalis,

15 Naturalis, quæ agit sine deliberatione, ex necessitate & instinctu naturæ.

16 Efficiens per Accidens est, quæ agit casu, vel fortunâ.

17 Causa casualis est causa naturalis, quatenus præter effectum suum per se, conjungitur cum alio effecto, raro & accidentarie.

18 Fortuita causa est causa per accidens in iis, quæ operantur ob aliquem finem ex electione, neque semper, neq; ut plurimùm.

19 *V. Agens est Univocum, vel Æquivocum.*

20 Univocum est, quod producit effectum sibi simile in specie, ut dum homo hominem, leo leonem, calor calorem generat.

21 Æquivocum est, quod producit effectum dissimile in specie, ut cùm Sol ranas, aut sucor calceum efficit.

22 *VI. Agens est per Emanationem, vel per Transmutationem.*

23 Agens per Emanationem est, à quo resultat effectus non intervenientе accidente alio. Sic forma efficit potentias naturales sui compositi.

24 Agens per Transmutationem est, quod agit mediante accidente. Sic ignis calefacit mediante suo calore, aqua frigefacit, mediante suâ frigiditate.

25 *VII. Causa est Universalis, vel Particularis.*

26 Universalis est, quæ in plures res producendas indifferenter influit, ut Deus & Sol respectu rerum naturalium.

27 Particularis est, quæ determinatè attingit certam speciem, ut sunt omnes causæ inferiores.

28 *VIII. Causa est prima vel secunda.*

29 Causa prima est Deus. Causæ secundæ sunt omnes reliquæ.

30 *IX. Efficiens est internum, vel externum.*

31 Internum, quod in se recipit effectum suum. Sic anima est Causa suarum Facultatum.

32 Externum, cujus actio transit in subjectum Extraneum, sic ignis est causa caloris in aqua.

33 Distingui etiam solet *efficiens in Moralem & Physicam*

34 Moralem vocant eam causam, quæ verè quidem non efficit, sed tamen talis est, ut ei imputetur effectus, Talis est Causa rogans, consulens, non impediens.

35 Physica autem est, quæ verè & realiter efficit.

36 Cæterum

36 Caeterùm causalitas efficientis est actio.

37 Agit autem efficiens. 1. respectu materiæ, quam disponit & alterat. 2. respectu formæ, quam in materiam introducit, atque sic 3. respectu Compositi, quod introducens in illud formam, efficit.

COMMENTARIVS.

PRIMÒ.

1 *Optimè fieri initium ab efficiente.*

De ordine Causarum aliquid diximus, *c. superiori, q. 2. ad quartum.* Ubi diximus, ordinem esse arbitrarium. Nunc notandum, quod optimè initium fiat ab efficiente, quia ea, quæ ad causandum pertinent, in hac Causa evidentissimè conspiciuntur, adeò, ut aliæ causæ illustrentur & doceantur, petitis vocibus ex doctrina Causæ efficientis, inprimis, quod causalitates earum solent significari vocibus actiones significantibus.

SECUNDÒ.

De definitione Causæ Efficientis.

2 Ex *Aristotele* definiri solet sic: Efficiens est principium primum motûs. Ita habet *Pever. lib. 8. Physic. cap. 2.* Vel sic: Efficiens est, unde est primum principium motûs & quietis. Sumi autem solent hæ definitiones *ex 5. Metaph. cap. 2. & 2. Phys. t. 2.*

Sed tamen si quod res est, fatendum sit, Aristoteles non voluit ibi definire nomen efficientis, sed voluit solùm per quandam Periphrasin nominare hoc genus Causæ. Sicut & nomina aliarum causarum circumloquitur. Sic enim loquitur in Metaphysicis: Causa uno modo dicitur, ex qua insita aliquid fit (materia.) Alia verò species & Exemplar, quæ est ratio ejus, quoad quid erat, esse (Forma.) item unde principium mutationis primum, aut quietis (Efficiens.) item ut Finis, &c.

Quòd autem legitima non sit definitio, vel ex eo apparet, quia non omnibus efficientis speciebus convenit esse primum principium motûs, ut saltem patet de instrumentali causa, quæ non movet nisi mota, ut *Vvalhg.* docet *exerc. 197. s. 3.* Deinde non definita est ibi efficiens ex principali suo effecto, sed ex minùs principali. Nam duo sunt ab efficiente, primum actio sive motus, deinde res alia per actionem facta. Et hæc posterior absolutè dici solet effectus, illa autem magis appellatur causalitas, quàm causatum, indeque Suarez existimat solùm

solùm aliquo modo actionem dicendam esse Effectam, *Disp. 18. Metaph. s. 2. n. 8.*

5 *Defenditur propria definitio.*

Melior igitur est definitio hæc: Efficiens est causa à qua res est. Quam ante Ramum usurpavit *Cic. in Topic.* & Plutarchus ex Platone *in lib. 1. de placit. Phil. cap. 10.*

Particula *A*, vel *AB*, notat peculiarem causalitatem efficientis. Sicut enim materia particulâ *Ex*; Forma particulâ *Per*; Finis particulâ *Propter*; Ita Efficiens per *A* & *Ab* significatur. Videatur Scal. *l. 3. de causis Lat. ling. cap. 72.* Ab aliquo autem aliquid esse dicitur, quod per ejus actionem est. Igitur efficiens est, quod tale est, ut per ejus actionem aliquid sit.

Vox (Est) sumenda est latè, quod optimè intelligitur applicando eam ad varios efficiendi modos. Igitur Efficiens est, à qua res est, vel per procreationem, vel per conservationem; vel principaliter, vel instrumentaliter, &c.

Tertiò.

Quærit. *An efficientis causalitas sit actio?*

6 *Objectiones.*

Ita ponitur *in Theorem. 36.* & sentit ita hodie maxima pars Logicorum & Metaphysicorum. Sed res non caret controversiâ. Aliqui enim existimant, causalitatem efficientis non esse actionem, sed dare efficiendo esse effectui. Videatur Javel. *5. Metaph. q. 4. Hervæus quodl. l. 4. q. 8. Soncinas lib. 5. Metaph. q. 4.* aliique. Probatur autem actionem non esse causalitatem efficientis. 1. Quia ipsa actio est effectus efficientis. Pendet enim ab efficiente. Et hinc Ramus *l. 1. Dial.* dicit: Effectum esse non solùm rem motu factam, sed etiam motum, qui est actio ipsa. Causalitas autem non est Effectus suæ causæ. Nam causalitas est ratio, secundùm quam causa attingit effectus suos, unde distinctio inter causalitatem & effectum est evidens.

II. Arguit etiam contra hoc Timplerus *lib. 3. Metaph. q. 45. 46. cap. 2.* Si actio esset causalitas Efficientis, tum omne Efficiens esset agens: at hoc non. Nam nihil propriè potest dici agens, quod non sit substantia. Sed multa Entia possunt dici efficientia, quæ tamen non sunt substantiæ. Sic quantitas, qualitas, relatio, & motus, sive actio & passio, substantiæ non sunt, nec *agunt*, & tamen sunt efficientes causæ. Hæc Timplerus.

7 *Causalitas quid sit?*

Defendenda tamen est sententia suprà posita. Ubi declarandum

randum prius est, quid per causalitatem sit intelligendum. Igitur causalitas est id, quo causa attingit effectum, adeóque per quod constituitur actu causans, & influens in effectum producendum. Ad hoc assumo: Actio est id, quo efficiens constituitur actu causans, & quo attingit effectum suum. Ergò actio est causalitas Efficientis. Probatur assumptum: Per hoc enim constituitur aliquid actu causans, quod potentiæ causandi adjungitur. Causa enim cùm intelligitur tantùm habere potentiam agendi, nondum est actu agens vel efficiens. At nihil fingi potest in efficiente additum supra potentiam agendi, præterquam actio. Ergò actio constituit efficientem actu causantem. Deinde idem etiam efficaciter probatur sic: Si aliud quid est causalitas efficientis distinctum ab actione, tum vel est ante actionem, vel post actionem, vel simul cum actione. Non potest esse ante actionem. Quicquid enim ante actionem est, id tale est, ut si actio non sequatur, nihil dicatur efficiens. Non est post actionem, vel simul cum actione: Quia causalitas est ordine naturæ prior effectu, cùm sit ratio producendi hunc. At, ut ipsi volunt, actio etiam est effectus agentis, et respectu ejus etiam efficiens habet causalitatem. Ergò actione posterius, vel etiam simul cum ea, non potest esse id, quod est efficientis causalitas. Suarez (qui legi potest de hac re, *tom. 1. disp. Metaph. disp.* 18. *s.* 10,) hæc posteriora sic probat: quicquid est posterius actione, hoc est terminus ejus, vel aliquid posterius termino. Ergò multò minùs potest pertinere ad causalitatem primæ Causæ, quàm ipsa actio. Nam terminus proprie est Effectus talis causæ primarius, vel secundarius. Esse autem aliquid concomitans actionem, in quo consistit causalitas efficientis, nec intelligi, (inquit) nec declarari potest, quidnam hoc sit. Videatur etiam Colleg. Conimbr. *lib. 2. Phys. c. p. 2. q. 7. art. 2.*

8 *Solvuntur Objectiones*

His confirmatis respondendum est *ad primam* objectionem: Verum est, actionem esse effectum efficientis. Et tamen actio est efficientis causalitas. Hoc enim verum est etiam de aliis causalitatibus, quod, à suis causis pendeant, & posteà sint ratio vel via, per quam producantur effectus. Sicut patet de Unione, quæ est à forma, & est formæ causalitas. Unde sicut ad producendam Unionem (quæ formæ causalitas est) forma non necessariò habet causalitatem hâc priorem, per quam Unio sit ab illa. Ita enim actio non prærequirit causalitatem in efficiente, per quam actionem ipsam producat.

Ad

Ad secundum negandum est antecedens, quod non probatur à Timplero. Nam qualitatibus certè communissimè tribuitur operatio, quæ propterea activæ dicuntur. Alia autem accidentia operationes etiam habent, etsi non eiusdem generis. Quantitas operatur spiritaliter. Est enim sensile commune 2. *de anim. apud Arist.* Operatur etiam per Emanationem, dum efficit figuram. De aliis mitto.

Quarto.

De causa procreante & conservante.

9 *Exempla causarum conservantium, & procreantium*

Ex singulorum definitionibus satis clarè patet, quid per singula intelligatur. Exempla sunt: Otia sunt causa amoris procreans & conservans, apud *Ovid lib. 1. de remed. am.*

Hæc ut ames, factum, hæc, quæ fecere, tuentur?
Hæc sunt jucundi causa cibusque mali.

Pater & mater sunt causa procreans; Nutrix causa conservans hominis. Causa efficiens procreans tropi est necessitas, orta ex paucitate vocabulorum. Causa conservans est voluptas & gratia, quam habet sermo Tropicus. Sol & cœlum motu suo dicuntur conservare inferiora, ab *Arist. 12. Metap. 34.* Sic Scal. *exer. 160. s. 3.* inquit, de Regno Literarum: Studio atque magnanimitate *parandum servandumque* est regnum literarum, cujus anima, virtus, & veritas, non ambitionibus, &c.

Monet autem hoc ipsum Scaligerianum nos, ut latius de hac agamus divisione, & sic studio nostro veritatem servemus contra ejus adversarios. Quatuor autem expedienda sunt.

Quæstio I.

An causa conservans sit verè causa efficiens.

10 *Objectiones*

Negant hoc Timplerus *lib. 3. Metaph. c. 2. q. 47.* Et Keckermannus duobus argumentis: 1. De ratione causæ efficientis est dare esse effectui. De ratione verò entis conservantis non est, dare esse ei, quod conservatur, sed conservare illud esse. Quod autem conservat esse alterius, id, hoc respectu, non potest sine contradictionis implicatione dici *dare* idem esse. Deinde probant autoritate Aristotelis, quem ajunt distinguere inter ποιητικὸν καὶ σωστικὸν, hoc est, efficiens & conservans.

11 Nihilominus contraria sententia vera est, quòd scilicet causa

causa conservans verè sit efficiens causa, ut validissimè probatur ex eo, quòd inter Ens conservans, & rem conservandam intercedit vera & realis actio, qualis est nutricatio sive præbitio alimenti inter nutricem, & puerum nutriendum. Ubi autem est vera actio, ibi etiam est verum agens sive efficiens, ut sequitur per locum à conjugatis. Et hîc inprimis, quia actio est vera causalitas efficientis. Quod autem habet causalitatem efficientis hoc etiam efficiens est. Quanquam verò Timplerus neget efficientis causalitatem esse actionem, tamen hoc admittit, *q. 45. hujus capitis.* Omne Ens, quatenus agit, esse efficientem causam. Deinde confirmari potest sic: Inter nutricem, (verbi gratiâ) & infantulum intercedit vera relatio unius ad alterum, secundùm quod illa conservans est, hic conservatus. Nulla enim conditio ad relationem requisita, hic deest. At ne fingi quidem potest quælis sit relatio, si non sit causæ & effectûs: Ergo est causæ & effectûs.

Probatur conservantem esse efficientem.

12

Ad primam objectionem respondeo. 1. Præmittendo distinctionem conservationis. Igitur conservatio triplex est: *Alia* est conservatio accidentalis & per accidens, quâ id conservare rem dicitur, quod destruit ejus contrarium, vel illud repellit, eique resistit. *Alia* est conservatio, quæ est nihil aliud, quàm influentia certarum quarundam proprietatum & dispositionum, sine quibus res in esse suo manere non potest. *Alia* denique est conservatio, quæ nihil aliud est quàm perpetuus influxus illius esse, quod semel à causa procreante tributum est. Sic Sol conservat lumen, quia perseverat influendo per radios suos. Idemque est in Entibus transeuntibus. Motus enim, verbi gratiâ, conservatur, quia causa movens perpetuò quasi aggenerat motum alium. Confer Thomam, 1. p. q. 104. a. 12. Et hæc posterior est principaliter dicta conservatio, indéque celebre est illud: *Conservationem esse nihil aliud quam continuatam generationem*, vel perpetuationem essendi. Vide *Scalig. exerc. 31. & 250. s. 1. & 307. s. 27.* Et sic Zabar. *lib. de calore cœlest. c. 4. p. 561.* ait, aliquid generare calorem, quod continuè ipsum conservat.

Solvuntur objectiones.

Conservatio triplex.

Conservatio est continuata generatio.

Ex his autem apparet 1. Saltem in ultimo conservationis genere, conservantem causam dare esse. 2. Addendum est etiam prioris geneſis causas conservantes, dare esse. Nam E s s e Phrasi Philosophicâ sumitur, & pro esse simpliciter, & pro continuatione ipsius esse. Veluti cùm dicitur: Omnia esse

13

apperunt.

appetunt? Cùm enim appetitus sit rei absentis, utique nullum ens poterit appetere ipsum esse simpliciter, sed appetit esse, hoc est, continuationem ipsius esse, hoc est, ut *porrò* sit quod est. Hoc sensu igitur causa conservans dat esse, hoc est continuationem illius esse.

14 *Ad alterum* respondeo: Admitti posse distinctionem efficientis & conservantis. Illud enim valdè frequens est, ut nomina generum usurpentur ad significandas species, eas inprimis, quæ principaliores sunt, ut passim obvia sunt exempla. Sic igitur in ea oppositione efficientis & conservantis, efficiens poneretur pro altera sui specie, hoc est, pro procreante.

Quæstio II.

An omnis Efficiens sit procreans, vel conservans?

Et hoc à multis negatur, idque ex duplici capite. Alii enim addendam censent *causam corrumpentem*, alii etiam alias. Nam Timplerus, *lib.* 3. *Metaph. cap.* 2. *q.* 47. inquit: Multa Entia verè & propriè dicuntur Causæ efficientes, quæ tamen effectum suum propriè loquendo, neque procreant, seu generant, neque conservant. Cujusmodi sunt ea primùm, quæ *augent, diminuunt, alterant, & loco movent*. Deinde omnia accidentia, quæ propriè loquendo inter agentia numerari non possunt, cùm actio tantùm competat substantiis. Hæc ille.

15 Hæc igitur si solvamus, nulla causa erit ulteriùs dubitandi de sufficientia prædictæ dubitationis. Remissâ autem quæstione de causa corrumpente ad sequens membrum, nunc *ad primum*. Timpleri respondeo: Vocem generationis bifariàm sumi, aliquando scilicet pro mutatione substantiali, qua ex præjacente materia fit substantia. Hoc modo sumitur in distinctione motuum Physicorum, qui dicuntur generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, & motus localis. Aliquando autem sumitur pro omni illa mutatione, quæ vel in substantia, vel in accidente notat progressum à non esse ad esse, sit, ut alteratio sit generatio qualitatis, augmentatio generatio ulterioris quantitatis, &c. Videri de hoc potest Zabarella *lib. de nat. scient. constit. cap.* 5. *lib.* 1 *de prim. mat. cap.* 2. *lib. de gener. cap.* 5. *& lib.* 2. *de mixti generat. cap.* 16. quibus locis disputat, alios motus vocari posse generationes, quatenus procedunt à privativo ad positivum (veluti calefactio à non esse caloris ad esse caloris) & quatenus efficiunt formam aliquam subjecto alicui inhærentem, *Propriè*, inquit,

Vox generationis potest accommodari mutationibus accidentalibus.

quit, *aliquid generari & fieri dicitur, quando acquiritur forma aliqua inhærens illi, quod mutatur.* Atque hoc modo etiam Aristoteles loquitur, *lib* 5. *Phys. cap.* 1. *t.* 7. ubi generationem facit duplicem, aliam vocat generationem simpliciter, quæ est ad substantiam. Aliam autem cujusdam, ut *quæ ex non albo in album est*, inquit, *generatio hujus est.* Atque hic apparet secundùm hunc posteriorem sensum, causam proli creantem continere sub se augentem, diminuentem, & alterantem.

Sed *instantia* hîc dari potest de causa loco-moventi, hæc enim non videtur dici posse generans, Cùm motus localis non possit dici generatio, ut disputat Zabarella, *tit. loc. lib. de nat. scient. const.* Probátque, quia per motum localem non acquiritur forma aliqua mobili inhærens, sed solum aliud Ubi, quod non potest dici forma inhærens mobili, quia Ubi dicit respectum ad locum; Locus autem res externa est. 16 *De causa loco moveute ad bium.*

Nihilominùs *respondeo*; Caulam loco moventem adhuc referri posse ad caulam procreantem, vel generantem. Ac primùm ipse Aristoteles etiam motum localem vocavit generationem, *lib.* 8. *Phys. t.* 3. *t.* 24. πᾶσαν δὲ κίνησιν γίνεσθαι καὶ φθείρεσθαι, δοκεῖ πᾶσι. Ex ubi γὰρ μεταβάλλει, γίνεταί τι ἐκ τούτου ἐν ἐκείνῳ ἢ ἐκείνου τοῦτο ἢ ἐν τούτῳ. Hoc est. *Ferè & ipsum loco moveri, generari & corrumpi quoddam videtur omnibus. In quod etiam aliquid transit vel movetur, hoc generatur, aut in illo* (aliquid fit.) *Ex quo verò aliquid movetur, illud corrumpitur, aut inde* (aliquid corrumpitur.) 2. Causa loco movens potest dici generans saltem respectu motûs ipsius, non ratione termini motûs. Sic homo est causa generans suam ambulationem, ignis suam ascensionem, &c. Quanquam & præterea ipsum movens, generans potest dici, respectu termini sui, hoc est, respectu ipsius Ubi, ad quod corpus movetur, non minus ac cætera moventia possum dici generantia suorum terminorum. Nam Ubi est etiam forma inhærens, sive modus intrinsecus, nihil aliud videlicet, quàm præsentia rei ad summ, quod habet, spatium. Nam quòd non dicat Ubi respectum ad locum, superficiem videlicet ambientis corporis, apparet ex corpore primùm creato, & in corpore, quod moveretur, & quiesceret intra vacuum. Hoc enim haberet Ubi, & moveretur ad Ubi, & tamen non esset in loco. Vide quæ hac de re alibi *in introit. Logic. t.* 13. *q.* 1. Igitur causa loco movens sic duplici- 17

ciunt potuit vocari generans. 1. Respectu ipsius motûs. 2. Respectu ipsius ubi. Generat videlicet tum motum, tum etiam aliquod ubi.

Solvitur altera objectio.

Quòd autem dicitur: accidentia, (quæ sunt efficientes) non posse pertinere ad causas procreantes & conservantes, quia eis non conveniat actio, quæ solùm sit substantiarum; Hoc satis solutum est per ea quæ dicta sunt n. 8. *hujus cap. in comm.* De causâ corrumpente dicamus seorsim.

Quæstio III.

An Causa corrumpens addi debeat ad causam procreantem & conservantem.

18 Ita multi faciunt, quos sequitur *Fonseca l. 7. Log. c. 21. & Goclil. 1. Inst. Log. c. 4. p. 59.* Efficientium aliæ sunt producentes, aliæ conservantes. Quibus opponuntur corrumpentes. Corrumpentem autem causam vocat eam, à qua res destruitur, vel labefactatur. Idem tamen causam corrumpentem videtur comprehendere sub generante, (ipse vocat primò efficientem) *l. 1. controv. Log. c. 6.* Potest autem non adeò obscurè talis divisio sumi ex *Aristotele, 2. Top. c. 9.*

19 *Varii gradus corruptionum.*

Sepositâ autoritate agamus de re ipsâ. Inprimis autem prænotandi sunt varii gradus corruptionum. Summus gradus est annihilatio, quâ Deus ens aliquod prorsus redigit in nihilum, ita ut nec forma, nec materia ejus reliqua sit. Alius gradus comprehendit corruptiones naturales, per quas corpora naturalia intereunt. Et sunt tres: per transmutationem, per putrefactionem, & per mortem. Denique est peculiaris gradus, secundùm quem corrumpuntur accidentia. Hæc autem intereunt vel per destructionem subjecti: Sic aquæ frigus interit, ipsâ immutatâ: vel per destructionem aut absentiam causæ, quomodo species visibiles intereunt per remotionem objectorum aut absentiam lucis; Lumen interit per absentiam Solis: vel per introductionem accidentis incompossibilis cum illo, ita frigus aquæ destruitur per introductionem caloris. Et sic in aliis.

Accidentia quomodo corrumpantur.

20 *Corruptio bifariàm dicitur.*

II. Prænotandum: Corruptionem substantiæ Physicæ bifariàm sumi. Aliquando sumitur pro instantaneo transitu illius substantiæ, ex esse ad non esse, qui nihil aliud est, quàm recessus formæ, qui fit in momento. Aliquando autem sumitur sic, ut comprehendat etiam prævias dispositiones, quæ inhabilem faciunt materiam, ad ulteriùs sustentandam formam.

formam. Sic putrefactio fit per præviam introductionem caloris nimii, & eductionem humoris, & sic in aliis. Estque omninò sic, sicut in voce generationis, quæ quandoque sumitur pro momentaneâ formæ introductione, quandoque verò connotat prævias dispositiones. Videatur de hac distinctione *Scal: exerc: 290. s: 1. Peror: l. 14. Phys. c: 1. Zabar: de mist: c: 13. aliique.*

III. Prænotandum: Causam corrumpentem posse referri ad duo, sicut & causæ aliæ; nempe referri potest, tum ad ipsam corruptionem, tum etiam ad terminum illius corruptionis, qui est, ipsius non esse rei præexistentis. 11

Nunc dico I. *Nullum corrumpens potest propriè loquendo, dici Causa, respectu ipsius non esse, quod est corruptionis terminus.* Patet. Nam tum ipsum non esse, esset effectus corrumpentis. At hoc implicat: Nam effectus & Causa sunt differentiæ Entis, quod etiam distribuunt. Sic igitur non Ens non potest esse Effectus. Vide supra *cap: 2. n: 78. in comm.* Alias rationes vide apud *Suarez, disp: 28. in Met: s. 11. n. 3.*

II. *Multa etiam corrumpentia verè non sunt causæ respectu corruptionis.* Patet. Quia aliqua dicuntur corrumpere, quia desinunt influere. Deus corrumpit annihilando, quando suspendit influxum suum, quo alias conservat Entia. Lumen interit, quia desinit Sol influere, recedendo ex nostro hemisphærio. Motus desinit, quia desinit movens influere ad eum eliciendum, &c. Cessatio autem operationis non est operatio. Ubi autem non est operatio, ibi nec est efficiens, quia illa est hujus causalitas.

III. *Ea quæ corrumpunt introducendo accidentia incompossibilia cum proprietatibus naturalibus, atque adeò disponendo materiam, ut inhabilis fiat ad retinendam formam, aut denique introducendo novam formam substantialem, ea verè sunt Causæ efficientes, sed respectu illorum Entium, quæ introducuntur.* Est enim hic verus & realis influxus illarum causarum ad certam illorum productionem. Possunt autem respectu eorum dici causæ procreantes. Convenit enim illis definitio causarum procreantium.

Ex his igitur summa responsionis ad præsentem quæstionem est: *Corrumpentia aliqua non habent verum influxum causalem, & sic non sunt causæ: Aliqua quæ influxum habent, habent eum talem, qualem causæ procreantes.* 12 *Summa responsionis.*

IV. QUÆRITUR

An solius efficientis operatio, sit conservare, an verò & causarum aliarum?

23 Ita multi sentiunt, quòd conservatio pertineat ad omnes causas. Videatur *Suarez disp:41. Metaph.* & *Goclen: l 1. Iust. Log: c.4.p.61. Scaliger* dicit *exer:31.* Esse & conservari acceptum ferri eidem principio. Esse autem est à forma. Ergò & conservari. Et materia conservat, sicut dicitur: ex iis alimur, ex quibus constamus; Ubi alimento, quod materia est, tribuitur conservatio. Videtur tamen optimè stare: conservationem esse solius efficientis. Nam ne cogitari videtur quidem posse, quomodo conservatio non dicat extrinsecum influxum, qui non convenit materiæ & formæ, prout materialiter & formaliter causant. Accedit, quòd sic vitiosa esset divisio efficientium in procreantes & conservantes (quam tamen dicta autores non improbant.) Nam quod generis est, non debet ad certæ cujusdam speciei angustias detorqueri. Quando autem materia & forma dicuntur conservare, tunc fiunt efficientis causæ. Conservant enim, fovendo qualitates congruas, & efficiendo ea, quæ tueri possunt compositum in esse suo, inprimisque illa efficientia apparet in materia alimentali. Alimenta enim conservant, imprimis, quia restaurant vires. Illa autem est efficientia, restaurare vires.

V. QUÆRITUR.

An Causa procreans, & Causa conservans sufficienter distinguantur?

25 *Rationes dubitandi.* Videtur quòd non. Nam causa procreantes sunt etiam causæ conservantes, ut in suprà positis exemplis patet: & confirmatur. Nam conservatio nihil est aliud, (autore *Scaligero*) quam continuata generatio, saltem loquendo de conservatione primariâ Et hinc aliqui hanc distinctionem dicunt fieri, non per species, sed per modos.

Nihilominùs sufficiens est distinctio. Nam dare esse *Primò*,, (quod facit procreans) non est dare esse *Porrò*, quod facit conservans. Ceinde etiam distinctio est ex parte principiorum. Sæpè enim aliud est Ens, quod procreat, & aliud quod conservat. Nutrix conservat puerum, non generat; & sic deinceps.

24 Ad *primam* objectionem dico: Causæ procreantes & conser-

conservantes possunt considerari vel formaliter vel ratione subjecti, quod denominatur habere hos respectus, ut dicatur procreans, & conservans. Si posteriori modo intelligantur, verum est, aliquando coincidere in rem eandem, ut sit procreans, & etiam ut sit conservans. Facile enim fit, ut plures relationes in uno eodémque absoluto subjectentur. Sic Deus est efficiens omnium, & finis omnium. Si autem formaliter sumantur, tum certè alia est formalitas efficientis procreantis, alia conservantis. *Primò* dare est, non est *porrò* dare esse, ut dictum est. Hæc autem distinctio sufficit ad veram distributionem. *Solvuntur objectiones.*

Ad *alterum*, quo dicitur: Conservatio est nihil aliud quàm continuata generatio. *Respondeo* 1. Illud non esse Universale. Nam, ut suprà dictum, alia conservant continuè influendo esse, quomodo lumen conservatur. Alia autem conservant, tolùm, quia efficiunt dispositiones necessarias rei perpetuandæ; quomodo Sol conservat inferiora, quia efficit calorem necessariam ad rerum sustentationem. Patérq; distincto horum maximè tum, quando ab alio principio àst generatio, & ab alio conservatio. 2. Prior conservatio, etsi possit benè dici continuata generatio, tamen aliud est generatio simpliciter, quæ dat *primum* aliquid esse. Et aliud generatio *perpetuata*, quæ dat aliquid *porrò* esse, secundùm quæ etiam est distinctio causæ procreantis, & conservantis. 26

QUINTÒ

De Causâ Solitariâ, & Sociâ.

Utraque harum magis manifestabitur, si observetur, Conjunctionem causarum esse duplicem: alia facit causas subordinatas, alia coordinatas. *Subordinatæ* sunt, quæ cùm concurrunt ad productionem Unius effectûs, sunt tamen diversi ordinis: Veluti si una sit superior, alia inferior: alia Universalis, alia Particularis, alia Principalis, alia Instrumentalis. Ex his Particularis Universali, Instrumentalis Principali subordinatur. *Coordinatæ* autem dicuntur concausæ ejusdem ordinis. Sic duo equi trahentes currum causæ coordinatæ sunt. Hinc igitur dicendum: Causas socias esse, quæ aliàs coordinatæ dicuntur. Alioquin enim potest aliquid esse causa solitaria, etsi suprà vel subordinatas habeat. Sic Nitius est solitaria causa cædis illatæ Rutulis, & tamen supra se habuit auxilium divinum, & deinde etiam est usus 27 *Causæ subordinatæ.*

Quid causæ sociæ.

instrumentis bellicis. Hinc non inerudite notant aliqui (inter quos est Doctissimus *Wilhelmus Ursinus, l. 1. Dial. c. 4. diascepsi* 1.) tres esse gradus causarum solitariarum: I. Summe solitaria causa est, quæ etiam excludit causas subordinatas. Talis est Deus in operationibus suis immediatis, in quibus nec supra, nec infra se causas habet. II. Solitaria causa est, quæ etsi supra se influxum Dei habet, non habet tamen instrumentales causas, quibus utitur. III. Solitaria est etiam ea, quæ & communem Dei influxum habet in operatione suâ, & instrumentis utitur, solùm verò non habet causas coordinatas. Et in his omnibus salvatur ratio causæ solitariæ, quia excluduntur causæ coordinatæ, Incidenter attingam quæstionem, ut magis explicetur essentia causæ sociæ, de qua quæritur:

Trcs gradus causarum solitariarum.

An Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sint causæ Sociæ creationis, vel conversionis, vel justificationis?

28 Hæc quæstio primò, quod sciam, mota est à celebri Academiæ nostræ Theologo Dn. D. *Mentzero*, contra *Goclenium Marpurgensem*. Hic enim dixit *lib: 1. Instit. Log. p. 65.* prædictas personas Deitatis esse causas socias, *Mentzerus* verò id reprehendit in quadam disputatione indicans pugnare hanc locutionem contra unitatem essentiæ divinæ. Videatur *tom: 1. disp. Giss. disp: 9. th: 6.* Hinc *Goclenius* confirmavit sententiam suam aliâ disputatione. Videatur hujus *pars* 1. *Miscell. Theol. Philosophicorum. p. 85.* Sed *Mentzerus* rursus respondit. Videatur *in tom.* 1. *disp. Giss disp.* 8. *Exercitat. p. 339. seqq.*

29 Quod autem disputant illi de creatione, hoc etiam intelligi potest de justificatione, conversione, &c. tum quia operum ad Extra eadem est ratio in divinis personis, tum etiam quia aliqui sic loquuntur, ut personas divinas vocent tres causas Justificationis, Electionis, &c. ut ex *Piscatore*, *Bucano*, & *Polano* recenset *Mentzerus disp 9. tom. 2 Giss. th. 6.* Et post hunc Clarissimus *Meisnerus*, amicus meus honorandus, *in philosophiâ sobriâ, sect. 1. c. 3. q. 2.*

30 Brevibus expediam rem hanc. 1. *Accuratè loquendo dici non potest, Personas divinas esse Causas socias creationis.* Patet I. Quia inter personas divinas non est distinctio tanta, quanta requiritur ad causam. Nam, ut aliqua dicantur causæ sociæ, non solùm requiritur, ut sint distincta suppositа, sed imprimis,

primis, ut distinctam causalitatem & influxum habeant ad producendum effectum. Causalitas enim est quasi formale causæ. Igitur ubi causalitas una est, ibi causa una est; ubi causalitas diversa, ibi causa diversa. At Causalitas non est alia in Patre, alia in Filio, alia in Spiritu Sancto, quia virtus creatrix in singulis est una numero. Ergò Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus non possunt vocari causæ distinctæ, vel sociæ in creatione, &c. II. Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt tres socię causę creationis; Ergo tres erunt Creatores. Patet per omnia exempla sociarum causarum; Si Pater & mater sunt causę socię generationis; ergò sunt duo generantes. Atqui absurdum, dici tres creatores; Ergo etiam non possunt appellari causę sociæ. Assumptum apparet, quia nomina essentialia non tribui possunt personis divinis in plurali numero. Et causa est, quia quod significatur illis nominibus, hoc realiter idem est cum ipsa essentia divina, indeque, quia hæc unica est & singularis, Ergò etiam nomina essentialia Deo singulariter tribuuntur; Sic *Athanasius contra Arianos in Symbolo*; Increatus Pater; increatus Filius; increatus Spiritus Sanctus. Immensus Pater; immensus Filius; immensus Spiritus Sanctus; Æternus Pater; æternus Filius; æternus Spiritus Sanctus; Et tamen non tres æterni, sed unus est æternus; sicut nec tres increati, nec tres immensi, sed unus est increatus, & unus immensus. Similiter omnipotens pater; omnipotens Filius; omnipotens Spiritus sanctus; & tamen non tres omnipotentes, sed unus est omnipotens. Ita Deus Pater; Deus Filius; Deus Spiritus sanctus; & tamen non tres Dii, sed unus est Deus, &c. Et *Augustinus* (citatur à *Chemnitio p. 1. Loc. Theol. p. 102.*) Tanta est vis, *inquit*, ejusdem substantię in Trinitate, ut quod aliàs de singulis personis dicitur (Deus, æternus, omnipotens) id in summa non pluraliter, sed singulariter dicatur; Atque hoc mysterium videtur occultare lingua Hebræa in idiotismo, suo quo jungit verbum singulare cum plurali nomine, Gen. 1. vers. 1. בָּרָא אֱלֹהִים *Creat personæ divinæ.* Hoc enim peculiare est in lingua Hebræa, quę (quia in ea describenda fuerunt mysteria fidei in Vet. Testamento, in quo omnia fere figuris & typis involuta & tecta fuerunt) tales loquendi modos habet, qui quidem vulgares sunt, sed tamen ejusmodi, ut sub illis tecta possint latere multa summa religionis capita, quale inprimis

nis est, quòd verbum singulare jungit pluralis nomini. Videatur de hoc *Petrinus c. 19. Gualdus. 24. & 35. ad vers. 1. num. 4.* in fine *Orat. contra Idola, tom. 1. f. 28.* propositum habet: Esse multos creatores, sive esse aliquos consociatos in creatione, & esse multos Deos. Atque hinc multis ostendit, non posse mundum conditum esse à multis.

31 III. *Consociatio* ejusmodi non admittitur inter naturam divinam, & humanam in persona τῆς λόγου. Ergò multò minus admitti debet inter ipsas personas divinas. Unitas enim naturæ, quæ est inter illas, major est, quàm unitas personæ, quæ est inter naturas τῆς λόγου. Antecedens patet per Anathematismum *Cyrilli*: Si quis dicere præsumit, assumptum hominem *conglorificari* oportere Deo verbo, & *conglorificari* Deo, tanquam alterum cum altero; hoc enim syllabâ *Con*, intelligi cogit, &c. anathema sit. Et postea in responsione contra *Theodoretum*: Adoratur Unus, non coadoratur.

32 IV. Dicendum est: *Populari & rudi loquendi genere excusari potest ista locutio, tamen imitabilis non est.* Quòd imitabilis non sit locutio, patet per dicta imprimis in secunda ratione. Quòd excusari possit, ex eo est, quia quandoque Patres, & alii sancti Doctores loquuntur sic, usurpantes nomina pluralia: Sic *Damasc. l. 1. Orthod. fid. c. 11.* Tres sunt, *inquit*, qui adorantur. Et sic passim Patres loquuntur. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus operantur vel cooperantur, vel habent communes operationes, & quæ sunt his similia.

SECTIO.

De Efficiente Principali & Instrumentali.

33 Alia Causa Principalis dicitur, quæ primas habet in efficiendo, quomodo Dux in bello est ejus Causa principalis. Et hoc sensu Causa efficiens adæquatè non dividitur in *Principalem* & *Instrumentalem*, quæ inter has sunt causæ ministeriales. Quales sunt milites in bello. Nunc tamen quatenus principale agens opponitur agenti Instrumentali, agens principale appellatur id omne quod non est Instrumentale.

Tunc autem variis modis sunt explicandi divisionem hanc; ut late tractat *Suarez, disp. 17. Met. s. 2. num. 7. seqq.* Alii causam principalem appellant eam, cui propriè & simpliciter actio tribuitur: Instrumentales autem appellantur omnes cæteræ.

Alii

Alii causam principalem appellant, quæ sufficiente & propriâ virtute influit in effectum, sic ut illum concursu sibi debito producat effectum. Instrumentalem autem causas appellant, omnes reliquas. *Alii* causam principalem appellant, quæ proximè attingit formam introducendam in materiam. Instrumentalem autem, quæ agit aliquid, disponendo solùm materiam ante formæ susceptionem. *Alii* etiam appellant Causam principalem, quæ sine motione causæ superioris agit. Instrumentalem autem appellant, quæ, ut agat, necesse habet, ut moveatur à causa alia. Atque ex his nata est mox referenda ambiguitas in voce Instrumenti, aliis laxè, aliis strictè eam sumentibus. De qua agit *Suarez, ubi suprà, n.* 16. *Scotus* 4. *sent. l.* 1. *q.* 1. *Pereir. l.* 8. *Phil. nat. c.* 10. *& Piccol. grad.* 2. *Phil. mor. s.* 7. *p.* 155.

34 *Instrumentum ambiguè dicitur.*

Igitur, 1. Instrumentum sumitur pro omni eo, quod recipit influxum causæ superioris, aut aut quod movetur à causa superiori. Sic Platonici usurpant vocem instrumenti. Dicitur ue secundùm hanc definitionem solus Deus agens principale, & cætera agentia omnia vocantur Dei instrumenta. Huic significationi consonant id, quod Isaias hominem respectu Dei dicit esse quasi securim respectu artificis. Videatur *Damasc. in Phys. cap.* 9. qui hanc significationem maximè amplectitur. 2. Instrumentum vocatur omne illud, quod operationem habet distinctam à supposito. Et sic solùm suppositum est agens principale. Instrumentale autem agens est & forma, & alia per quæ forma operatur. 3. Instrumentum appellatur, per quod causa alia operatur, sic, ut hoc elevetur ad effectum se nobiliorem, sed ultrà perfectionem, & suam, & actiones suas. Causa autem principalis est ea, quæ æquè nobilem, vel nobiliorem perfectionem habet, atque effectum. Dicendumque ad hæc est, ultimum loquendi modum maximè congruere loquendi modo vulgò usitato, etsi aliæ locutiones, quibus aliter vox instrumenti usurpantur, etiam non adeò raræ sint. Vide *Suarez cit. loc.* & Arnisæum *Epit. Metaph. p.* 69. Atque sic instrumentum dico, quod ex directione alterius principalis agentis influit ad producendum effectum se nobiliorem. Cur, inquis, hominem vocamus [illegible] vel instrumentum Dei, in quantum annunciatione Evangelii homines convertit; Et non vocamus eum Dei Instrumentum, quando generat, aut facit opus aliquod artificiosum? *Respond.* ex dictis, Ibi Instrumentum est, qui

quia producit effectum, se superiorem, hoc est, gratiam spiritualem. Hic enim producit effectum non excedentem virtutem suam. De instrumentali causa, an numerum causarum augeat, vide suprà, *cap. 2. n. 30. seqq.*

SEPTIMÒ:

De agente Naturali.

35 *Naturale multis modis dicitur.*

Causa per se dividitur in causam *naturalem*, & *voluntariam*: De illa igitur prius est agendum: Prænotandum igitur, Naturale multis modis dici: *I.* Naturale opponitur violento omninò, sicut motus dicitur naturalis, vel violentus. Motus autem naturalis est, qui fit à principio intrinseco ipsi mobili. Et motus violentus est, qui fit à principio, quod est extra mobile. Igitur, agens naturale est id, quod est principium motûs naturalis. Agens violentum est, quod est principium motûs violenti. *II.* Naturale opponitur artificiali. Tum igitur agens naturale est, quod agit solùm ex principiis naturæ. Agens autem artificiosum est, quod agit secundùm artem. *III.* Naturale opponitur supernaturali. Tum igitur agens naturale est, quod agit secundùm principia naturæ, modo, & ordine naturali. *IV.* Naturale opponitur animali, sicut & mox distinguitur in animalem, & naturalem. Et cum agens animale, est agens per cognitionem sensitivam, vel intellectivam. Agens autem naturale est, quod agit sine cognitione. *V.* Denique Naturale est, quod agit ex naturæ impetu, & instinctu, sive propensione. Estque hæc ultima significatio hujus loci. Tales causæ naturales sunt, quòd Sol illuminat, ignis urit, magnes trahit ferrum, Leo rugit, ignis ascendit, aqua descendit, &c. Nam hæ omnes causæ producunt effecta sua sine deliberatione, sive consultatione.

36 *Discrimen Causæ naturalis, & voluntariæ. Prærequisita ad operationem.*

Est igitur discrimen causæ Naturalis, & voluntariæ, in eo, 1. Ut illa agat sine deliberatione; hæc cum deliberatione. 2. Ut hæc positis omnibus ad agendum prærequisitis possit agere, vel non agere, solùm, quia velit, vel nolit: Illa autem non possit non agere. Indeque dicitur agere ex necessitate naturæ.

Illa autem, quæ prærequiruntur ad operationem multa sunt & varia: De quibus agit Scotus. *lib. 9. Met. q. 14. ad secundum.* Et *Anton. Andr. q. 1. ad secundum. 1.* Prærequiritur, ut agens sit Ens actu existens. Ea enim quæ non sunt, quonam pacto aut ambulabunt, aut loquentur, inquit *Arist. lib. 4.*

lib. 4. Metaph. cap. 4. text. 16. II. Prærequiritur, ut sufficiens virtus sit in agente. *III.* Ut medium non sit indispositum, sed expeditum, sicut Sol non illuminat satis per aërem nebulosum. *IV.* Ut patiens non sit in termino completo, hoc est, ut non habeat formam integram, in tanta intensione, in quanta eam habere potest. Sic gravitas propter negatam hanc conditionem non movet terram magis deorsum. Et in Universum dici solet: Nullum grave gravitat in suo loco. *V.* Prærequiritur, ut si ad actionem hujus præsupponatur alia actio, hæc facta sit. Ita visus actio non fit, nisi præcesserit actio objecti in organum. *VI.* Ut sit propinquitas inter agens & patiens: Omnis enim motus fit per contactum, vel corporalem, vel saltem virtualem. Et hic tamen contactus virtualis non potest esse in infinitum. Est scilicet meta certa, quousque virtus cujusque porrigitur. Hic tamen advertendum; majorem, vel minorem propinquitatem requiri, prout magis & minus intensa est virtus in agente. Ut igniscandelæ urat, major propinquitas requiritur, quàm ut urat ignis candentis fornacis. *VII.* Prærequiritur, ut patiens sit capax actionis agentis naturalis, & qualitatis ab eo imprimendæ. Et per hanc conditionem, ignis non calefacit cœlum, quia hoc non potest recipere calorem. Et in nulla qualitate cœlum est simile igni. Omnis autem actio est inter ea quæ similia sunt qualitercunque; Item ignis per hanc conditionem non consumit cineres, quia hi sunt incapaces illius operationis ignis, ex eo, quia nihil oleaginosum in iis est reliquum, per quod ignis cum cineribus uniatur, & sic eos absumat, &c. Et in hac videtur suo modo includi conditio quarta. *VIII.* Requiritur, ut absint alia omnia impedimenta. Sicut ignis, inconveniente propinquitate objectum combustile sæpe non comburit, quia ventus flammam aliorsum torquet, & sic deinceps. His, inquam, prærequisitis præsuppositis, agens naturale non potest non agere. Agens autem voluntarium potest non agere, etiam cum illa omnia adsunt.

Octavò.

De Agente voluntario.

Agens voluntarium est, quod agit ex deliberatione, & certo consilio, indéque est indifferens ad agendum, & non agendum. In quo distinguitur à naturali, quod, positis omnibus ad actionem requisitis, in se non habet, ut non agat, ut dictum

dictum, *num. 36. hujus capitis.* Agens autem voluntarium aliquid habet, positis omnibus ad actionem requisitis, unde possit non agere, videlicet, habet consilium, & deliberationem suam.

Vocatur alio nomine *agens liberum*, vel *agens liberi arbitrii*. Liberum autem arbitrium, secundùm *Clementem l. 3. recognitionem*, est sensus animi habens virtutem (rectiùs facultas animi) quâ possit ad quos velit actus, inclinari.

Sunt autem in Universum tria agentia, quæ dicuntur voluntaria: Deus, Angeli, Homo: Sed de singulis videndum. De quatuor igitur quærimus.

1. *An Deus agat ex libertate voluntatis, an ex necessitate naturæ?*

38 Deum ex necessitate naturæ agere dixerunt Stoici, quorum sententiam perstringens Melanthon inquit:

Non Deus est numen Parcarum carcere clausum,
Quale putabatur Stoicis esse Deus.

Idémque dixisse & sensisse *Aristotelem*, multi Philosophi existimant, ut videre est apud *Fävel: lib. 12. Metaph: q. 10. Soncin. 12. Metaph. q. 39. 41.* & multos sententiarios *ad l. 11. dist. 42. 43.* Et sanè hoc indicat *Aristoteles, l. 8. Phys. cap. 1.* Ubi sic argumentatur pro æternitate mundi & motus: *Si primum movens antea non movebat: Ergo aliquid erat, quod ipsum à motu retardabat.* Alioquin si Deus esset agens liberum, sine impedimento alterius rei, solùm potuisset non movere, quia non voluisset ex libero arbitrio suo.

De sent. Aristotel. Quanquam verius dicitur, Lubricum hac in parte esse *Aristotelem*. Aliis enim locis videtur sentire Deum non agere ex necessitate naturæ *lib. 2. Phys. t. 49.* distinguit agentia in ea, quæ agunt ex necessitate naturæ, & quæ agunt ex electione, hoc est, ex ratione & mente. Perspicuum autem est, secundùm sententiam *Aristotelis*, Deum esse agens ex ratione & mente, quia alia agentia ad fines suos dirigit, secundùm eundem, *lib. 2. Phys. c. 8.* Et clarius *in lib. de mundo ad Alexandrum*, Quod in navi, *inquit*, est gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in exercitu Imperator, hoc in mundo est Deus. Nisi quod illis principatus anxius, & laboriosus. In Deo autem est expers mœstitiæ & laboris, nullámque corpori afferens imbecillitatem. Nam cùm in re immobili collocetur, omnia quæ vult, movet, arbitratúque suo, in diversis rerum generibus & naturis, versat, &c.

Agere

Agere autem Deum ex necessitate, & non ex libertate: sic probari potest: 1. Si Deus non agit ex necessitate naturæ, tum sequitur, Deum non esse immutabilem. Possit enim nunc aliter se habere, quàm antè, si scilicet non agat, aut velit agere, cùm antè non egerit, nec voluerit agere. Et confirmatur, Actio enim est verum ens, ideoque veram dicit perfectionem. Perficietur igitur Deus, cùm incipit agere, atque sic mutabitur saltem accidentaliter. Idémque dicendum est de amore, qui necessariò intervenit, quando Deus aliquid vult. Nihil appetitur, quod non ametur. Amor autem est, reale attributum. Deus igitur, acquirendo reale attributum, videtur realiter mutari. *II.* Si Deus non agat ex necessitate, Ergò agit contingenter. Contingens enim & necessarium opponuntur. Consequens autem est absurdum. Contingentia enim implicat imperfectionem, tùm quia includit potentialitatem: (Est enim contingentia potentia ad contradictoria,) tùm quia videtur conventientiam habere cum casu, & fortunâ; ut si Deus dicatur agere contingenter, idem ferè sit, atque si fortuitò agat.

39 *Objectiones, quod Deus agat ex necessitate.*

III. Agens liberum definitur, quod agit ex deliberatione & consilio. At consilium Deo non convenit, quia consilium semper conjunctam habet ignorantiam futuri exitûs. In Deum autem nec ignorantia cadit, nec futurorum incertitudo, ut eruditè disputat Pelargus *in Damasc. l. 2. de Orat. fid. c. 24.* Et *Scaliger*, tam impia, *inquit*, (*exerc. 365. §. 8.*) vox est in divinis Consilium, quàm pluralitas Deitatis. Non disceptat, non ratiocinatur, non proponit, non cum alio confert, non ab alio accipit.

IV. Si Deus esset agens liberum, tùm nulla res potuisset primùm fieri & creari. Nam agens liberum secundùm se est indifferens, & indeterminatum ad operandum, vel non operandum, aut ad operandum hoc, vel ad operandum illud. Ergò non potest aliquid determinatum producere, nisi ejus indifferentia coarctetur ab aliquo determinante. Est enim contradictio in adjecto, esse aliquam Causam indeterminatam, & tamen determinatè agere. Atqui nihil dari potest, quod sit determinans indifferentiam illam Causæ primæ. Non aliquid in Deo: Deus enim est aliquid simplex. At determinans, & determinatum sunt duo distincta, cùm nihil possit determinare seipsum. Non etiam aliquid extrà Deum. Loquimur enim de illa operatione, qua primum res fiunt, quàm

quam negamus fieri posse, si Deus agens liberum sit.

40 *Probatur Deum esse agens liberum.*

His tamen non obstantibus dicendum est: Deum esse agens liberum, quod 1. supponitur esse de fide, & probatur ex scripturis in quibus operationes divinæ referuntur ad velle Dei, *Psalm:* 115: *vers:* 3. Omnia quæ voluit, fecit, *Sap.* 11. *vers:* 26. Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? *Ambros. lib.* 2. *de fid. cap.* 3. & *Lombard. lib.* 2. *dist.* 25. idem probant ex 1 *Corinth.* 12. *vers.* 11. Spiritus dividit singulis prout *vult*, hoc est, pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio. *II.* Probatur ratione, Liberè agere est nobilius, quàm agere ex necessitate naturæ. Ergo illud Deo convenit, non hoc. Patet antecedens. Nam quæ ex necessitate naturæ agunt, egent agente aliquo superiori, per quod ad fines suos ordinentur. Nobilius autem est sibi ipsi præstituere finem, ut ex ipsis terminis patet. III. Si Deus ageret ex necessitate naturæ, tum semper ageret secundùm extremum virium. At hoc pugnat cum Dei infinitâ essentiâ, & virtute. Impossibile enim est, ut infinita virtus agat secundùm ultimum potentiæ suæ. Et confirmatur; quia sic tunc à Deo non producerentur species ignobiliores. Quis enim credat, Deum aliquid nobilius facere non posse, quàm has? *IV.* Probatur ex hoc, quia ultima resolutio, si inquiratur, de causa actionum divinarum, non potest determinari alibi nisi in Dei voluntate. Cur Deus fecit angelos tot, & non plures vel pauciores? Cur fecit angelos tantæ perfectionis, & non majoris, vel minoris? An quia non potuit aliter? An quia non voluit aliter? Non potuisse aliter, pugnat cum infinitate potentiæ divinæ. Sequitur igitur, id ita esse, quia non voluit aliter, & sic in cæteris.

41 *Solvuntur objectiones.*

Nunc solvendo argumenta, *Respondeo ad primum*, quo objiciebatur, cum libertate voluntatis, non consistere Dei immutabilitatem. Ac *Suarez* quidem admodùm prolixè disputat, de concordia libertatis divinæ cum ejus immutabilitate, *disp.* 30. *Metaph. totâ sect.* 9. Dicam breviter, 1. *Cùm Deus dicitur immutabilis, tum imprimis id intelligitur respectu essentiæ, & consilii Dei.* Secundùm illam igitur Deus est immutabilis, Ut satis clarum est. Nunquam enim Deus desinit esse, quod est. Consilium autem & propositum suum semper etiam exequitur. Quod enim voluit Deus, hoc, vel alio tempore fieri, id etiam semper fit. Loquimur autem nunc de voluntate beneplaciti. Nam voluntatem signi sæpè non

Quomodo Deus sit immutabilis?

non impleri, non indicat mutabilitatem consilii divini, quia sub his, quæ voluntate signi significat Deus, sæpe Deus vult aliud sub iis latens. Sicut sub immolatione Isaaci latuit probatio fidei Abrahæ: Hanc itaque sicut voluit, ita etiam consecutus est Deus. In aliis, quando non fit, quod vult Deus, (veluti est impletio mandatorum legis) non definit tamen Deus velle, quod vult. Et sic est voluntas immutabilis. 2. *Agere Deum, cum ante non egisset, non indicat mutabilitatem in* DEO. Actiones enim non reperiuntur in agente, sed solùm ab eo sunt. Unde sequitur mutationem solùm fieri in objecto vel patiente. Sol non mutatur, quando producit ranam, quam antè non produxit, sed quisquiliæ, ex quibus rana fit, mutantur, & sic in aliis. 3. *De amore* dicendum est, eum non acquiri in Deo demum, quando rem aliquam incipit efficere. Quod enim efficit, hoc efficit secundùm propositum æternum, quo proposuit aliquando facere, quod in tempore facit. Unde apparet amorem simul esse cum proposito efficiendi. Impossibile siquidem est, ut Deus aliquid facere velit, quod non amet. Voluntas enim semper est ad bonum. Bonum autem omne est amabile. Si igitur amor ille est æternus, sicut & propositum faciendi aliquid est æternum, tum apparet, nullam mutationem accidentalem Deo contingere, si nunc velit actu esse, quod antea nondum voluit actu esse.

Ad secundum. Concertatio aliqua est inter *Thomistas* & *Scotistas*, ubi hi dicunt actiones Dei contingentes, ex *Scot. lib. 1. dist. 2. 38. 39.* Sequitur hos *Pererium l. 9. Phys. cap. 11.* illi autem negant eas esse contingentes, ex *Thoma lib. 1. sent. dist. 43. q. 2. a. 1.* Non est dicendum, *inquit ibi*, voluntatem Dei esse contingentem, aut operationem ipsius, quia contingentia mutabilitatem importat, quæ in Deo non est. *Dicendum* tamen. Contingentiam bifariam dici posse. Vel enim per contingentiam intelligimus solùm differentiam, ad esse, vel non esse alicujus actûs. Vel etiam, præter hanc indifferentiam connotamus eâ voce imperfectionem mutabilitatis, potentialitatis, &c. Etsi igitur contingentia secundùm posteriorem significationem tribui non possit Deo. Potest tamen secundùm priorem. Indifferens enim est Deus ad operandum, & ad non operandum. Atque hæc contingentia sufficit ad ponendam libertatem. 42 *An actiones Dei possint dici contingentes?*

Ad tertium. Consilium vel appellamus sententiam, quæ 43

nata

An Deo possit tribui consilium.

nata est est ex discursu mentis. Vel etiam appellamus consilium sententiam, quam simplici apprehensione, sine discursu, intellectus approbat. Prioris generis consilium notat imperfectionem eo ipso, quia cum discursu est. Discursus enim est à noto ad ignotum progressus. Et hoc Deo non convenit. Posterioris autem generis consilium nullam complectitur imperfectionem, nullaque causa est, cur Deo tribui non possit. Atque sic loquitur Scriptura, *Eph. 1. vers. 11.* Operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ, *Jer. 23. v. 18.* Dominus exercituum magnus consilio. Et *Is. 9. vers. 6.* Messias appellatur consiliarius. Atque hoc consilium sufficit ad ponendam causam voluntariam sive liberam.

44 *At quarum:* Deus non eget aliquo, quo determinatur libertas ejus ad certos actus. Quòd enim alia eo egent, id imperfectionis est, quia scilicet sistendo in libertate, nondum habent omnia, quæ ad operandum pertinent. Et hinc sunt indifferentia secundùm imperfectionem. Deus autem est indifferens per eminentiam, secundùm quàm, quia completus est in esse & operari, idcircò seipso supplere potest omne illud, à quo libertas ejus determinari posset. Legatur *Thom. 1. contra gentes, cap. 82.*

Quæstio II.

An angeli sint agentia libera?

45 *Objectiones* Quæstio intelligitur de Angelis, ut nunc sunt, postquam confirmati sunt in bono. Ante illam enim confirmationem dubium non est, quòd habuerint libertatem. Intelligi autem potest etiam hæc quæstio de angelis malis, qui in malo sunt indurati. Videtur igitur, non convenire eis liberum arbitrium. Et probatur. *1.* ex definitione liberi arbitrii. Nam liberum arbitrium est facultas rationis & voluntatis, quâ bonum eligitur, gratiâ assistente, vel malum eâdem desistente definitor *Lombardo, lib. 2. dist. 24, 25. A* Repugnat autem Angelum in bono confirmatum posse malum eligere. *II.* Angeli dicuntur servi Dei, sive administratorii spiritus. Ergò non sunt agentia libera. Nam servitus & libertas opponuntur.

46 *Angelis convenire libertatem.* Nihilominus dicendum est, Angelis convenire libertatem. 1. Quia in Angelis est radix libertatis, videlicet judicium intellectûs. Quia non decet, ut Angeli habeant minorem perfectionem, quàm homo. At homo habet liberum arbitrium.

Ergo

Ergò multò magis Angeli, qui sunt Entia perfectiora quàm homo. Quòd autem libertas perfectionis sit patuit in superiori quæstione. Nam quæ non liberè, sed necessitate, vel impulsu naturæ agunt, ea non præstituunt sibi finem, sed moventur ad imperium, & secundùm dictum alicujus dirigentis. Moveri autem ab alio imperfectionem utique significat. Deinde attributum, quod reperitur in primo Ente, atque sic ei non repugnat infinitari, Illud est perfectio simpliciter. Unde quò minùs tale quid participat Ens aliquod, eò magis imperfectum est. Libertas autem est attributum, quod Deo convenit, ut patuit prior quæstione. Pro hac sententiâ videantur idem sentientes Irenæus, *lib. 4. c. 71. Damasc: lib: 2. de Orthod. fid: cap: 3. 4. Auguſt de corrept & grat: c. 10. Baſil. l. de Spir. S, c. 16.*

Ad primum objectionem respondetur: Definitionem iliam non esse generalem, sed convenire solùm libero arbitrio hominis post lapsum. Id indicat Magister *lib: 2. dist. 25.* Secundùm prædictam assignationem, *inquit*, (loquitur de definitione in initio hujus quæstionis posità) in eis tantùm videtur esse liberum arbitrium, qui voluntatem mutare & in contraria deflectere possunt, in quorum videlicet potestate est eligere bonum vel malum, & utrumlibet secundùm electionem facere vel dimittere; secundum quod nec in Deo, nec in his omnibus, qui tantâ beatitudinis gratiâ sunt roborati, ut jam peccare nequeant, liberum arbitrium esse nequit. Et tamen post ea *lit. E.* Angeli & Sancti *inquit*, qui jam cum Domino feliciter vivunt, atque ita gratiâ beatitudinis confirmati sunt, ut ad malum flecti nec velint, nec possint, libero arbitrio non carent. Videatur etiam *Auguſt. l: 22. de civit: Dei, cap. 30.* 47 48

Sed hîc gravis occurrit Instantia: *Ad quos actus liberi sint Angeli?* Si enim (ut infertur ex eo) quia confirmati sunt in bono, non possunt peccare, tunc etiam non possunt omittere bonos actus, atque sic non possunt non Deum amare & glorificare. Unde sequitur necessariò eos & omittere actus malos, & facere actus bonos. Necessarium enim est, quod aliter esse non potest. *Respondeo:* Inprimis causam liberam, esse indifferentem & liberam ratione mediorum, & non ratione finis. Circa illud enim imprimis versari debet libertas, de quo potest fieri consultatio, ut patet. An consultatio est de mediis, & non de fine, per *Ariſt. lib. 3. Ethic. cap. 2. & 3.*

Dixit autem *inprimis* libertatem esse mensurandam ex indifferentia ad media, & non ex indifferentia ad fines, propterea, quia aliqui etiam aliquam libertatem esse circà finem ponunt, quod nunc non disputo. Videatur *Suarez, disp. 19. Met. s. 8. totâ.* ex his igitur dico: etsi Angelus necessariò Deum amaret & glorificaret, adhuc tamen esset agens liberum. Posset enim posthabito uno medio eligere aliud; per quod prædictum finem suum exequeretur, *Scot. lib. 1. dist. 39. §. Quantum ad primum, &c.* Libertatem creatam, ait, intelligi posse in tribus. 1. In ordine ad diversos actus immanentes in potentia. 2. In ordine ad diversa objecta. 3. In ordine ad diversos effectus extrinsecos. Sic igitur liber erit. 1. In eliciendo in se volitionem & nolitionem unius & ejusdem medii. 2. Volendò medium hoc, & nolendo aliud. 3. Applicando potentiam suam ad efficiendum, quod noluit, voluitve.

49 Ad secundam objectionem facilior est responsio. *1.* Libertas enim dupliciter sumitur. Aliquando opponitur servituti, aliquando necessitati. Etsi Angeli secundùm priorem significationem non sunt liberi, sunt tamen secundùm posteriorem, quod sufficit ad hoc, ut dicantur comprehendi sub agentibus liberis.

Quæstio III.

An homo sit agens liberum.

50 Theologi inprimis distinguunt status hominis. Aiunt enim posse libertatem hominis considerari, vel in statu integritatis, vel in statu peccati ante conversionem: vel in statu peccati post acceptam gratiam conversionis; vel denique in statu gloriæ. Faciunt autem hoc propterea, quia ipsi specialiter disputans de viribus liberi arbitrii in ordine ad motus spirituales. Hanc disputationem, quæ planè Theologica est, hic non facimus nostram, sed solùm inquirimus: An homo liberum arbitrium habeat, cujuscunque tandem respectu sit, in primisque an saltem in civilibus, & naturalibus agat liberè, an verò ex necessitate?

51 *Hominem agere ex necessitate.* Igitur hominem agere ex necessitate, statuunt primùm omnes illi, qui ajunt omnia fieri ex fatali necessitate. Ita sensisse Stoicos, auctor est *Cicero, l. 1. de divinat.* & *Laërt. lib. 7. in vita Zenonis.* Archàsque multi eorum in specie Voluntatem hominis necessitati ex immutabili illa causarum cum

suis

suis effectis connexione, ut refert *Augustin. lib 5. de civit. Dei c. 1. & l. 4. confess. cap. 3.* Quanquam *Plutarchus lib. 1. de placit. & Gregor. Nyssenus lib. de fato* referant, quòd Stoici exemerint in hac sententia sua animos hominum. Deinde in specie libertatem hominis sustulerunt quidam veteres Hæretici, veluti *Simon Magus*, ut refert *Clemens lib. 3. Recognitionum, Bardesanes & Priscilliani* ut refert *Augustin. de hæres. cap. de 33.* Manichæi, ut refert *Hieron. in Præfat. Dial. contra Pelagianos, & Augustin. lib. 2. de fide contrà Manichæos, cap. 5. Abailardus* ut constet ex *Bernardi Epist. 194. Calvinus* etiam non est planè alienus ab hac sententia. Nam *l. 2. Instit. c. 4. n. 6.* ait, eos qui liberam electionem homini relinquunt, in rebus nec per sese justis, nec per se vitiosis, (hoc est civilibus & naturalibus) facere id solùm, non quòd pro certo id asserere velint, sed quod de eo, tanquam re parvi momenti disceptare nolint. Et *l. 1. c. 16. n. 8.* cùm allegâsset ad confirmationem sententiæ suæ *Augustinum*, applicans ejus dicta ad suam sententiam. Quâ ratione, *inquit*, contingentiam quę ab hominum arbitrio pendet, excludit. Testimonia, quibus idem censuisse, dicuntur *Zwinglius, Beza*, &c. vide apud *Hutterum, art. 2. lib. Concord. p. 183.* Hoc tamen discrimen est inter Stoicos & Calvinianos, quod illi causam necessitatis ponunt in influxu stellarum. Hi verò in peculiari Dei motione.

Ac *primùm* pro libertate hominis multa faciunt. I. Si homo non esset liberi arbitrii, tunc nemo posset laudari, nec vituperari. Nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia justa essent, si anima non haberet potestatem liberam, inquit, *Clemens Alexandr. l. 1. Strom. p. 5.* Similia habet *Justinus Martyr. in Apolog. 1. pro Christianis, tom. 2. fol. 89. & Apolog. 2 fol. 137.* 51 *Defenditur: Quòd homo sit agens liberum.*

II. In hominem cadit consultatio. Ergò etiam libertas. Nam consultatio est nihil aliud quàm discursus circa media, ut sciatur, quodnam eorum utilius vel magis necessarium sit ad consecutionem finis, quem eligimus. Unde consultatio non est, ubi non potest esse electio. At electio non est sine libertate. Nam electiva vis nihil aliud est, quàm potestas libera, qua possimus uno repudiato aliud amplecti. Vide de hoc *Greg. Nyssenum, lib. 7. de Phil. cap. 1.* 52

III. Si homo non esset agens liberum, tùm vel illa necessitas esset ex influxu stellarum, vel ex peculiari motione 53

& influxu Dei. Nam alterutrum horum dici ſolet ab impugnatoribus hujus ſententiæ. Non primum. Nam nulla eſt proportio inter animam immaterialem, & inter cœlum & ſtellas materiales. At impoſſibile eſt agens agere in patiens, ubi deficit ſimilitudo unius ad alterum. Non poſtremum. Nam inter humanos actus connumerandi ſunt actus mali. Si igitur peculiari Dei motione adimitur hominis libertas ad actus ſuos, tunc per eam peculiarem Dei motionem dabitur ei neceſſitas ad actus ſuos etiam malos. At hoc abſurdum eſt. Quia (*Auguſtinus* ratiocinatur, *lib.* 83. *quæſtionum, quæſt:* 3.) nullo ſapiente homine auctore fit homo deterior. At Deus eſt omni homine ſapientior. Ergò multò minùs Deo actore homo fit deterior.

2. Si Deus vellet homines peccare, vellet malum: Igitur peccaret. Nam peccare nihil aliud eſt, quàm malum velle. At abſurdum eſt. Deum peccare. Peccare eſt enim deficere. At deficere repugnat Enti ſummè perfecto. Alias rationes huc pertinentes vide apud *Anſhelm: de lib arbit. cap.* 8. *Fulgent. lib.* 1. *ad Monim. cap.* 21, 22, 23. *Ambroſ: lib:* 1. *Exaëmeron. cap* 8. aliósque.

52 Rationes autem pro hac ſententia ex ſcripturis, aut objectiones ex iiſdem, Theologis relinquimus.

53 *Objici* autem poſt, 1. Si homo prorſus eſt agens liberum, tum ſequitur. Deum non poſſe impedire actiones hominis. At abſurdum hoc. Hoc enim derogaret divinæ omnipotentiæ. Patet autem conſequentia. Nam ſi Deus poſſet impedire hominem, adeóque impediret: Tùm homo non ageret, quod vellet, ſed quod vellet Deus. Qui autem non agit id quod vult, non agit liberè. *Reſpondeo:* Poteſt & Deus impedire actiones humanas, & tamen homo eſt agens liberum. Nam libertas conſiſtit imprimis in eligendo, non autem ſimiliter in executione illius, quod elegimus. Electio autem (inquit *Damaſc. l.* 2. *de Orthod. fid cap.* 26.) agendorum ſemper in noſtra poteſtate eſt. Actio autem plerumque quodam providentiæ modo præpeditur.

Objectiones.

54 II. *Objectio.* Si Deus concurrit ad omnium rerum operationes tanquam prima cauſa, & verè ab æterno decrevit, quid velit à ſe fieri, & non fieri; tum ſequitur tolli in homine libertatem agendi hoc aut illud. Voluntas enim Dei efficacior eſt, quàm ut reſiſti ei poſſit

Reſponſio. Durandus, *lib.* 2. *ſent. d.* 1. *q.* 5. *&* *d.* 37. *q.* 1. negat

negat, Deum concurrere actu ad omnes causas naturales, vocari autem solùm Universalem & primam causam omnium rerum, quia iis indiderit vires agendi, & adhuc eas conservet. Hæc tamen sententia communiter rejicitur. Videatur *Perer: c. 8. l. 8 in Phys. Colleg. Conimb. lib. 2, Phys. cap. 7. q. 10, 12. Suarez disput 21. Metaph. sect. 1. Thom. l. 3, contragentes, cap. 67. & 1. part summ. quæst. 105. art 5.* Duo igitur sunt, quæ *responderi* possunt pro defendendo hominis libero arbitrio, posità operatione Dei concurrente ad omnes actiones hominis. 1. Dici potest: Cooperationem Dei primò referri ad effectum causæ secundæ, & non ad causam secundam, hoc est, Deum non determinare voluntatem hominis, aut aliquid in eam imprimere, quicquid tandem sit, sed statim & immediatè influere in effectum voluntatis, ut hunc Deus producat eo ipso momento, quo etiam homo operatur ad productionem illius. Sicut cùm duo equi trahunt currum, unus equus non influit in tractionem currûs. Ita docet *Scotus, Biel & Ariminensis, l. 2. d. 37.* Evidens autem est pertalem concursum divinum nihil decedere libertati humanæ. *II.* Dici potest (quod alii ferè omnes Scolastici docent) Deum concurre ad effectum voluntatis mediate, quia scilicet movet voluntatem. Atque tum salvatur libertas voluntatis hoc modo: Voluntas divina est quidem causa prima, sed tamen non agit movendo & influendo in agens liberum nisi præviså dispositione & determinatione illius Deus igitur sic decrevit illi voluntati cooperari, quando & quoties prævisa est se dispositura, ad effectum aliquem. At hac ipsa est libertas elicere ex se volitionem aut nolitionem

Quomodo Deo concursus non tollit libertatem nostram.

III. Objectio, Si Deus omnes actus humanos præscivit, & præscientia Dei non potest falli, tùm sequitur actus humanos non posse non fieri. Igitur actus humani sunt necessarii, necessarium enim est, quod aliter esse non potest. Si necessarii; Ergò non sunt contingentes. Ergò nec liberi. Libertas enim continetur sub contingentia. 55 56

Quomodo præscientia Dei non tollat libertatem nostram?

Respondeo, 1. Præscientia non affert rebus præscitis necessitatem, ut docet *Aug. l. 3. de lib. arc. c. 3* & probat. Nam si præscientia affert rebus necessitatem, tum vel id fit à præscientia in genere, vel à præscientia Dei solùm. Non illud. Nam præscientia humana nunquam affert rebus necessitatem. Non enim futura est necessariò sequente anno Eclipsis, quia

prævidit eam Mathematicus, sed propterea prævidit Mathematicus, quia ea futura erat, atque sic objectivè Eclipsis præexstitit prævisioni Mathematici. Et idem est in cæteris rebus prævisis. Non etiam præscientia, ut est Dei, affert rebus præscitis necessitatem. Nam deus præscit suos proprios actus, veluti quòd aliquando velit creare mundum, abolere mundum, &c. Et tamen actus divini sunt liberrimi. Idem de præscientia divina docet *Chrysost hom. 60. in Matth ad cap. 18. ad v. 7.* Non quia futura scandala prædixit, *inquit*, idcircò veniunt; sed quoniam futura erant, idcircò prædixit: Non enim fierent, si nollent ea excogitare homines nequam & pessimi. Quòd si non ventura fuissent, nec ipse futura prædixisset, &c. Sic & *Hieron. cap. 17. Hierem.* Non ex eo, quia Deus scit aliquid futurum, ideircò futurum est, sed quia futurum est, Deus novit, quasi præscius futurorum. Similia sunt apud *Originem, lib 2. contrà Celsum (pag. 65.) Athanas. in serm. de passione Domini. Augustin. lib. 5. de civit. Dei cap. 10.* Ubi nullo modo, *inquit*, cogimur, aut retentâ præscientiâ Dei tollere voluntatis arbitrium: aut retento voluntatis arbitrio, Deo, quod nefas est, negare præscientiam futurorum, sed utrumque amplectimur & confitemur. Non ideò peccat homo, quia præscit illum peccaturum, &c.

56 *II.* Quòd autem ea, quę præscita sunt, non possunt non evenire, hoc est ex eo, quia Deus præsciens alia, intuetur ea, quasi præsentia vel facta, ut & notavit *Scalig. exerc. 365. sect 8.* Si subtilius excutiamus, *inquit*, nè verbum quidem illud prævidere, convenit Dei omnipotentiæ, nisi quòd nostrâ mutilâ cognitione metimur Dei infinitatem. Nobis quidem, quibus est futurum, prævisio illa est. Deus cui nihil futurum, non prævidet, sed videt simplicissimè quod est præsens. Deo enim omnia præsentia. Ut idem dicit *exerc. 307 s. 20.* Quando autem aliquid est in præsenti, vel etiam factum est, tunc non potest non esse, etiam quod aliàs collatum ad causas suas est contingentissimum. Atque sic eo ipso, quo est, etiam necessariò est, inquit *Boet. & Arist. lib. 1 de interpret. 14.*

At *dices*; Sic igitur homo agit necessariò, saltem in præsenti, quòd videlicet Deus præscientiâ suâ id intueatur. *Respondeo* 1. Si maximè homo necessariò ageret, cùm agit, nihilominus adhuc haberet liberum arbitrium. Nam, ut

ut multi volunt, (inter quos est *Lombard. lib. 2. dist. 25. & Occam. lib. 1. dist. 28.*) Liberum arbitrium non pertinet ad præsentia, sed ad futura solùm. Quia tamen libertas videtur esse etiam in præsenti actu (secus enim Deus non esset agens liberum, cui omnia sunt præsentia) idcircò dicendum. 2. Propositionem *Aristotelicam* intelligi debere solùm de Necessitate hypothetica. Illa autem non excludit contingentiam. Igitur unumquodque eo ipso quo est, necessariò est; necessariò, inquam ex hypothesi hac, quia est. Si actio aliqua sit libera, non potest quidem non esse, quando est, à causa tamen sua non fluit cum necessitate absolutâ, sed adeò contingenter, ut quovis momento possit intermitti, & non fieri.

Pelagiani, ut refert *August. Epist. 106. ad Paulin.* dicebat, etiam Infantibus convenire liberum arbitrium. Sed *August.* id *ibidem* rejicit. Nec tamen ea res contrà nos est. Nam verum est alicui homini, ut infanti, non convenire liberum arbitrium, secundùm Exercitium videlicet, vel actum: semper tamen ei convenit liberum arbitrium, quatenus significat potestatem liberam eligendi hoc aut istud. 57 *An Infantibus conveniat libertas?*

Probabant Pelagiani actus liberos esse in infante, quia *Jacob, Esau*, in nativitate supplantaverit. *Respondet Augustinus* ideò motus illos, sive litigium parvulorum, fuisse signum magnarum rerum, atque sic non arbitrium, sed prodigium. Neque enim daturi sumus & asinis liberum arbitrium, quia hujus generis jumentum, aliquando voce respondens, prohibuit Prophetæ demensitam, &c.

Quæstio. IV.

An alia sint agentia libera, præter hominem, Angelos, & Deum.

1. Videtur etiam in rebus inanimatis competere libertas. Sunt enim indifferentia ad operandum. Id probari potest: 1. Exemplo ignis, si existeret in centro mundi; Is enim esset indifferens, ut ferretur vel ad hanc, vel ad illam cœli partem; Nec enim magis haberet ignis illo propensionem, ut ferretur ad partem Septentrionalem, quàm ad Meridionalem, aut alias cœli partes, sed æquè primò propenderet ad omnia cœli puncta. Ergò ad motionem suam habendam huc vel illuc est indifferens, atque adeò liber. 11. Probari potest Exem- 58 *An rebus inanimatis conveniat libertas.*

plo

Exemplo omnium agentium naturalium. Hæc enim indifferentia sunt ad productionem hujus vel illius individui, etsi determinata sint ad hanc speciem.

II. Videtur libertas esse in corporibus animatis etiam *plantis*. Nam vis auctrix est indesserens & æquè primò propēdet ad omnes differentias, ut simul extendat corpus aliquod sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, prorsum, & retrorsum

III. Multò magis videtur esse *in bestiis* libertas. Nam illud indicant sagacissima opera earum, quibus commotus
59 *Plutarchus* scripsit opusculum de ratione brutorum. Et *Valla cap 9. Dialect.* iisdem rationem attribuit, Illius generis opera sunt hæc: quòd *Bucephalus* equus *Alexandri Magni* nemini, nisi Domino suo, tergum præbuit, nê quidem cum alius vestibus regis indutus accessiit, quòd capræ in Crete transfixæ sagittis, ut sagittam excutiant, dictamnum quærere dicuntur. Pertinet etiam huc quod *Scaliger* de equo refert *Exerc.* 209. *sect.* 1. *Equum pusillum & deformem*, inquit, *circumducebat Agyrta quidam, cujus jussu, atque etiam solo interdum nutu ille omnia faceret, Ambulare, succussim properare, currere saltare quadrupes vel tripes. Vinum bibere vidimus, in clunibus sedentem anteriores pedes ad patcram ferre, pelvim siue maluvium cruribus sustinere, quasi à tonsore lavaretur, qualem pictum videmus asinum cucullatum, humo se sternere, projectum atque etiam porrectum imitari, ciliorum compressione annuere, caput ad heri nutum attollere, in terga vertere, supinus ostendere, quo corporis situ mulier incuntem admittat virum, &c* Et quomodo non libertatem indicat, quòd oves cæteræque quadrupedes in campis unam herbam carpunt, aliam negligunt; & hic desinceps. Ex quibus omnibus colligitur, Bestias habere indifferentiam ad operandum.

60 *Bestiis non convenire liberum arbitrium in operando*

Nihilominus dicendum est: *Bestiis non convenire liberum arbitrium* Nam illud includit & intellectum, quia est arbitrium, & voluntatem, quia est liberum. Hæc autem brutis non conveniunt. Nolite fieri sicut equus & mulus. quibus non est intellectus dicitur, *Psalm* 42. *v* 9. Indéque *Psalm.* 49. dicuntur jumenta insipientia. Quòd si quandoq; brutis voluntas assignetur, necessariò vox voluntatis abusivè & impropriè accipitur) ubi enim intellectus non est, ibi propriè nec est voluntas) etiam generaliter, pro appetitu vel inclinatione,

inclinatione, quomodo etiam inanimis tribuitur θέλειν καὶ ἐθέλεσθαι, ut docet *Scalig. l. 1. de plant. pag. 402. Lombard. lib. 39. A Lulov: Vives ad August. l. 14. de civ. Dei, c. 9.*

Deinde confirmatur: In brutis non est cognitio Universalium, non cognitio reflexa. Habent enim solùm potentias materiales, quæ inferiores sunt, quàm ut ad tam nobiles operationes elevari possint. Igitur nec potest in iis esse liberum arbitrium. Hujus enim fundamenta sunt ista.

Ex his autem à fortiori concluditur, nec in cæteris esse libertatem.

61 *Solvuntur objectiones*

Ad argumenta objecta nunc respondendum est. Ad *primum* dico: Ignem in tali statu positum, nullam prorsùs posse habere à natura sua motionem, nec inde recedere posse, nisi ab extrinseco motore, quia omnes partes ignis in tali casu æquè inclinant ad motum sursum, per lineam rectam quoquo versum. Indéque fit, ut inter se æqualem habeant activitatem, nullaque actio sequatur. Vide *Suarez, disp. 19. Metaph. s. 1. num. 56.*

62 Ad *secundum*: Ea libertas & indifferentia solùm repugnat agentibus non voluntariis, secundùm quam dicuntur posse agere vel non agere, positis omnibus ad actionem prærequisitis. Inter prærequisita autem recensetur etiam concursus divinus, qui in agentibus naturalibus est in eo, ut causa naturalis determinetur per illum ad productionem hujus vel illius individui. Igitur tum demùm causa illa esset libera, si positâ illâ divinâ determinatione ad productionem hujus vel illius individui, posset tamen agere vel non agere. Confer Colleg. *Conimbr. l. 2. Phys. c. 7. q. 15. a. 2. & 2. de gen. & int. c. 11. q. 1. a. 3.* Videatur etiam *Suarez d. loc. n. 11.* Disputat enim ilic; An indifferentia etiam reperiatur in agentibus naturalibus.

63 Ad *tertium*, quod erat *de facultate auctrice* plantarum, dico: illam indifferentiam, quam ea habet ad extendendum corpus per omnes differentias loci, nullatenus indicare libertatem: Nam ita determinata est Facultas auctrix ad hunc effectum, ut non possit non sic extendere. Illa autem indifferentia ad effectus solùm indicat libertatem, quâ quid sic indifferens est, ut agere vel non agere possit.

94 Ad *quartum, de bestiis* respondeo 1. Verè dici esse in brutis saltem umbram & similitudinem quandam libertatis. Non enim ita sunt coarctata ad unum, sicut Sol ad locendum aut ignis ad utendum. Idq; propterea, quia habent vim cognoscitivam

ſcitivam ſenſuum, & etiam appetitum. Atque hoc conficiunt rationes & exempla in objectione poſita. 2. Non eſſe autem eam veræ libertatem, apparet tum ex rationibus antè factis, tum etiam ex eo, quia ea, quæ in illis eſt indifferentia, per judicium naturale determinatur ad certos actus, ſic ut illos bruta neceſſariò faciant. Sic igitur poſſunt hoc magis quàm illud concupiſcere, ſi phantaſia illorum ita decernat. Hæc autem non poteſt niſi unum decernere, cùm bruta non diſcurrant, indèque non poſſint hoc cum illo conferre. Vide *Piccol: grad:* 1. *Philoſ. civil:* c. 22. & *Scalig. lib.* 5. *de C. L. In. cap:* 114. Hoc autem, quod dixi de neceſſitate appetendi illud, quod Phantaſia judicavit, evidenter probatur ex eo, quia beſtiæ ejuſdem ſpeciei omnes idem operantur. Omnes gallinæ fugiunt milvos; omnes lupi inſidiantur ovibus; omnes aves, unius ſpeciei, eodem modo nidificant; & ſic deinceps. Idémq; dicendum eſt, de ſpecialibus actibus brutorum, quos habent per aſſuefactionem. Aſſuefactio enim diſponit phantaſiam ad certum quid imaginandum. Ad hoc autem, quod imaginata ſint bruta, non poſſunt non ferri; ut non ſit veſtigium reliquum, ex quo colligi poſſit, quòd iſtos actus eliciant ex ſe, ut poſſint eos appetere, vel non appetere.

NONÒ.

De cauſis per accidens.

65 *Per accidens variè dicitur.*

Inprimis hic prænotanda eſt ambiguitas vocis. I. Dicitur aliquid per accidens, *in ratione Unius.* Sic ergò dicitur per accidens, quod eſt unum ſive Ens per aggregationem. Eſtque id bifariàm: 1. Si aggregentur entia diverſorum prædicamentorum, ut Homo bonus, quod eſt ens aggregatum ex ſubſtantia & qualitate. 2. Si aggregentur entia unius quidem prædicamenti, ſed tamen ſeorſim habentia completam Entitatem (ut acervus tritici, aut nummorum) vel ſaltem ita refractam, ut tamen inde non exurgat una quædam communis Entitas, per quam uniantur, quaſi partes illius aggregati, quale quid eſt vinum lymphatum, hydromel, aliique liquores commiſti.

66 II. Dicitur aliquid per accidens *ratione ſubjecti.* Et ſic per accidens aliquid dicitur, quod rarò recipitur in ſuo ſubjecto. Etſi alioquin cauſas per ſe, & determinatas habeat, à quibus fluat. Sic Eclipſis Lunæ eſt aliquid per accidens, non quaſi non proveniat ex cauſa per ſe (ſecus enim eſt. Nam

per

per se pendet ab interpositione diametrali terræ) sed quia rarò recipiatur in isto suo subjecto, hoc est, Lunâ.

III. Dicitur aliquid per accidens *in ratione causæ.* Et hoc sensu illud dicitur per accidens, quod adjungitur causæ per se agenti. Sic est aliquis homo simul Architectus & Musicus. Si ergò dicam Architectum canere, aut Musicum ædificare; tunc hoc sensu architectus respectu cantionis, & Musicus respectu ædificii dicitur causa per accidens, quia scientia architectandi adjungitur ei qui per se canit, & scientia canendi adjungitur ei qui per se ædificat. Vide *Arist. l. 5. Met: c. 2.* 67

IV. Dicitur aliquid per accidens *ratione effectus.* Et hoc sensu illud dicitur per accidens, quod adjungitur effecto per se producto. Sic est aliquis homo, qui per se intendit piscari. Huic effecto per se intento, adjungitur alius effectus non intentus, hoc est, ut intra piscandum extrahat aureum tripodem. Hoc igitur appellatur per accidens in ratione effecti. Atque hujus iterum tres modi sunt, ut annotavit *Armand.* de Bello *Visi tract. 2. cap: 246.* Et *Thomas l. 2. secunda q. 43. artic: 5.* Et *q. 65. artic: 8.* 68 *Per accidens in ratione effectus tres modus habet.*

I. Aliquando ille effectus nullum habet ordinem ad effectum per se, nisi solùm secundùm æstimationem hominis, veluti si aliquis dicatur causa terræ motûs, quia eo tempore, quo ipse intravit domum, terræ-motus contigit; aut si Monachus dicatur causa pluviæ, si Iris aquas concipiat, cùm Monachi ingrediuntur iter. II. Aliquando ille effectus accidentalis habet ordinem ad effectum per se, eumque necessarium. Talis est effectus, qui consequitur ad remotionem impedimenti. Si loquitur *Aristot. 8. Phys. c. 4. text. 33.* Aliqua corpora moveri ab eo, quod impedimenta & prohibentia removet. Igitur si columna impediat motum lapidis, ille, qui movet columnam, est ejus motûs causa per se, sed motus lapidis est effectus per accidens, talis, inquam, effectus accidentalis, qui tamen necessariam habet consecutionem & ordinem, ad priorem effectum per se. *Quod cùm adsit alicujus causa est, idem cùm absit, causam contrarii dicimus nonnunquam, ut absentiam gubernatoris, naufragii, cujus præsentia salutis causa erat,* ait *Aristot: lib: 5. Metaph. c. 2. & 1. Phys: cap: 3.* Quanquam alia etiam ratione hoc intelligi potest, quòd nauta per absentiam suam sit causa submersionis, quatenus scilicet, ut causa libera suspendit actionem suam & influxum, qui est in potestate illius. Unde sic, moraliter loquendo, est causa per se, quia debebat & oportebat

tebat adesse. Vide *Suarez. disp. 26. Metaph: s. 6. n. 15.*

III, Aliquando ille effectus accidentalis, habet ordinem ad effectum per se, sed contingentem, ita, ut rarò consequatur ad istum effectum per se. Talis est extractio aurei tripodis ad piscationem, inventio thesauri ad fossionem vineæ: Et hos effectus accidentales solùm complectitur causa per accidens. Quia priorum duorum generum causæ, nullum prorsùs influxum habent ad ista effecta illorum: Unde simpliciter non sunt causæ. Nunc rem ipsam aggrediamur.

69 *I. An dentur effectus per Accidens?*

Qui dicunt omnia fieri necessariò, illi consequenter negant dari effectus casuales. Sed in ea latitudine eam quæstionem non tractabimus, ut probemus esse in rebus contingentiam. Igitur, posito, quòd sit in rebus contingentia, adhuc tamen dubitari posset, An aliquid sit per accidens. Est enim aliquid etiam contingens, non solùm quia habeat causam per accidens, sed etiam quod habeat causam per se, sed rarò positam in mundo; unde talis effectus rarò, etsi per se, consequitur. Hoc modo contingens est dari Eclipsin in Luna.

70 *Objectiones*

In specie igitur quòd non dentur effectus casuales, sic probari potest: I. Omne effectum per accidens posterius est eo, quod est per se, ut *Aristot.* habet *2. Phys. c. 6. t. 66.* Ergò non est opus ponere causam per accidens. II. Omne ens per se habet causam per se. Effectus fortuitus est Ens per se, ut patet. Ergò etiam habet causam per se. Ergò non datur causa per accidens. III. Si datur effectus per accidens. Ergò tollitur Dei præscientia & providentia, quod est absurdum. Consequentia firma est. Nam effectus per accidens est, qui est præter intentionem agentis. Ergò etiam præter intentionem Dei. Nam Deus concurrit in productione omnium particularium effectuum. At esse aliquid præter Dei intentionem, omninò pugnat cum ipsius præscientiâ & providentiâ.

71 *Declaratur veritas.*

Sed nihilominùs oppositæ sententiæ veritas patet, saltem per experientiam. Nemo enim est, qui non quandoque experiatur, cum effectis suis per se, aliquando conjungi alios effectus per se non intentos. Atque hi ipsi sunt per accidens.

72 *Solvuntur objectiones*

Solvendo igitur objectiones, respondeo *ad primum*: Omnis effectus per accidens reducitur ad aliquam causam per se. Hæc propositio bifariam exponitur. *Keckerman. Syst. Logic. libr. 1. pag. 155.* si exponit, quòd reducatur ad causam

per

per se, idest, ad causam primam, cujus respectu omnis effectus dicatur per se. Sed hæc sententia satis *Calviniana* est. Inprimis enim aliquando effectus per accidens sunt peccata, quæ non nisi *Calvinisticè* ad primam causam, tanquam causam per se reducuntur. Melius igitur est dicere cum aliis, quòd omnis effectus per accidens reducatur ad aliquam causam per se, non quòd illa causa sit causa per se illius effectûs qui aliis est fortuitus; sed quod illa sit per se causa alterius effectûs, quem per se producit: cui posteà accidentaliter conjungitur effectus alius. Sic inventio thesauri reducitur ad aliquam causam per se, id est, eum, qui per se fodit vineam aut sepulchrum, &c. Ita exponit *Suarez, disp: 19. s. 12. n. 7.* & attingit *Perer: l. 9. c. 2.* Utrinque tamen opus est ponere causam per accidens. Etsi enim *per reductionem* effectus fortuiti habeant causam per se, hoc est, vel primam causam. vel eam, quæ per se producit eum effectum, cui effectus accidentalis conjungitur. Tamen primò non habent causam per se, sed primò est effectus per accidens, quia illa causa, quæ per se producit effectum aliquem, per accidens etiam producit eum, quem fortuitum dicimus.

Ad alterum respondeo: Effectum fortuitum, ut talis est, non esse Ens per se; Nam ut fortuitus est, dicit aggregationem ad aliud per se effectum. Tum in ratione Causæ etiam non est Ens per se. Nam hoc prorsùs accidentale est, ut fodiens vineam inveniat thesaurum. 72

Ad alterum respondeo: Posita, quòd dentur effectus fortuiti, non tollitur Dei præscientia, aut providentia: Quia isti erunt tales, si saltem fiant sine particularis agentis intentione. Quod autem non fortuitò & casualiter agat Deus, si agant ita causæ secundæ, apparet ex simili in humanis rebus. Mittat aliquis parens filium ad Academiam, in qua moretur per annum, idque ignorante fratre: Posteà anno nondum elapto, mittat illuc alterum filium. Hoc illi filio fortuitum erit, quod ibi offendit fratrem suum; sed patri, agenti ita ex prævisione, non erit fortuitum. Simile est de duobus servis in eundem locum missis. apud *Thom. 1. part. q. 116. art. 1.* Ita patet, causis inferioribus posse aliquid esse fortuitum, quod non sit fortuitum causæ primæ. 73

II, An Deus sit alicujus rei causa per accidens?

Negativa est *August. l. 83. q. 75 q. 134.* & ex eo *Thomæ in* citato 74

citato modò 1. part. q. 103. art. 7. & q. 116. a. 1. & Boëthii 5. de consol. prof: 1. Patétque id firmiter: Nam effectus per accidens dicitur ille, qui est præter notitiam aut intentionem, consilium ve agentis. Nihil autem est extra Dei notitiam. Est est enim Deus omniscium Ens. 2. Ibi minus est fortunæ ubi plus est intellectus, per *Arist. l. 2. Mag: Mor. c. 8.* Et patet, quia, ubi plus est intellectus, ibi pauciora eveniunt, propter perspicacitatem intellectûs, præter illius notitiam. Ergò in proportione, ubi purissimus est intellectus, seu, ubi nulla est intellectus imperfectio, ibi nihil est fortunæ. Atqui talis intellectus in Deo est.

76 In oppositum tamen, videtur Deus aliquorum esse causa per accidens. Nam 1. peccata fiunt, & tamen non fiunt secundùm intentionem Dei. Ergò fiunt per accidens respectu Dei. 2. Removens prohibens dicitur causa per accidens, quemadmodum antè dicebamus, eum qui movet columnam à qua prohibebatur motus lapidis, per accidens esse causam, cur ille lapis moveatur. Atqui Deus etiam potest illud prohibens removere, nempe istam columnam. Ergò & Deus est causa per accidens, cur moveatur lapis columnæ superjacens.

77 Respondeo ad argumenta: I. In primo supponitur Deum esse causam peccari. Nam aliàs non quodcunque est citra intentionem agentis alicujus, est à causa per accidens. Nam citra intentionem hominis movetur cœlum. Et tamen homo non est causa per accidens motûs cœlestis. Supponendo autem quòd aliquid sit causa, tum si non agat cum intentione, loquendo de agentibus voluntariis, dicitur agere per accidens. Id autem suppositum non admittitur de Deo, in respectu ad peccatum. II. Carentia illa intentionis, quæ facit causam casualem, latè sumenda est, ut sine intentione agere, sit idem quod sine notitia, v. l. consilio, vel deliberatione agere. Nam id homini, verbi gratiâ, fortuitum non est, quod prænoscebatur ab ipso subsecuturum esse actionem illius. Atque sic hoc respectu etiam non conveniunt Deo ea, quæ in causa per accidens requiruntur, in respectu ad peccatum. Prænoscit enim Deus, quid actibus humanis adhæsurum sit, hoc est, defectus, & carentiam debitæ justitiæ, &c. Videatur *Suarez disput. 19. Metaph. s. 12. n. 4.*

78 *Ad secundùm:* Dubium non est, Deum immediatè posse removere aliquod prohibens, veluti, ut moveat valvas, quæ prohibent

prohibens solem aliquod conclave illuminare, aut moveat columnam, quæ prohibebat lapidem aliquem deorsum ferri. Tum tamen Deus non est causa per accidens, quia Deus tanquam causa Universalis per se etiam influit, ut cum Sole producat lumen, & ut cum lapidis gravitate producat descensionem. Aliæ autem causæ dicuntur per accidens agere, quæ removent prohibens, quia illarum actio est solùm in illud quod prohibet, & non in id quod prolubetur. Quanquam necessariò addendum est, causam, quæ prohibens removet, non esse ita per accidens, ut hic de causa per accidens, hoc est, casuali, & fortuitâ loquimur. Nam quia remoto impedimento necessariò subsequitur actio illius quod prohibitum est, ut dictum est antea, idcircò fieri potest, ut removens impedimentum, intendat non solùm movere impediens, sed etiam promovere operationem prohibiti. At causa per accidens, hoc est, casualis & fortuita, operatur sine intentione. Et adhuc notandum: removens prohibens (si accuratè loquamur) non esse causam ad operationem prohibiti, quia prorsus nihil influit ad illam operationem. *Removens prohibens quomodo sit causa?*

III. Quid requiratur in genere, ut aliqua causa dicatur per accidens?

Impropriè dicitur causa per accidens, ad quod vel effectus *nullum* ordinem habet, vel habet ordinem *necessarium*. Est autem illa inprimis propriè causa per accidens, ad quam effectus ordinem quidem habet, sed contingentem, ut videre est *ex num. 68. comm. hujus capitis*. Igitur, ut aliquid sic dicatur causa per accidens, requiritur. 1. Ut sit aliquid, quod aliquam rem per se efficiat. 2. Ut illi rei, quam per se efficit, adhæreat alius effectus, nullam necessariam connexionem habens cum priori per se producto. Adeóque 3. ut rarò effectus ille per accidens, adhæreat illi, quod est effectum per se. 4. Denique, ut agens non agat secundùm aliàs consuetum operandi modum. Id autem est duplicitar, prout etiam agentia illa sunt duplicia: Vel enim effectus fortuitus adhæret alicujus causæ voluntariæ effectui. Et tunc requiritur in causa per accidens, ut agat non intendendo, vel non deliberando, vel non præmoscendo effectum, quem accidentarium dicimus. Nam modus agendi in agente voluntario est secundùm notitiam, vel deliberationem, &c. Vel iste effectus per accidens adhæret effectui alicujus causæ naturalis. Et tunc requiritur in causa per accidens, ut non agat secundùm

19

dùm propensionem vel instinctum naturæ. Veluti: Si animal generet, tum secundùm propensionem naturæ generat sibi simile, quòd si generet animal biceps, aut habens duo corda &c. tum generat per accidens, & non secundùm, sed præter propensionem naturæ.

IV. An Causa per accidens sit solùm in efficiente?

80 *Materia non est causa per accidens.*

Avicenna l. 1. Suffic: cap. 13. negat, dicitque essentiam Causam per accidens in materia.

Hâc in re dicendum est 1. *Materia nullius effectûs est Causa per accidens, quæ materia est.* Ita patet 1. Ex conditionibus, ad causam per accidens recensitis, numero præcedente. 2. Ex falsis hypothesibus *Avicennæ*, qui existimat etiam effectum aliquem esse casualem, qui (non solum rarò, sed) etiam indifferenter ad utrumlibet fit, veluti per accidens esse, ut aliqua superficies sit alba, quæ æquè possit esse nigra. Si enim causa per accidens posset producere effectum, qui sit per accidens, & tamen non rarus, sed indifferens, ut æquè possit esse, & non esse, tum tollitur discrimen inter Causas per se, & per accidens. Nam causa voluntaria est causa per se, cujus proprium est, esse liberam sive indifferentem, ut possit agere, vel non agere Alia contra hanc hypothesin *Avicennæ*, vide apud *Averroëm. 2. Phys. comm. 8; Perer: lib. 9. cap: 7.* aliósque.

81 *Causa Monstrorum.*

II. Dicendum est, *sæpè sunt effectus per accidens, quos habet Causa per se, in concursu cum materia.* Atque hoc decepit *Avicennam.* Manifestum autem id est ex productione Monstrorum. Natura enim sæpè producit effectus monstrosos, propter inconvenientes dispositiones aut proprietates materiæ, veluti, si materia generationis sit redundans, vel deficiens, vel semina distinctarum specierum sint confusa, vel cum semina propter rupturam secundinæ sunt distracta, aliisque modis aliis. Observandum tamen hîc est, materiam [illegible] non esse Causam per accidens, sed solam efficientem, inprimis, quia materia, ut est materia, propter potentiam Universalem, quam ad formas habet, non magis influeret, (si influeret) ad formam hanc, quàm ad illam. Ergò nulla ei magis per se conveniret, quàm altera, Relinquitur igitur, sic solam efficientem dici per accidens.

V. Quomodo dividenda sit Causa per accidens?

82 *Ramæi* dividunt in eam, quæ agit ex necessitate vel fortunâ

tuna. Causam autem ex necessitate agentem appellant eam, quæ agit necessitate extrinsecâ, vel coactionis. In genere autem dicunt causam per accidens; quæ externâ facultate efficit. Laudant autem hujus divisionis autorem *Arist. lib. 1. Rhet. c. 10.* quem locum postea annotabo. Dicitur ibi: quod agens per se agat necessitate, vel fortunâ. Vide *Doun in Log. l. 1. c. 5 f. 126.* *Divisio Ramæorum.*

Aristotelici autem distinguunt causam per accidens in casum & fortunam. Idque sumitur ex *Arist 2. Phys. c. 6. 7.* *Divisio Aristotili. corum.*

Dico I. *Causa per accidens non potest dici omnis ea, quæ externâ facultate efficit.* Est enim de ratione differentiæ non dici latiùs, ac dicitur species, ut *Aristot.* habet *6. Top. c. 6.* At externâ facultate agere dicitur etiam de causa per se, Etsi enim causa per se proximè eliciat effectum suum ex se, hoc est, naturâ, vel voluntate suâ, tamen antecedenter potest allici, vel instigari, vel impelli ad id agendum, ut per se notum est, inprimis de agentibus voluntariis. Atque sic causa agens ex necessitate, potest referri ad causam efficientem per se & voluntarium. Talis est is, qui salutis suæ Causâ abjicit in tempestate merces suas in mare. Antecedenter enim tolùm impellitur ex vi tempestatum. De cætero tamen elicit eum effectum ex se, sive voluntate suâ. 83

Dico II. *Causam per accidens non posse dividi in eam, quæ agit necessitate vel fortunâ.* Ita sequitur ex priori Probatum enim est, causam, quæ agit ex necessitate coactionis, esse causam voluntariam, & non causam per accidens. Sunt certè ibi omnia, quæ ad causam per se requiruntur in agente voluntario, hoc est, deleberatio, intentio, notitia eorum, quæ offeruntur, quæ non sunt in causa per accidens. 84

Neque *Aristoteles* eâm distinctionem juvat. Nam per eam, quæ *non agit per se, Aristoteles* non intelligit causam per accidens, quia sub illa causa non per se, comprehendit etiam naturam. Et per causam per se intelligit tolùm hominem, in illis operationibus, quas vel ex suis facultatibus rationalibus elicit, vel imperat in aliis suis facultatibus, quæ rationis expertes sunt. Idq; eâ ex occasione, quòd *Aristoteles* ibi vult inquirere, secundùm quas operationes homo accusari possit, & secundùm quas non. Illas appellat per se, has non per se. Et sic actiones non per se, hoc est, secundùm quas homo non possit accusari, appellat necessitatem, & fortunam, necessitatem, inquam, violentiæ & *naturæ*. Summatim igitur 85 *Quid sit Aristoteli Causa non per se agens.*

solùm dividit operationes *hominis*. Textus *lib.* 1. *Rhet. cap.* 10 integer sic est. *Jam*, inquit, *omnes agunt omnia, partim quidem non per se, partim verò per se. Ac non per se quidem.* (Et hæc verba allegant *Ramæi*, pro sua divisione causarum per accidens) *partim per fortunam agunt, partim ex necessitate. Et ex necessitate partim vi, partim* Natura. *Quare omnia quæcunque non per se agunt, aut à fortuna, aut naturâ, aut vi. Quæcunque verò per se, quorum ipsi homines sunt causæ, alia sunt per consuetudinem, alia per appetitionem. Et ex his alia per appetitionem rationis participem, alia per experim rationis. Est autem voluntas cum ratione, appetitio boni. Nemo enim vult, nisi quod existimaverit esse bonum. Expertes verò rationis appetitus sunt, iracundia & cupiditas. Quare necesse est omnia quæcunque agunt, propter septem causas esse, fortunam, vim, naturam, consuetudinem, ratiocinationem sive volitionem boni, iracundiam, cupiditatem.* Hactenus ille. Ex quibus apparet. *Aristotelem* ibi nihil somniare de causa per accidens.

36 Dico III. *Melius dividi causam per accidens, per fortunam & casum.* Hujus divisionis confirmatio facilis est. Nam in genere effectus accidentalis est, qui adhæret alii per se intento à natura agente, & quæ sunt conditiones aliæ suprà relatæ

num. 79. Ille igitur effectus per se intentus, est vel effectus causæ voluntariæ, aut effectus causæ naturalis. Ergò effectus accidentalis vel adhæret effecto causæ voluntariæ, & tunc est effectus casualis. Ac proinde bonitas & æqquatio hujus divisionis sumitur ex bonitate & adæquatione divisionis causæ per se in voluntariam, & naturalem.

VI. De Fortuna.

37 Primò annotandum est aliud de voce Fortunæ. Igitur

Ethnicorum Fortuna. apud Ethnicos fortuna sumitur pro peculiari Dea, quæ citra intuitum meriti aut demeriti præmia & pœnas distribuat, isque valdè mutabiliter. Et hinc pingebant fortunam cœcam, furenti similem, volubili saxo pendentem. Contra hanc fabulam videatur *Lactan. l.* 3. *de ver. sap. c.* 28, 29. & *August. l.* 4. *de civit. Dei c.* 28. Ethnice & huic ferè similis significatio est, qua aliqua Philosophi ita sumunt eam vocem, ut effectum fortuitum dicant quasi prorsus abjunctum à providentia Dei. Ex hoc sensu aliqui aiunt, *August. l.* 2. *Retract. c.* 4. dolasse, quòd in libris contra Academicos vocabulum

fortunæ

fortunæ usurpaverit: quanquam fortassè verius, quod doluerit de vocabulo à se usurpato, quod tam pravæ significationi subsitat, etsi à se non sit ita usurpatum 3. Vox fortunæ sumitur generatim pro omni effecto per accidens, ut comprehendat etiam casum, quomodo dicimus fortuitò contigisse, ut prosiliret fons ex terra, quam calcabat *Pegasus* &c. 4. Vox fortunæ sumitur, ut distinguitur à casu, cujus definitionem mox apponemus. 5 Apud Oratores & Poëtas fortuna pleruncque solet notare felicitatem. 6. Valdè frequens est, ut & vocabulum fortunæ, & vocabulum casûs sumantur, non pro causâ fortunâ vel casuali sed pro effecto fortuito aut casuali, 88

Definitio Fortunæ

Definitio fortunæ ex *Arist: 2. Phys: c. 5. t. 52.* ipsque quæ suprà dix *num. 89.* facilè sumitur, & vulgò solet esse talis: *Fortuna est causa per accidens, in iis quæ operantur ob aliquem finem, ex electione, neque semper, neque ut plurimùm.* Sensus est, quòd fortuna sit causa per accidens, quatenus agens aliquod voluntarium (hoc enim dicitur operans ob aliquem finem ex electione) aliquid rarò facit. Dicamus clariùs: Causa fortuita est agens voluntarium, secundùm quod ejus effecto per se intento annectitur alius non intentus. Ergò causa fortuita inventionis tripodis est piscator *Milesius.* Nam piscator *Milesius* est agens voluntarium. Estque ejus effectus per se intentus, capere pisces. Huic effecto annectitur alius, (& is quidem neque semper, neque ut plurimùm annexus est) invenio tripodis, Atque sic nihil specialiter dicendum restat. Possent aliquæ objectiones contra hanc definitionem fieri, sed, ex diligenti lectione superiorum, facilè possunt expediri. Si quis curiosus sit, hac in re videat eas apud *Porez tl 9. de couting. c 8. 9.*

VII. De casu ejusque definitione.

Vocabulum *Casus*, manendo in doctrina de causa per accidens, tres habes significationes: 1. Sumitur latè, & est idem quod causa per accidens generatim Sic dicit *Arist 2. Phys. c. 6 t. 57. Casus latiùs patet, quàm fortuna. Nam quod est à fortuna, casus est, quod verò casu, non omne à fortuna.* Ergò sic quicquid fit per accidens, fit casu 2. Sumitur specialiter, prout contradistinguitur à fortuna. Tunc igitur casus est illa causa, quæ non agit per voluntatem aut intellectum, sed solùm per naturalem propensionem. Sicut fortuna est in iis, quæ intellectu & voluntate aguntur, in effectis iis 89

ad quæ per se feruntur, Sicut *Arist.* inquit *citato lib. 2. Phys. c. 6. t.* 59 Neque inanimatum ullum, neque bellua, neque infans, quòd delectum non habent, quippiam agunt eorum, quæ fortunâ eveniunt, nisi quâdam similitudine & improprietate, sicut *Protarchus* fortunatos dixit lapides, è quibus aræ extructæ essent, quòd honore afficerentur, cùm alii ejusdem generis pedibus conculcarentur. 3. Casus significat effectum casualem; quæ significatio adeò frequens est, ut *Boëthius, l. de consol. prof:* 1. neget, casum significare causam, sed semper effectum casualem, seu inopinatum.

80 Ex dictis facilè est definire Casum: *Nempe casus est causa per accidens quâ effecto causæ naturalis apponitur alius effectus non intentus, nec necessarium nexum habens cum isto effecto priori.* Talis effectus est, cùm tegula tecto decidens, lædit prætereuntis caput. Nam & præter intentionem aut propensionem lapidis est id agere, & etiam cum effecto per se intento, à natura tegulæ, quæ est ad centrum movere, rarò connexus est istud, lædere alterius caput. Tum etiam tegula est agens naturale, quod sine cognitione fertur ad suos effectus.

Decimò.

De divisione causæ in Univocam & Æquivocam

91 Hic inquirendum est:

1. *Cujus Causæ sit hæc divisio?*

Timplerus lib. 3. *Met. c* 2. facit hanc divisionem generalem. Sed repugnat hæc amplitudo terminorum communi sermoni Philosophorum, quibus idem sunt causa vnivoca, & generans univocum, causa æquivoca & generans æquivocum. Ex quibus apparet, hic vocem causæ specialiter sumi, & per ἀντονομασίαν pro sola efficiente, ut suprà vocem causæ sumi diximus. *Notab. 1. c. 2.*

2. *An in hac divisione dividatur causa, prout comprehendit tum primam, tum secundam?*

92 *Suarez disp: 17. Metap: s. 2 n.* 21. existimat ex *Thoma*, dividi hic solum causam secundam. Sed ex requisitis causæ æquivocæ postea enumerandis apparebit, non male Deum causam æquivocam dici; ideóque hanc divisionem causæ in univocam & æquivocam intelligendam esse de causa, prout abstrahit à primâ & secundâ causâ

3. *An*

3. *An intelligatur divisio de causa, prout comprehendit & principalem, & instrumentalem?*

Respond. Principaliter intelligitur de causa principali. Ita esse apparet. Nam solæ causæ principales agunt ad hoc, ut sibi assimilent effectum. Instrumenta autem non agunt ad 91
hoc, ut sibi assimilent effectum, sed juvant principale agens, ut isti assimiletur effectus. Contingit quidem aliquando. ut instrumento assimiletur effectus, sicut per malleum fit malleus; tamen hoc per accidens est, ad rationem instrumenti. Malleus enim factus non tam assimilatur malleo instrumentali, quàm exemplari in mente artificis, tanquam causæ principalis, existenti. Atqui principaliter intelligitur hæc divisio fieri, ut peream exprimatur causæ & effectûs assimilatio. Vel enim agit, ut assimilet effectum in genere. Et sic est causa æquivoca. Vel agit ut assimilet effectum in specie, & sic est causa univoca. Præterea tamen non est diffitendum, quali ercunque comprehendi posse causam etiam instrumentalem, ut dicatur hæc æquivoca. Etsi impropriam talem locutionem esse negandum non sit, cum *Thoma* ex 4. *sent. c.* 1 *q* 1 *art.* 4. Et *Comment.* 11. *Metaph com.* 24.

11. *Quid sit Causa univoca, quid æquivoca?*

Respondeo. Ut aliquid dicatur *causa æquivoca*, unum requiritur ex parte causæ, alterum ex parte effectûs Hoc 94
est, ut effectus sit causæ dissimilis in specie, ut est arcularius & mensa. Deus & cœlum, &c. Hæc enim omnia non sunt ejusdem speciei. Igitur arcularius producens mensam, & Deus creans cœlum, causa æquivoca est; Istud est, ut causa sit eminentioris ordinis quàm sit effectus. Quia enim nihil aliquid potest dare, quod non habet, vel formaliter, vel eminenter; hinc etiam causa æquivoca non posset dare Entitatem, nisi eam haberet eminenter, hoc est entitatem aliquam superiorem Entitate effectûs. Atque hæc etiam conditio apparet in prioribus exemplis, Deus enim aliquid eminentius est quàm cœlum, & arcularius quàm mensa.

Causa autem *univoca* est, quæ producit effectum simile in 95
specie, veluti, cùm homo generat hominem, leo leonem, canis canem, ursus ursum. Est tamen advertendum, ampliandum esse hunc terminum, ut sic duos quasi gradus causæ univocæ liceat constituere. *Primus* est is, qui nunc est insinuatus, ut causa dicatur univoca, cùm est effectus in specie similis causæ; *Secundus* est, cùm causa conservat

Quid causa univoca.

Ens simile in specie: sic calor dicitur univocè agere, cùm non solùm generat calorem, sed etiam cùm conservat calorem; æquivocè autem, cùm destruit frigus. Usitatior tamen modus loquendi per terminos (Univocum aut æquivocum) est, de causa non conservante, sed generante.

Ut singula ista sint clariora Quæro:

93 *I. An mas sit causa univoca, generans fœminam?*

Respond. Esse causam univocam, quia mas producendo fœminam, non producit aliquid in specie diversum. (Ut requirebatur in causa æquivoca) sed solùm accidentaliter. Differentia enim Sexûs non oritur ex diversitate formarum substantialium, sed solùm ex variata dispositione materiæ, quæ compositio est accidentalis.

94 *II.* Quæro; *An Deus Pater generans Filium, sit causa univoca?*

Videtur quòd sit. Nam causa univoca est, quæ suam essentiam communicat. At Deus pater suam essentiam communicat Filio, eo ipso, quia genitum ad ipso *Filius* dicitur. Filius enim non dicitur, nisi habens communicatam sibi essentiam efficientis, unde nulli effecto æquivoco potest tribui nomen Filii docet *Armand* de Bello *Vis tract.* 2. *serm.* 2. 55. & *Chenit part.* 1. *Loc. theol. pag.* 131.

Dicendum tamen est, patrem non esse causam Univocam filii, quia Pater gignens filium, non gignit eum similem in *Specie*, sed gignit communicando suam *numero* essentiam. Nam supposito, quòd sit unus numero Deus, & quòd filius sit verè Deus secundùm naturam, & omnes proprietates & operationes Deo convenientes, prout utrumque ex Scripturis patet, consequens est, Deum patrem gignendo filium, gignere eundem numero Deum. Causa autem univoca non est, quæ eundem numero, sed quæ eundem specie effectum dicit.

95 *Inquis*, Si non est causa univoca pater filii. Ergò est causa æquivoca, quod est absurdius. *Respondeo:* Neutrum est, quia pater accuratè, & in rigore loquendo, non est causa filii, sed solùm principium. Nam de ratione effecti (quod est causæ correlatum,) est dependere à causa. Filio autem, ut qui verè Deus est, repugnat esse ens dependens. Filius ergò non potest effectum dici. Ergò nec pater debet dici causa. Ac proinde nec causa univoca, nec æquivoca. Advertatur igitur proportio. Vel aliquod gignens gignit sibi solùm simile in genere;

Et

Et tunc est causa æquivoca; Vel aliquod gignens gignit aliquod sibi solum simile in specie; Et tunc est causa univoca Vel aliquod gignens gignit aliquid sibi simile secundùm numerum, vel eâdem ad numerum essentiâ. & tunc transenditur ratio causæ; & id est in generatione divinâ, quæ hac. etiam ratione potuit ineneirabilis & intelligibilis dici, *ex Esaiæ* 53. *v.* 8.

Quæstio III.

An sola animantia sint causæ Univocæ?

95 Videatur quòd sic. Nam *Arist. l.* 2. *de anima*, inter facultates animæ recenset facultatem generandi, intelligitq; eam talem, quâ producatur tale, quale est ipsum generans, ut apparet ex dicto *l.* 2. *de an cap.* 4. *t.* 49, Ex quibus consequens esse videtur; vel alia, præter plantas & bestias, & homines, animata esse, vel ista non generare univocè, aut non esse causas vnivocas. Dicendum tamen est, etiam res inanimatas esse causas univocas, licut est, cùm ignis ignem, &c. generat; Hic enim effectus est in specie similis suæ causæ, Peculiari igitur modo solis animatis convenit sibi simile generare, propter quod etiam peculiariter, facultatem generandi simile, *Aristoteles* retulit ad animam. Igitur sola animata generant, *ex se & suâmet substantia*, déque ea communicando materiam ad rem gignendam, sicut & homines, & bestiæ, aut plantæ ex corpore suo communicant semen, per quod speciem propagant. Res autem inanimatæ (ut in exemplo ignis patuit, generant quidem simile, *se non de sua substantia*, sed agendo in materiam extraneam, quemadmodum ignis generat ignem. Ignis ex mea candela agit in Ellychnium, vel stupam alterius, ut in is efficiat ignem, nec de se aliquid elargitur. Vide hac de re *Zabarell. de facult. anim. c.* 14.

Undecimò.

De causa per Emanationem, & per transmutationem.

96 Hac de re duo imprimis tractanda essent; 1. Quid utraq; causa sit. 2. An causa per Emanationem verè causa sit. Negant enim *Cajetanus in Thom.* 1. *p. q.* 54 *art.* 3. alique, agens per Emanationem habere veram actionem. Ex quo consequens est, agens per Emanationem non esse veram causam efficientem. Cui enim non convenit actio, id non est efficiens causa, cùm causalitas efficientis sit actio. Sed operæ pre-

tium non est, hanc rem hic tractare, cùm sufficienter tracta-
ta sit *in Introd: Log. c. 10. de Act. §. 5.*

Duodecimò

De Causa Universali & Particulari: Primâ & Secundâ.

97 De utraque hac divisione simul agemus, etsi non sint prorsus eædem, quia habent aliquam convenientiam. Differunt, quia priori divisione considerantur causæ in causandi ordine. Sic enim, si proximo loco attingat effectum, vocatur causa *particularis*: si loco remotaori, it, ut, quantum est de influxu illius sit indifferens quid, ad faciendum hoc vel illud, cum aliqua particulari causâ, vocatur *universalis*. In posteriori autem divisione, non necessariò intelligitur concursus unius causæ cum alia, sed inspicitur solùm ratio essendi, & sic *prima* causa est, quæ est causa, non à causa alia habens esse. *Secundam* causa est, quæ est causa habens esse ab alia. Convenientia utriusque divisionis est hæc, quòd omnes causæ, comparando eas ad Deum, sunt & Particulares & Secundæ. Sunt autem, ad totius rei cognitionem, aliquæ quæstiones decidendæ.

1. An Deus concurrat ad omnes actus causarum Particularium?

98 Inprimis nunc non est sermo de actionibus humanis moraliter bonis, sed latiùs loquimur de actibus hominis, etiam naturalibus, neque solùm de actibus hominis, sed etiam aliarum rerum quarumvis. Igitur *Taurellus de rerum ætern: part. 2. p. 451.* existimat, magnam imprudentiam, indignitatem & inpotentiam esse, si Deus concurrat ad opera naturæ: *Magna profectò* inquit, *est indignitas, Deum qui naturam fecerit, naturæ socium esse ad abjectas etiam operas, perpetuumque laborem. Magna etiam Dei conditoris fuit impotentia & imprudentia, qui naturam ita condere non potuit, ut sola, quod suum esset, facere non possit officium; si voluit Deus semper operari, cur naturam fecit? An putas Deum, si quid facere velit, concausâ indigere Naturâ? Hæc ille.* Fuit autem eadem sententia etiam *Durandi, 2. sent. d. 1. q. 5. & d. 37. q. 1.* qui ait, Deum quidem concurrere ad actus causarum particularium, verùm non per se influendo in istos, & eorum productiones, sed solùm remote, quatenus agentibus particularibus primùm dedit esse, & facultatem operandi,

randi, & tam esse, quam istam agendi vim porrò conservat. Rursus idem censentur sensisse Pelagiani, ex iis, quæ *Hieron.* habet, *lib contra Pelagianos*, ubi refutat eos, quòd putarent, posse se sine auxilio Dei curvare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare. *Augustinus* omninò refert suo tempore aliquos ita sensisse. *Siunt*, inquit, *l. 5. de Genes ad lit. c. 20. qui arbitrantur tantummodo mundum ipsum factum à Deo, cætera fieri jam à mundo, sicut ille ordinavit & jussit; Deum autem nihil operari.*

Aliorum tamen communis est sententia in contrarium, qui existimant. Deum proximè concurrere ad omnes actiones causarum particularium. Non intelligunt tamen illud de concursu aut auxilio speciali, sed solùm generali. Videri possunt Commentatores *Lombardi lib. 2. dist.* 37. & *Thomas* ejúsque Commentatores, 1. *pag. quæst.* 109. & 3. *contra gentiles, cap.* 70. Idémque docet *Aristoteles*, inquiens, in agentibus subordinatis inferius non posse agere sine influxu superioris, *lib:* 8. *Phys. cap:* 5. & *lib.* 2. *Metaph. c.* 2. 99

Igitur Deum concurrere ad omnes actus causarum particularium, probatur, 1. ex sacris literis, *Esa* 26. *v.* 12. omnia opera nostra operatus es, *Job:* 10. *v.* 8. Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum, *Mat:* 5. *vers.* 45. Deus pluit super justos & injustos. *Psalm* 146. *v.* 8. Qui producit fœnum, *Psalm* 134. *v.* 7. & *Hier:* 10. *v.* 13. Educit nubes & fulgura ad pluviam. *Actor.* 17. *v* 28. In ipso sumus, vivimus, & movemur. Ex quibus apparet, Deum adeò concurrere ad nostras operationes, ut etiam eas sibi appropriet, nec solùm ad nostras, sed etiam aliarum rerum naturalium operationes.

Augustinus refert *lib: de grat: Christi, cap:* 4. Pelagium dicere, quòd Deus omnia operetur, quia vires operandi tribuerit omnibus rebus, sed hoc tribus modis refellitur. 1. textus literalis sonat concursum ad operationem rerum naturalium: Ergò non est sine gravi ratione ab hoc sensu recedendum. 2. *Augustin. Epist:* 146. *ad Consentium* notat, oportere Scripturam locutam esse in præterito, si notetur datio facultatis. Nam de præsenti non datur vis agendi, At dicitur in præsenti, Deus *operatur*, Deus *dat* corpus grano tritici, 1 *Corinth:* 15. & *vestit* fœnum agri, *Matth:* 6. *Cum dixit, VESTIT*, inquit, *non de præterita ordinatione, sed de præsenti operatione satis indicat.* Et postea: *Deus dat*

illi

illi corpus, quomodo voluerit. Non dixit, dedit, *aut disposuit, sed* dat *ut creatorem intelligas efficaciam sapientiæ suæ rebus, quæ quot die suis temporibus oriuntur, condendis adhibere, &c.* 3. Si dicimus: Deum producere res naturales, quia iis vim indidit sic agendi, tunc eodem sensu dici posset, nos in Deo peccare, aut Deum peccare, quia vis peccandi, hoc est, liberum arbitrium est à Deo, ut *Lombard.* docet ex *Augustin. lib. 2. sent. dist. 34. B.* &c onstringit hoc arctè Durandum, qui *adh. l.* docet potentiam peccandi formaliter esse à Deo.

Deinde probatur ex ratione. Si res ad conservationem suam requirunt actualem Dei influxum, Ergò etiam ad productionem. 100 Nam vel plus, vel saltem non minùs requirit rerum productio, quàm rerum conservatio. Antecedens autem probatur, quia aliquando res corrumpentur, solùm quia Deum subtraxit influxum, quo res conservat. Neque enim alia causa est, cur cessaverit efficacia ignis in urendis corporibus *Sadr. 6b* & Sociorum, quàm hæc ipsa.

Tertiò: Omne subordinatum dependet ab eo, cui est subordinatum. 101 Ergò subordinatum in essendo dependet ab alio in essendo, & subordinatum in agendo dependet ab alio in agendo, quemadmodum docet *Aristot. in 8. Phys. c. 5. & 2. Met. cap. 2.* In agentibus per se subordinatis inferius non potest agere sine vi superioris. Atqui res creatæ sunt subordinatæ Deo, & quia Entia sunt, tanquam creatori; & quia agentia sunt, tanquam causæ universali. Ergò utroque modo à Deo dependent. Solvamus ergò argumenta contraria.

Solutio objectionum.

Objicitur 1. 102 Posito concursu divinæ operationis tolli libertatem voluntatis. Libertas enim voluntatis consistit in eo, ut omnibus ad agendum requisitis positis, possit homo agere vel non agere, solùm eliciendo velle vel nolle, Ex se. At impossibile est, ut posito divino concursu id fiat. Si enim isto posito posset homo agere vel non agere solùm per voluntatis suæ determinationem, tum efficacior videretur esse voluntas hominis, quàm concursus Dei.

Respondeo: Causa libera est, quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere, vel non agere, loquendo de *prærequisitis*, non autem de concomitantibus actionem. Cùm enim ponuntur concomitantia actionem, implicat, non poni ipsum agere. Iste autem Dei concursus non est aliquid prærequisitum, sed concomitans actionis humanæ

Alia,

Alia, quæ huc pertinent, suprà habentur, *In hoc cap. n. 54.*

Objicitur 2. Argui ex hoc concursu, vel Dei Impotentiam, vel Imprudentiam. Illud, si non potuerit creare aliquod Ens, quod sine suo concursu operaretur. Hoc, si, cum potuisset tale Ens creare, non tamen se sublevâsset ab isto labore.

Respondeo, Deum nec impotentem, nec imprudentem ex hoc concursu suo argui posse. Non illud. Nam cujusque agentis potentia æstimanda est ex proprio objecto. Objectum autem divinæ potentiæ est id, quod contradictionem non implicat. Quod autem contradictionem implicat, est non Ens. At esse aliquod Ens creatum, & tamen in operationibus suis non habere concursum Dei implicat contradictionem. Nam si est Ens creatum, Ergò est ens dependens in esse. Et si est dependens in esse, Ergò & in operatione, quia operari sequitur esse. Et confirmatur. Nam etiam ipsa actio non minùs est Ens creatum (neque enim est Ens increatum, quod est solus Deus) quam etiam causa ipsa, cujus est actio. Ergò non minùs ipsa actio dependet in esse suo à Deo, ac etiam causa agens. Nec etiam imprudens est Dei concursus. Nam nec laboriosus, aut onerosus is est Deo, nec insigni caret utilitate ad Dei gloriam illustrandum. Idque dupliciter: Nam 1. ostendit imperfectionem rerum creatarum, Ex quo relinquitur gloria summæ perfectionis, quam Deus sibi reservavit. 2. Quia Deus concurrit cum omnibus agentibus, operando eorum operationes. Ergò signum est, Deum eminenter includere perfectiones omnes omnium illorum Entium. 103 104

Objicitur, 3. Si concursus Dei cum creaturis simpliciter esset necessarius tum etiam esset necessarius ad actum formæ, vel materiæ: At hoc est absurdum. Nam illi actus includunt imperfectionem. Sunt enim illorum actus intrinsecè componere per modum partium. Esse autem partem est esse Ens incompletum, & sic imperfectum. *Respondeo:* Deus concurrit ad omnes actus causarum secundarum, etiam materiæ & formæ, sed tamen non modò materiali & formali, sed solùm efficienter, & finaliter, & exemplariter etiam, ut Thomas docet, 1 p. q. 44.

Objicitur: 4. Textus Scripturæ *Gen.* 2. v. 2. Requievit Deus ab opere universo. *Resp.* Atqui dicitur *Joh.* 5. v. 1. Deum usque modo operari. Et quæ sunt alia, *num.* 99. citata. Duplex igitur est expositio illius textûs, *Augustin. Epist.* 28. *ad Hieron.* dicit: Specialiter intelligi dictum Geneseos, de rerum 105

creatine.

creatione, non de crearum administratione: *Quòd scriptum est*, inquit, *requievisse Deum utique à creandis novis creaturis intelligendum est, non à gubernandis; quia tunc ea quæ non erant, fecit, quibus faciendis requievit, quia consummaverat omnia, quæ antequam essent, vidit facienda; ut deinceps, non ea, quæ non erant, sed ex his, quæ jam erant, crearet & faceret quicquid faceret, Ita utrumque verum esse monstratur, & quod dictum est, requievit ab operibus suis, & quod dictum est, usque nunc operatur.* Et hæc interpretatio satis lucida est ex iis, quæ statim sequuntur, in citato *c 2. vers. 2.* Requievit ab opere *Quod patrârat.* Alia expositio est, secundùm quam dicitur, intelligi locum de productione specierum novarum: Alioquin autem non obstare, ut Deus priorum specierum individua vel creët; vel concurrendo cum causis naturalibus, generet.

2. *Quomodo Deus concurrat cum causis particularibus.*

106 Habito, quòd Deus concurrat cum agentibus particularibus, specialis difficultas est, quis sit iste Dei concursus, aut quomodo concurrat cum particularibus causis?

An sit Dei volitio? I. Videri potest, concursum illum Dei esse nihil aliud, quàm Dei volitionem. *Sed* illa sententia, non satisfacit quæstioni. Etsi enim negari non possit, velle divinum prærequiri in actione rerum naturalium, tamen ista volitio non est concursus ille secundùm quem Deus influit *ad extrà*, ad productionem rerum naturalium, & actuum earum. Nam volitio Dei terminatur intrà Deum, quantum ad substantiam, etsi objectivè aliorsùm referatur.

107 II. Videri potest, concursum illum Dei esse virtutem quandam ulteriùs inditam agentibus naturalibus, per quam illa ultimò proficiantur ad agendum. Hoc sensu igitur Deus concurreret cum aliis causis, hoc est, inderet eis ulteriorem agendi vim. *Sed* hoc etiam nihil est. Nam illa virtus porrò indita non potest, nisi creata esse. Ergò ut ista efficax sit & operosa, non minùs requirit concursum Dei, quàm etiam prior illa naturalis virtus. Ergò sic dabitur progressus in infinitum. Consequentia patet. Nam concursus ille requiritur in agentibus particularibus, quia sunt Entia creata, sicque dependentia à Deo. Ergò concursus ille requiritur ad omnia Entia creata. Ergò non solùm ad virtutem primò inditam à natura, sed etiam ad virtutem porrò inditam à Deo.

108 II. Videri potest, illum concursum Dei esse motionem

causæ

causæ secundæ, vel excitationem, vel applicationem ejus ad agendum. Idque non immeritò forsan. Causæ secundæ non agunt, nisi motæ à prima, ut *Aristoteles* habet 7. *Phys: cap:* 1. *& lib:* 8. *cap:* 5. & insinuat *Augustinus* etiam *lib:* 8. *de Gen: ad lit: cap:* 20. *&* 5. *de civit: Dei cap:* 9. Deinde item probatur ex ratione instrumenti, quo nomine sæpè creaturæ appellantur respectu primæ causæ, Et *Esaias c.* 10. etiam propterea hominem vocat *securim* Dei: vulgóque dici solet, Turcas esse Dei *flagellum* ad puniendos Christianos. Atqui de ratione Instrumenti est, ut moveat, motum priùs à principali agente. Malleus non cudit, nisi motus à fabro Nec securis scindit, nisi mota à fissore, nec flagellum flagellat, nisi motus à flagellante.

Sunt hac in re tria dicenda: 1. *Dubium non est Deum quandoque specialiter movere, excitare, applicare agentia Naturalia.* Id enim Scriptura apertè docet de voluntate humanâ, ut *Job.* 12. *vers.* 24. qui immutat cor principum. Et *Proverb.* 21. *vers.* 1. Cor Regis in manu Dei, quocunque voluerit, inclinabit illud 1. *Samuel*, 11. *vers: 6.* Irruit Spiritus Domini in *Saul.* Solent autem Scholastici tres recitare modos, quibus Deus specialiter moveat voluntates humanas. 1. Efficienter & quasi physicè movendo. 2. Imprimendo qualitatem, secundùm quam inclinetur voluntas, ad aliquid agendum, quemadmodum Deus mover, in generando bonam aliquam cogitationem. 3. Objectivè, præmonstrando objectum, quod vel secundùm se efficaciter movere possit voluntatem, vel saltem quod tale sit, ut præsenti dispositioni voluntatis videatur congruum. Videatur *Thom. qu:* 22. *de verit. q* 8.

2. Dico: *Non videri necessarium, ut quodvis agens particulare moveat Deus particulariter ad agendum.* Nulla enim necessaria causa est ad id asserendum. Nam quòd dicitur causam secundam non movere, nisi motam, dextrè intelligendam est. Neque enim aliud vult illud axioma, secundùm proprium sensum, quàm quòd causæ secundæ agant dependenter à prima, vel adjutæ à prima, vel cooperantes primæ. Vide *Fonsec. l.* 5. *Met. c.* 2. *q.* 9. *s.* 2 *Bell: l.* 4. *de lib arb. c.* 15. *Suarez disp.* 22 *s.* 2. *n.* 47. Quòd etiam res creatæ dicuntur instrumenta, id fit latè sumendo hanc vocem, ut suprà expositum est *hoc cap. in* 34. Instrumenti autem propriè dicti conditio solùm est, non movere, nisi postquam motum est.

111

112

109

113

110 *Causam secundam nõ movere nisi motum, quid sit.*

3. Dico:

111 3. Dico: *Si maximè Deus moveat omnes causas secundas, tamen istam motionem non esse Dei concursum hic quæsitum.* Nam hic concursus, de quo nunc loquimur, requiritur ad ostendendam singulorum Entium dependentiam à Deo, propter quam dicantur esse ipsius effecta. At hæc non sequuntur ex eo, si Deus maximè moveat causas. Neque enim qui movet aut applicat ignem ad ligna, dicitur uti aut calefacere, quemadmodum Deo, propter istum concursum, solent actiones particularium causarum appropriari, ut suprà *n* 99. relatum est.

112 Ex his omnibus relinquitur: quòd concursus Dei cum causis particularibus, sit actio seu actualis influxus, quo Deus influit proximè ad producendum hoc, quod etiam producit causa particularis. Plura qui de hac & priori quæstione cupit, videat *Dn. Jacob. Martini disp.* 11. *Met. q.* 57. Sententiarios, *lib.* 2 *dist.* 37. *Thomistas* 1 *part. q.* 135. *& alibi Interp. Aristot.* 5. *Metaph. tp.* 21 *& lib.* 2. *Phys.* Theologos item in doctrina de libero arbitrio.

3 *An alia sit causa universalis præter Deum?*

113 Inprimis hoc quæritur propter cœlum, quod vulgò solet universalibus causis adnumerari. Sunt autem ad quæstionis huius decisionem, advertendæ diversitates operationum naturalium. Aliæ igitur operationes sunt *immateriales*, quæ fiunt independenter à materia, ut sunt operationes intellectûs & voluntatis: Aliæ sunt operationes intellectuales, quæ fiunt dependenter à materia, ut sunt operationes Elementares, vegetivæ, sensitivæ, &c. Deinde operationum materialium aliæ sunt veri motus, veluti generatio, corruptio, latio, alteratio, incrementum, &c. Aliæ sunt operationes alterius generis, veluti sparsio speciei ex aliqua re sensibili, &c. Ut igitur rem totam complectar, sunto aliquæ conclusiones:

114 1. *Cœlum per se non influit ad actiones immateriales.* Ita sentiendum est contra Priscilliamum, cujus dogma, hujus conclusioni contrarium, damnatum est *in Concil. Bracar. I. C.* 9. 10. Et patet. Nam omne agens debet esse proportionatum patienti. Et per hoc agens materiale non potest agere in immateriale, adeò ut miraculum existimetur, quòd ignis corporeus in inferno agit in animam, per *August. lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 10. Atqui cœlum est agens materiale Voluntas est autem aliquid immateriale. Vide *Damasc. lib.* 2 *de Orthod. fid. cap.* 7. Dixi *per se.* Nam indirectè & consequenter

quenter non negaverim, in voluntatem & intellectum influere cœlum, quatenus certis modis disponit organa corporis. Ab aliis enim etsi intellectus & voluntas non pendeant, tamen sæpè species suas intellectus per ea recipit. Unde turbato cerebro, videmus turbari intellectionem, exemplo delirantium.

II. Cœlum non influit in actiones, quæ non sunt veri motus. Nam solet summatim in nostratia agere cœlum triplicitèr, motu, lumine, & influentiâ specialiter dicta, hoc est, occulta vi, quomodo polus Septentrionalis agit in Magnetem, ut eum ad se convertat. Atqui neutrum horum apparet in istis non motibus, Sumamus enim sparsionem speciei de odore, quæ nec lumen cœli, nec ejus motum requirit. Nec etiam saltem ex consequenti apparet connexio cœli per virtutem occultam, cum illa sparsione speciei de odore. Et idem est in similibus. 115

III. Cœlum etiam non influit ad omnes veros motus, aut mutationes. Hæc conclusio est contra *Javellum lib. 12. Metaph. q: 13: Asotum 4. dist. 48. q 2. & lib. 2. Phys: q. 4. conclus. 1.* & Simplicium, *lib: 2. de cœlo:* Patet tamen. Nam cur non posset ignis calefacere stupam, remoto cœlo? Nam in igne non deest sufficiens facultas ad hanc actionem Nec apposità stupâ deest objectum congruum potentiæ activæ ignis, nec desunt alia ad agendum. Ergò addito tamen generali concursu Dei, posset omninò realiter & physicè ignis mutare aliud calefaciendo. 116

IV. Nec cœlum influit in omnes res Naturales per motum: Hoc itidem est contra priores autores. Patet autem similiter. Nam quiescente cœlo, adhuc tamen posset esse illuminatio, tum à cœlo, tum ab aliis luminosis. Item, quiescente cœlo, adhuc possent esse motus rerum naturalium, sicut de facto apparet ex Exemplo Israëlitarum pugnantium acriter, stante Sole, *Jos.* 10. 117

Sunt autem *Javelli* (qui rationes aliquas habet pro sua sententia) dissolvenda argumenta. Omne, quod movetur, oportet reduci ad aliquod immobile: Ergo omne generabile oportet reduci ad aliquod ingenerabile. Hoc autem non est primum principium quia non disponit per seipsum immediatè hæc inferiora. Sed per causas medias. Nec est aliqua intelligentia, E. est cœlum. *Respondeo:* Omnia generabilia reduci ad aliquod ingenerabile, præter primam causam, non est 118

est necessarium, ut apparet ex proportione, quam *Favellus* utitur. Nam nec alia mobilia reducuntur ad aliquod immobile præter primam causam. Cœlum enim ipsum mobile est. Licet autem Deus agat per causas medias, tamen hoc non obstat, quò minùs ad Deum inferiorum rerum mutationes reduci possint. Quanquam immediatiùs agit Deus etiam in res inferiores, quàm cœlum, ut posteà patebit.

119 2. Argumentatur *Favellus* ex ordine universi, qui consistit in eo, quòd agentia inferiora habeant se ad cœlum, sicut causæ secundæ ad primam. Aitque hoc insinuâsse Aristotelem, quòd 8. *Phys. t.* 2. cœlum vocavit vitam, hoc est, universale principium existentium in Naturâ. Idemque ait docere Comment. 2. *de cæl. comm.* 63. & 12. *Metaph. comm.* 18. Sed respond. ordinem universi non tolli, si maximè non omnes operationes rerum inferiorum sint á cœlo, sed si saltem plurimæ sint à cœlo. Atque hoc etiam statim dico.

120 *V. Cœlum est agens universale quia ad plurimas operationes & res naturales concurrit.* Hinc *Arist.* ait, Sol & homo generant hominem. 2. *Phys. cap.* 26. vocat illud parentem nostrum *sect.* 26. *probl. qu.* 15. autorem rerum procreandarum, *l.* 2. *de Gener. t.* 55. intelligitur autem hoc eorum respectu, quæ imperfecta quasi & incompleta sunt ad suas operationes. Talis est virtus germinandi in plantis, quæ per se non est actuosa, nisi adjuvetur ab aliquo extrinseco, veluti calore Solis. Sic ergò est causa Universalis, quatenus ad generationes rerum inferiorum concurrit disponendo materias earum, hoc est, vel remissum calorem augendo, vel frigus temperando, & quæ sunt alia. Plura qui hac de re cupit, videat *Colleg. Conimbr. lib.* 2. *de cæl. cap.* 3 *q.* 1 *seq. Suarez* 22. *disp. Met. s.* 5. Ægidium *in proœm ad lib. Meteor. q.* 1. & 2.

4. *An Causæ secundæ verè aliquid agant?*

121 Suprà referebamus, dicentes: Deum nunc nihil agere, sed solùm causas secundas. Nunc sunt, qui negant causas secundas aliquid operari, sed solùm Deum, quem aiunt quasi ex pacto assistere rebus, & tales effectus, talibus rebus præsentem, operari, quales ipsis congrui sint. Sunt autem hac in re tres gradus. 1. Aliqui negant prorsus causas secundas aliquid operari. Hanc sententiam referunt *Albertus* 2. *Phys. tract.* 2. *cap.* 3. *Averroës* 2. *Phys. comm.* 7. & *lib.* 2. *comm.* 18. Mahometis sectatoribus tribuit eandem *Thomas quæst.* 3. *de potentia art.* 7. His addit *Collig. Conimbr.* (*lib.* 2. *Phys. cap.* 7.

cap 7 q 11. art. 1.) Aliacensem, qui ita docet, *l. 4. sent: dist 1. q. & Gabriel d. 2. q. 2. & 3. Suarez* tamen *disp, 18: Metaph: sect:* 1. Aliacensem excusat. *II.* Aliqui censent res spirituales posse aliquid agere, sed non corporales. Ità sentit *Avicembron:* in libro Fontis, qui est de materia & forma, ut *Thomas* refert, 1. *part: qu:* 115 *art.* 1. *III.* Aliqui censent, corpora habere quidem actiones, sed solùm quibus efficiantur accidentia, Non posse efficere substantias. Ita sensit *Avicenna l.* 1 *suffic. c.* 10 *& lib.* 9, *Met: c,* 45.

Esto 1. Propositio: *Causæ secundæ verè aliquid agunt.* Ita patet 1. ex scripturis. Nam statim *Gen. 1 cap.* dicitur; terram germinare; lignum pomiferum fructificare; luminaria lucere in firmamento, & illuminare terram; pisces ferre fructum, sive crescere; homines dominari, &c. Indeque ex scripturis docent hoc Patres. Vide *Aug l 7 de civ. Dei c.* 30. *lib* 3. *de Trinit. c.* 3. 7. 8 9. *Basil homil.* 9 *Hexaëm; Ambros. l.* 3. *Hexaëm q* 8. *Chrys. hom. 5. in Gen. Damasc. l.* 2. *de Orth. fid. c.* 10. *Ausel. de Concord: præscient & lib. arb.* Alios taceo. 122

II. Patet ex rationibus variis. Primò; Frustrà essent in causis secundis, potentiæ activæ, si non essent destinatæ ad agendum Quinimò omnes causæ secundæ essent frustrà, si propriâ operatione destituerentur, cùm omnes res sint propter operationem suam. Operatio enim est finis, & sic perfectio rei creatæ Ita ratiocinatur etiam *Thomas* 1 *part qu.* 105, *a.* 5. *Deinde;* Viventia non possent distingui à non viventibus. Aliàs enim adæquatum principium distinguendi ista est quòd ista habent principia suarum operationum, hæc non. *Tertiò;* Sensus judicat ignem calefacere, glaciem refrigerare, Solem lucere. Ergò non est id negandum. Judicium enim sensûs circa proprium objectum, cæteris paribus, est infallibile. *Dimittere sensum in ils, quæ sensibus manifesta sunt, infirmitas est intellectûs,* ait *Aristot.* 8. *Phys. t.* 22. *Quartò,* sic nulla libertas esset in homine. Nam ea consistit in eo, ut homo ex se possit aliquam actionem elicere, vel non elicere. Assistentia autem agentis liberi non facit libertatem. Secus enim etiam Navis esset Ens liberum, supposito, quòd natura ei assistens sit agens liberum. *Quintò;* Sic homo non peccaret, sed Deus. Peccata enim plurima non fiunt, nisi efficientiâ, quæ idcircò peccata *Commissionis* dicuntur. At per istam sententiam homini negatur efficientia. Inde ergò consequens est, Deo

tribuenda esse peccata. Sed quid rationibus fatigo ineptias?

Solutio objectionum.

1. *Objicitur* à *Gabriele, l 4 dist. 1 q. 1 art. 3.* Deus operatur omnia in omnibus. Item 2 *Corinth: 3.* Non quòd simus
123 sufficientes ex nobis, tanquam ex nobis: Sufficientia nostra ex Deo est. *Respon:* Istis dictis significatur quidem Deum operari; quod verum est. Non significatur autem Deum *solùm* operari. Positio unius non est exclusio alterius. Non esse autem illa dicta exclusivè intelligenda, patet, quia sic scriptura hæc esset contraria isti quæ jam relata est *num: præced.*

2. *Objicitur* derogari divinæ potentiæ. Aut enim potest
124 Deus solus efficere singula, aut non. Non illud. Sic enim frustrà esset assumere causam aliam. At Deus & natura nihil faciunt frustrà. Ergò posterius dicendum est. Quòd Deus facere solus singula non possit. *Respond:* Omninò singula posse Deum efficere solùm, ut arguit ejus infinita potestas, per quam eminenter includit omnes aliarum rerum perfectiones. Neque tamen frustra propterea operantur causæ secundæ. Nam frustrà est, cujus finis non est. Hujus autem rei finis est, isque duplex. Nam 1. Ex illa activitate illustratur Dei gloria de communicatione bonitatis; communicavit scilicet aliis, non solùm ut essent Entia, sicut ipse Ens est, sed etiam ut essent agentia, sicut ipse agens est. Alter est, quòd ista creaturarum activitas ostendit perfectionem. Perfectio enim cujusque rei est ejus operatio, ut antè dictum est ex *Thoma.*

125 Esto *II.* Propositio, *Etiam corpora possunt esse veræ causæ.* Hæc propositio non indiget ulteriori probatione, Patet enim per singulas rationes antè allatas *num: 22.*

126 *Objiciebat Avicenbron.* Omne agens debet habere immeationem & intimam propinquitatem ad passum. Hæc autem non datur in corpore. Corpora enim non possunt se penetrare, *Respond:* Omnes actio requirit quidem contactum. Sed 1 Contactus ille non necessariò est contactus corporalis, quo ipsum agens suâ essentiâ vel superficie contingat patiens, ut apparet in Sole & igne, quæ calefaciunt rem distantem. 2. Contactus etiam iste si corporalis sit, non requirit immeationem seu penetrationem, sed saltem sufficientem appropinquationem aut applicationem unius ad alterum. Horum autem nihil repugnat corpori.

Objiciebat etiam: Quantitatem impedire actionem & motum, utpote quæ prorsus sit iners, & otiosa, *Respond:* Prætier

ter quantitatem in corpore est etiam forma, quę satis est actuosa. 2. Quantitas non impedit motum, adeò, ut magis promoveat. Nam pro ut res est extensa, est apta ad sustinendum motum. Unde omnium aliorum accidentium subjectum dicitur Quantitas. Alia quinque argumenta refert, & solvit *Thomas* ad hanc rem pertinentia, quę brevitatis causâ hic o- 127
mitto. Videatur, 1. *part. q.* 115. *art.* 1.

III. Propositio: *Corpora possunt etiam esse Causæ substantiarum.* Ita apparet ex generationibus rerum naturalium, veluti cum ignis ignem, leo leonem, &c generat. Potissima difficultas Avicennæ erat, quòd corpora non agant, nisi mediis accidentibus, quæ sint insufficientia ad producendam substantiam. Hanc ad rem tria dici possunt: 1. Ex hipothesi Peretii. Is putat, etsi accidentia in ratione Entis sint ignobiliora substantiis, tamen in ratione actuositatis esse ei, vel æquè nobilia, vel etiam nobiliora, & sic suâ virtute posse substantiam producere. Videatur *lib.* 8 *de Phil. Nat. c.* 11. *seq.* Sed hanc rem non discutio nunc. 2. Si maximè solùm per accidentia agant substantię, tamen sciendum est, accidentia solùm esse Instrumenta substantiarum. Nihil autem absurdi est, Instrumentum, propter precedentem motum, & influxum agentis principalis, elevari ad producendum effectum nobilius ipso. 3. Falsum est: agentia Naturalia agere solùm per accidentia. Agunt enim primò per formas suas, quæ substantiæ sunt. Qui cupit, legat hac de re prolixam disputationem, *Suarii in Metaph. disp.* 18. *s.* 1. *& secundâ totâ, & Fons. l.* 5. *Metaph cap.* 2. *q.* 5.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Decimo Tertio.

De Efficiente Interna & Externa. 118

Bifarium solet hæc divisio opponi: uno modo, ut sit generalis divisio omnium efficientium: altero modo, ut sit subdivisio causæ efficientis. Causam enim impulsivam faciunt Philosophi duplicem; Externam & internam. Illam Medici vocant αἰτίαν προκαταρκτικὴν, hanc αἰτίαν συνεκτικὴν, ut videre est apud *Galenum l.* 1. *de Meth. med. c.* 8 *& l. de caus. morb. c.* 3. *& lib.* 4 *de sanit. tuenda, c.* 2. Internam autem causam morbi αἰτίαν συνεκτικὴν vocant, ut ex *Galeno* citatis locis patet, quæ intra animalis corpus continetur, sive sit adscitia, sive ingenita. *Externa* autem est, quæ est extra animalis corpus, veluti aër ambiens Balneæ, odores, fumi, ictus, ferarum morsus, & sic in reliquis. αἰτίαν προκαταρκτικὴν & αἰτίαν συνεκτικὴν *vn causa quid?*

Nos tamen hanc divisionem in Theorematibus, generaliter proposuimus. Sed quæritur ad eam intelligendam.

I. An aliqua Efficiens possit dici Causa Interna?

129 Ratio dubitandi est duplex: 1. Quia ex divisione Causarum in internas & externas relinquitur, omnem efficientem esse Externam. 2. Quia illæ differentiæ (Internum & Externum) sunt generales differentiæ causarum, ut jam dixi. Ergò eædem differentiæ non possunt assignari speciei. Differentia enim cum eo, cujus est differentia, convertitur, ut constat ex *Aristot: 6. Top: 6.*

130 *Internum & Externum bifariam dicuntur.* Utrumq; solvitur, si attendatur bifariã posse istos terminos intelligi. Nam internum & externum dicuntur, vel ratione essentiæ, vel ratione subjecti. Illo modo internum dicitur, quod essentiam alterius ingreditur, eámq; tanquam pars, essentialiter eam componens, constituit. Externum autem dicitur, quod est extra ejus essentiã, vel quod extra eam manet, eámq; intrinsecè tanquam pars componens non constituit. Posteriori modo internum dicitur, quod in existit effecto tanquam adjunctũ illius, & non tanquam pars. Externũ autem sic dicitur, quod subsistit extra effectum, & nè quidem subjectivè intra illud est. Ergò secundum priorem significationem omnis efficiens est Externa, idque ex generali divisione causarum in internas & externas. Nulla enim efficiens causa effectum intrinsecè, tanquam pars, constituit. At posteriori modo causa efficiens potest esse interna, superiora exempla ostendunt. Differentiæ autem debent esse reciprocæ, non tam attendendo vocabula, quam res eis vocabulis significatas.

Quomodo efficiens externa?

II. Quid sit Causa Externa & Interna?

131 Imprimis ex superioribus relinquitur, Causam efficientem, Externam & Internam dici ratione subjecti. Id autem esse potest bifariam: Nom 1. *Causa Interna* potest dici, quæ est *in supposito*, in quo est effectus. 2. *Causa Interna* potest dici, quæ etiam est *in ea parte suppositi*, in qua est effectus: aut etiam quæ est pars suppositi, & proprii sui adjuncti causa. In oppositum *Causa Externa* potest dici, quæ est extra suppositum, in quo est effectum; & alio modo, quæ est extra illam suppositi partem, in qua est effectus. Exempli gratiâ: Quæro: An motionis causa interna sit anima? *Respondeo:* Priori loquendi genere esse internam; quia in eodem supposito est & anima & motus. Neque enim motio transit extra animal,

animal, quemadmodum calefactio transit extra suppositum calefaciens, hoc est, ignem vel Solem, in aliud suppositum, veluti aquam, aut ferrum, &c. Sed posteriori loquendi genere anima est causa externa. Nam motio non recipitur in anima unde efficitur, sed in corpore.

132 *Resolutio quæ sit*

Dico igitur quæstionem hanc solùm esse de nomine, Subtilior tamen & magis usitata Philosophis est illa significatio, qua causa interna dicitur ea quæ est causa actionis immanentis, Externa, quæ est causa actionis transeuntis. In illa autem divisione non solùm intelligitur transitus de supposito ad suppositum, sed etiam de parte suppositi ad partem suppositi, adeò, ut non solùm sit actio transciens, cùm ignis calefacit aquam, sed etiam cùm anima movet aut sentit. Hæ enim operationes recipiuntur in corpore, non in anima. Vide quæ dicta sunt *in Introd. Log de Prædicam. actionis, in notab. 4.*

Decimo Quarto,

De Causa Physica, & Morali,

133 *Causa. Physica.*

Hanc divisionem proponit & tractat *Suarez disp. 17, Metaph, sect. 2. num. 6.* Igitur *Causa physica* in genere dicitur illa, quæ verè influit in effectum, eúmque proximè activitate suâ attingit. Ex quo apparet, quod non solùm Causa Physica dicatur ea, quæ est corpus naturale, sed quòd causæ Physicæ dicantur etiam Deus & angeli, quatenus verè influunt, aliquid producendo, veluti Angelus, dum se movet & Deus dum creat.

134 *Causa Moralis.*

Causa autem *moralis* dicitur ea, quæ non quidem influit in effectum, sed tamen ita se gerit, ut ei imputetur effectus. Veluti est causa applicans agens naturale ad suum objectum, ut ignem lignea domui. Is enim non influit calefaciendo aut comburendo, combustio tamen domûi ei imputatur. Hujus igitur generis cauiæ, sunt causæ consulentes; rogantes; non impedientes, cùm possint & debent; meritoriæ; applicantes causam per se; & quæ sunt his similes.

CANONES.

135 *De Effici. ente in genere.*

1. *Omnis efficiens est extra rem* Est *Scal. exerc. 6. s. 1. &* 8. Intelligitur autem de efficiente quâ talis, extra rem autem dicitur, quomodo dicta est, esse causa Externa. *Vide in Comm. n. 129. sup.*

136 2. *Omnis causa efficiens verè agit*, Ita patet, quia efficientis causalitas est actio; ut dictum *n.6. seqq. in comment.* Verè autem agere est idem quod non agere Tropicè, aut per similitudinem, quod sini convenit. Atque sic, quod nihil agit, non est efficiens. Et per hęc *prima* materiales dispositiones non possunt dici Instrumenta (quæ sunt causæ Efficientes) quia illis non convenit actio. Contrà sensit Philoponus, de quo vide suprà, *cap. 2. num. 30. 33. Deinde* nec conditio sine qua non potest esse efficiens, quia hujus nulla est actio. *Vide cap. 2 num. 5. seqq: Denique*, nec causa efficiens est, ad cujus præsentiam aliquid contigit citra illius aliquam actionem, quomodo quis terræ-motûs causa aliàs dicitur, quo ingrediente in domum terræ-motus contingit; Aut ad cujus absentiam, vel defectum influxûs, aliquid fit, quomodo aliàs dicitur nauta esse causa naufragii, qui præsens erat causa, cur salva esset navis. Nam hic nihil influit vel agit, ut navis mergatur. vide suprà *hoc cap. num. 68, 78.*

Materiales dispositiones non esse Instrumenta.

Conditio sine qua non, non est efficiens.

137 *Objicitur* de causa per emanationem, quæ est efficiens & tamen non verè agit. *Resp;* Causam per Emanationem verè agere, quatenus agere significat omne illud, quod ad actionis prædicamentum pertinet. Non dicitur autem agere comparatè, quia non competit ei actio tam excellenter & evidenter, ut agenti per transmutationem, Omne sensile verè & efficienter agit in sensorium. Et tamen aliquod sensile, non agit nisi per emanationem, ut quantitas. Vide *in Introd. Log. c. cap. 10. §. 5.*

Objecti de Causa per Emanationem:

138 3. *Quicquid verè agit, id est Efficiens.* Ita patet iterum ex eo, quòd actio est causalitas efficientis. At cui convenit causalitas id etiam istam causam esse oportet. Dico autem *verè* agit. Nam quatenus latè sumitur agere, omnes causæ agunt, hoc est, causant vel influunt, ut dictum *sup. cap. num.* 145. Formæ solent tribui actiones, sed eas non habet, quâ forma, sed quâ efficiens est. Ita *Aristoteles* animam, respectu operationum, efficientem vocat. Vide *Zabarell. ad 2. de anim. ad 1, 36, 37.* Et hoc sequitur 1. Causam conservantem rectè dici efficientem quia ei tribuitur actio, qualis est nutricatio *Vide sup. num. 11.* Deinde sequitur etiam Instrumentum rectè dici efficiens *Vide cap. 2. num. 34.*

139 4. *Efficiens est nobilius effecto Suprà cap. 2. num. 135. in comm:* dictum est in genere, Causam esse nobiliorem effecto, quatenus Causa in actuali productione, & effectus in fieri, intelligitur.

intelligitur. Sed suprà hoc peculiariter de essentia efficientis quæritur. *An efficiens* (secluso respectu prodecentis & producti) *habet nobiliorem essentiam, quàm ejus effectus?* Dico 1 *Efficiens semper est nobilius effecto, si per efficiens intelligamus complexè omnia illa quæ ad Ullum aliquod Ens efficienter concurrunt.* Ità patet, quia Deus vel solus agit, vel agit cum causis secundis, Et ita omnis effectus recognoscit Deum pro efficiente suo. Deo autem convenit præcisè Entitas nobilior, quàm cuipam Enti alii, Tum etiam patet *secundò*; Quòd omnes effectus habet suam perfectionem ab efficiente, (etsi enim effectus etiam pendeat à causis intrinsecis, tamen cùm forma pendeat, & producatur ab efficiente, in hac non erit major perfectio, quàm in Efficiente, unde & quæ perfectio in effecto est à forma, referenda est etiam ad efficiens.) At nihil potest alii dare, quod non habet. Ergò nec efficiens potest dare majorem perfectionem composito, quàm ipsum efficiens habeat. 140

Quæstio.

Solvitur.

2. *Separanda autem classem causarum eo efficientium, sic dicendum est; Causam efficientem non semper esse nobiliorem.* Ita patet, *1. de Causa instrumentali.* Hujus enim effectus semper eâ est nobilior; Indéque cognoscimus aliquid esse Instrumentum, si subserviat alii, & se nobilius producat effectum. *Vide suprà hoc capite, num. 34. in comment.* Deinde *Causa Univoca* non nobiliorem, sed sibi in essentialibus perfectionibus, similem producit effectum. In accidentalibus perfectionibus (quales sunt ἐυκρασίαι aut δυσκρασίαι, & actus potentiarum naturalium, itemque Exterior forma) accidentarium est, an causa Univoca sit nobilior, an ejus effectus. Potest homo cœcus, surdus, claudus, tardi ingenii, melancholicus, deformis, generare filium videntem, audientem, ambulantem, felicis ingenii, sanguineum, formosum. Et sic causa est accidentaliter imperfectior vel ignobilior, quàm effectum. Contrà fieri potest, ut videns cœcum, ingeniosus stupidum, &c. generet; & tum effectus est accidentaliter ignobilior suo efficiente. *Causa* autem *æquivoca* nobilior est effecto. Ita nobilius esse est in arculario, quàm in scamno, quod facit. Ita patet. Nam quod dat aliquid alii, id illud si non habeat subjectivè vel formaliter, habere debet eminenter. *Confer Suarez disp. Met. s. v. n. 5 seqq.* 141

Aliqua causa efficiens esse & non est nobilior.

5. *Efficiens est primum motionis principium.* Est 2. *Phys. cap. 3.*

cap. 3. t. 29. Estque declaratum suprà *cap. 2. n: 34 in comment,*
142 ubi vide.

6. *Nullum Efficiens agit in seipsum.* Ita aliqui aiunt, quia *Aristot: 7. Phys: cap:* 1. ait, quicquid movetur, ab alio moveri. Unde prolixè hac de re disserunt *Conimbr: qu: unicâ, ad 7. Phys: cap: 2. & Suarez disp: 18. in Met. sect.* 8. Hic sciendum 1. Efficiens à passo non necessariò distingui suppositò, *Sicut* in eodem supposito anima movet corpus, & sic in aliis. 2. Neque efficiens necessariò est distincta pars à patiente in eodem supposito. Nam naturales potentiæ efficiuntur à formis, & in iisdem recipiuntur. Unde relinquitur *tertiò*, si de efficiente in genere procedere debeat axioma, quòd efficiens & passum, in quod agit efficiens, saltem debeant distingui diversis habitudinibus Igitur efficiens secundùm potentiam activam, non agit in seipsum secundùm activam potentiam, sed secundùm quod habet potentiam passivam. Unde porrò 4 relinquitur, cùm *Aristotéles* constituit distinctionem moventis & mobilis, quòd id non possit trahi
143 ad quodvis efficiens.

7. *Efficiens debet esse simul cum patiente, in quod agit per actionem transeuntem.*

Hoc dico, quòd inter agens & patiens debeat esse contactus, ut *Aristot.* docet, *7 Phys, cap. 2.* & alibi. Contactus autem ille non est semper corporalis, sed sæpè solùm virtualis, quando scilicet efficiens suam virtutem spargit per medium, & sic deinceps illa virtus, tanquam instrumentum substantiæ, mutat rem distantem in virtute substantiæ, quæ per hoc suum instrumentum influit. Occurrunt hoc loco non parvæ difficultates, de actione Magnetis in ferrum, de fascinatione, de productione rerum sublunarium per influentiam cœli. Sed nimes longum esset, eas his persequi.

144 8. *Efficiens magis unitum agit fortiùs.* Vulgo dicitur *Virtus unita est fortior dispersâ.* Illa tamen fortitudo non est intelligenda in habitu vel potentiâ, sed in actu. Ita apparet Lapilli gravitas (quæ in eo unita est) & fortior magni alicujus ligni gravitate (quæ in hoc dispersa est) Fortior inquam, in actu gravidationis, ut apparet exinde, quia lapillus mergitur, lignum natat in aqua Non autem in ipsa gravitate & pondere simpliciter. Neque enim majoris ponderis est lapillus, quam trabs. Atque hoc significo, cùm dico. *Agit* fortius.

Redditur

Redditur ex hoc axiomate ratio: *Cur ignis magis urat in ferro, vel lapide, quam in accensa papyro?* Nempe id est inde, qui magis unitus ibi est calor, propter densitatem ferri & lapidis. Vide *Zab. de react. c. 5 p. 438. 439.* Sic etiam radii Solis diffusi, non tam calefaciunt, quam magis uniti. Vide *Zab. de calor. cæl. c. 1 & 10* Item corpus visibile densius magis spargit speciem, ut videatur, quàm quod non ita est densum. Vide *Scal. exerc. 61. p. 229. & 323. s. 8.* 144

9 *Efficiens majus fortiùs agit.* Vulgò dicitur: *In majori quanto major virtus.* Intelligitur autem axioma de Efficiente *ejusdem speciei.* Ita major candela magis illuminat, quàm minor candela. Et magis calefacit, quàm minor. In Entibus diversæ speciei non procedit. Neque enim magis calefacit magnus aër, quàm parvus ignis fornacis. *Deinde*, loquendo de eadem specie, adhuc cætera paria esse debent. Ita enim parvus homo potest esse fortior majori; si differentia sit in temperamento, vitæ genere, &c. Confer *Zab: de partit: an. cap. 12. ad secundum.* Cæterùm ad pugnam contrariorum Efficientium potest enim referri hic Canon. Atque tum Efficiens majus fortiùs agit, quàm minus. Sic *Zab. l. de react: c. 4.* ait: Contingere posse, ut agens remissius, vincat alterum contrarium validius, propter excessum magnitudinis. Multum vini extinguit paryum ignem, Etsi istud ad tot gradus frigidum vel humidum non sit, ad quot gradus calidus & siccus est ignis. 145

10 *Nihil agit ultra vires*, loquitur Canon de agente principali. Nam instrumentum, ut suprà *n. 34. in comm. hujus cap.* visum est, elevatur per directionem causæ superioris ultra vires suas, ut ibi patuit Ergò Ens creatum non potest creare, quia creatio implicat modum agendi infinitum. 146

Dubitatur hinc, quomodo frigiditas aëris (quæ non est tanta, quanta est in aqua) possit producere frigiditatem aqueam, ut fit in media aeris regione? *Resp.* Frigidum aërem illius loci, solum imprimere aliquem gradum frigiditatis, exhalationibus eò ascendentibus. Hoc facto, istæ exhalationes reducunt seipsas ad naturale frigus aqueum. Et ita aër ibi nihil agit ultrà vires. 147 *Dubium Meteorologicum. Solvitur.*

11 *Efficiens non potest alii dare, quod ipsum non habet.* Determinatur bifariàm. 1. Non potest dare, quod non habet, formaliter, seu subjectivè, vel eminenter. Sol dat calorem quem tamen formaliter non habet; Neque enim Sol calidus 148

est.

est, habet tamen eum eminenter, hoc est, virtute, quæ est plus quàm calor. Ita Deus dat nobis aures, & oculos, & accidentia, quæ in Deo formaliter non sunt, sed eminenter, nempe cognitio, quæ est plus quàm cognitio sensitiva, & Entitas, quæ plus est quàm accidens. II. Non potest dare, quod non habet, saltem secundùm naturam. Claudus cœcus gignit filium habentem pedes & oculos, quos ipse non habet, nisi secundùm naturalem cnnvenientiam.

149 12. *Omne efficiens agit propter finem.* Ita patet, quia Efficiens extimulatur ad agendum ab amabilitate & jucunditate finis. Hæc de re est infrà satis *cap. 6. in comm. n. 13. seqq.*

150 13. *Quicquid efficit est aliquid actu.* Sumitur ex *Arist. 4. Met. c. 4. t. 16.* Quæ non sunt, quomodo ambulabunt aut loquentur? Et clarum est: Omne efficiens, qua tale est, habet actualem operationem. Atoperatio proportionaliter se habet ad esse. Igitur habebit illud etiam actuale esse.

14. *Efficiens quod dat formam, aut etiam consequentia formam.* Vulgare hoc est. Sic *Scal. Ex. 177. s. 5.* agens cùm imponit formam pro fine generationis, imponit etiam accidentia ad officia rei generatæ.

151 Observandum hìc primò est: Per *Accidentia consequentia formam*, intelligi proprietates rerum, sive adjuncta propria, non autem propriosactus, vel effectus. Neque enim agens, veluti patet, quod dat animam, dat etiam τὸ disputare, vel autor est disputationis, quam habet filius. Neque quod dat formam igni, aut terræ, dat etiam eis alcensionem, vel descensionem, sed dat solùm gravitatem, & levitatem. Vide *Pereir. l. 7. de Nat. c. 15. & l. 8. p. 474. & Zabar. de motu grav. & lev. l. 1. c. 12.* Ubi docet, per consequentia formam, intelligi hic accidentia permanentia; quia sunt proprietates, non autem accidentia fluxa, qualia sunt motus. *Deinde* observandum est: Proprietates non referri ad dans formam, ut immediatam causam, sed ut mediatam, Proximè enim proficiscuntur & emanant illæ ab ipsis formis.

152 15. *Omne procreans procreat sibi simile.* Est apud *Thom. 1. p. q. 115. art. 1.* Intelligendum autem est cum ampliatione, quam *Thomas* tradit *1. p. q. 15. art. 1.* Igitur similitudo illa agentis ad effectum suum est vel secundùm esse naturale: quomodo homo homini, leo leoni similis est; vel est secundùm esse intelligibile, vel ideale; quomodo homo est similis calceo quem facit, secundùm quod in mente præexistit calceus imma-

De procreante.

immaterialis, ad cujus similitudinem efformatur alius: Atque hoc modo etiam Deus assimilat sibi suos effectus, In aliis agentibus æquivocis est similitudo *in genere*. Nam producere simile in specie Solis efficientibus Univocis convenit. Aliter loquitur *Thom:* 1. *p. q.* 105. *art.* 1. Effectus aliquis assimilatur causæ suæ dupliciter, uno modo secundùm eandem speciem, quomodo homo generatur ab homine. Alio modo secundùm virtualem continentiam, in quantum scilicet forma effectûs virtualiter continetur in causa. Et sic quæ generantur à Sole assimilantur Soli, cujus virtute generantur. Confer etiam 1. *p. q.* 110. *artic.* 2. *& q.* 115. *art.* 1. *& p.* 3. *q.* 62. *art.* 3.

153

16. *Instrumentum non movet nisi motum.* Est apud *Scalig. exerc.* 297. *sect.* 3. *Malleus* non cudit nisi motus à fabro, nec calamus scribit, nisi directus à manu. Illa tamen motio, non semper intelligenda est fieri per corporalem applicationem principalis agentis ad motum, sed significat in genere dependentiam, vel subordinationem Instrumenti ad principale agens, ut in simili expositum est, *Can.* 19. *De Instrumento.*

154

17. *Agentis principalis & instrumentalis est una actio.* Est *Thomæ* 3. *p. q.* 29. *art.* 2. Sic una est actio scribentis & calami, nempe scriptio, quæ inadæquatè dependet ab utroque. Intelligitur autem axioma, ut *Thomas* exponit de actione instrumenti, ut instrumentum est, quia alias instrumentum, ut peculiaris res est, ita peculiarem formam habet, atque ita peculiarem operationem. Aliter dicendum. Unam illam actionem intelligi de Unitate ἐντελεσματος. Ad quod tamen mediare possunt diversæ actiones utriusque. Sic operatio scribentis est dirigere calamum, & sic per hanc directionem influere in scriptionem: Actio autem calami est quasi exequi istam directionem, & proximè pingere literas. Et hinc dicitur instrumento competere duplicem actionem, unam instrumentalem, secundùm quam operatur in virtute principalis agentis. Aliam sibi propriam, quæ illi secundùm propriam formam, & propias dispositiones convenit. Ita in securi est scissio, quæ ei convenit ratione proprii acuminis. At facere lectum convenit ei, ut instrumentum est. Vide *Thom.* 3. *p. q.* 62. *ad secundum, & 1. p. q.* 45. *art.* 5. *Instrumenti duplex actio.*

155

18. *Absolutissimum & perfectissimum erit instrumentum, si non multis operibus, sed uni inserviet.* Est *Arist. l.* 1. *de Republ. c.* 2.

19 .In-

156 19 *Instrumentum eò melius est, quanto magis fini est proportionatum.* Ita *Thom:* 1. *secundæ, quæst:* 188. *artic.* 7.

157 *De agente voluntario & naturali.*

20 *Agens voluntarium potest producere contraria.* Sumitur ex *Aristot. lib.* 9. *Metaph: c.* 2. Ubi *Aristoteles* ait, potentias rationales esse contrariorum. Et per hoc distinguitur agens naturale à voluntario. Potéstque illa contrarietas esse variè: 1. Successivè in eodem. Sic homo potest eandem rem nunc amare, postea odisse. 2. In eodem instanti circa idem. Ita fieri potest ut quo instanti quis hunc amet, potuerit eum odisse. 3. Simul circa diversa. Sic Medicus eodem tempore potest uni applicare remedium, alteri venenosum quid.

158 *Objicitur.* Quòd *Aristot:* dicto loco ait: *Potentias rationales non esse per se ad contraria.* Unde sic non differt voluntarium à naturali. Nam per accidens etiam agens naturale potest contraria. *Resp* Per se & per accidens ibi solùm distinguere primariam & secundàriam inclinationem virtutis operantis. *Sic* igitur voluntas (quæ est rationalis potentia) dicitur per se amare, per accidens odisse, non, quasi odium non eliciat ex se, & per se, sed quia prosecutio principalitèr convenit potentiæ appetitivæ, fuga autem per accidens, hoc est, secundariò, & propter alterum. Vide *Suarez, disp: 26. Met. s. 6. n.* 14. *seq.* Atque sic patet adhuc distinctio agentis Naturalis & Voluntarii.

159 21 *Agens naturale semper agit secundùm extremum virium.* Sumitur ex *Aristot. 2. de gen. & corrr. c.* 10. *t.* 59. in omnibus, quod præstabilius est, natura semper appetit: Ita lapis, quando deorsum cadit, cadit cum tanto impetu, quanto id fieri potest. Sequitur ex hoc, quod agens naturale semper agat æquabiliter, & non modò intensiùs, modò remissiùs. Loquor autem de agente naturali manente eodem, in se, & in respectu ad circumstantias. Nam cùm varietas contingit in ipso agente, veluti ut ipsum fortificetur aut debilitetur, &c. agit inæqualiter, rursus quando complicatur cum diversis circumstantiis, etiam agit inæqualiter. Sol magis calefacit æstate, quàm vere. Lapis movetur celeriùs in fine descensionis, quàm initio; Et sic deinceps. Ex isto axiomate conficitur, quòd Deus non agat ex necessitate naturæ, quia non agit secundùm extremum virium. Quis enim putet, Deum non posse perfectiùs quid producere, quàm ranam. Vide suprà *in comm. hujus cap. n.* 40. Unde non probo, quòd superius axioma appli-

applicatur etiam ad agens voluntarium, à *Zabar. l. de prim. mat. c. 2. p. 182.*

22 *Agens naturale non potest suspendere actionem.* Intellige, si ponantur omnia ad actionem requisita. Vide suprà *in comm. n. 35. 36.* 160

23 *Agens naturale semper agit idem.* Est sensus: quòd agens naturale, à voluntario distinctum, idem manens, semper agendi modum eundem, & non contrarium habeat. Unde tria sunt notanda in hoc axiomate. I, (*Idem manens*; quod intelligendum est cum ampliatione. Manens idem in se, & in consociatione ad circumstantias. Unde si mutetur agens naturale vel in se, vel in complicatione cum his circumstantiis non procedit Canon II. dicitur *Modum agendi.* Potest agens naturale res contrarias producere (veluti quòd Sol lique facit & indurat, generat, & corrumpit, producit amarorem & dulcorem) sed semper agit uno eodémque modo. Nam Sol sive liquefaciens, sive indurans, &c. semper tamen eodem modo agit. Agit calefaciendo, non frigefaciendo. III, Dicitur *Eundem & non contrarium.* Identitas enim nunc opponitur non diversitati, sed contrarietati. Nam agens naturale etiam modos agendi diversos habere potest, veluti ignis potest agere illuminando & calefaciendo, & se sursum movendo, &c. At non potest habere contrarios modos agendi. Non potest Sol agere calefaciendo & frigefacienod; aut illuminando, & obscurando; aut ascendendo, & descendendo. 161

Cæterùm ad actionem agentis hujus præsupponenda sunt generalia requisita ad agendum, de quibus suprà *n. 30. in comm hujus cap.* 162

24 *Causa voluntaria, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere & non agere.* Intelligitur de *prærequisitis* actionis. Nam positis actionem comitantibus (quale quid est Dei operatio) agens voluntarium non potest non agere, per necessitatem hypotheticam, ut in superioribus dictum. 163

25 *Quæ per accidens fiunt, rarò fiunt.* Sumitur satis ex dictis *n. 79.* 164 165

26 *Nulla causa Univoca est causa totius speciei.* Ita apparet, quia causa Univoca producit sibi effectum similem in specie. Unde ipsa etiam continetur in latitudine illius speciei. Et proinde si produceret totâ speciem, produceret etiam seipsam, *De Causa Univoca & Æquivoca.*

lum, quod est absurdum. Est igitur solùm causa particularis aliquorum individuorum. At causa Æquivoca potest totam speciem producere, veluti Sol omnes ranas. Ex his concluditur, Deum non posse esse agens Univocum, apud *Thom*: 1. p. q: 15. art. 5. ad primum.

166 27. *Potentia agentis Univoci tota manifestatur in effectu; at non Æquivoci.* Ita potentia generativa hominis, nihil plus potest, quàm producere hominem. At potentia Solis plus potest, quàm generare ranam, vel vermiculum. Et sic, quia Deus est agens æquivocum, idcirco in nullo manifestatur ejus tota potentia, sed omnis effectus ejus est minor ipso, vel ipsâ. Vide *Thom*: 1. p. q: 25. art. 2. ad secundum.

167 28 *Agens Æquivocum semper est nobilius effectu.* Satis declaratum est suprà n. 140.

168 29. *Quando duo agentia diversæ speciei consociantur, effectus non potest esse Univocus.* Sic quando congrediuntur vulpes & canis, non fit vel κύων, vel ἀλώπηξ, sed κυναλώπηξ. A gallo & perdice fit tertium. Ex equo & asinâ mulus Vide *Scal. exerc.* 202. *sect.* 2. & 3. Sic *Indorum* cum brutis coëuntium, partus sunt semiferi, apud *Plin. l.* 6. *c.* 2. Et proinde: si Diabolus verè congrederetur cum veneficis, homo produci non posset, quia ista agentia specie differunt.

169 *Fœminam esse hominẽ.* Ex hoc à posteriori concluditur: quòd mas & fœmina non sint diversæ speciei, ut aliqui scurriliter dicunt, fœminam non esse hominem. Nam ita ex mare (homine) & fœminâ (non homine) non posset fieri homo, sed aliquid specie diversum ab utroque. Undè illi, qui fœminas probare volunt, non esse homines, probant se non esse homines.

170 *De causa Particulari & Universali* 30 *Causæ particulares determinant Universales.* Universales secundùm se indifferentes sunt. Sicut Sol per se indifferens est, ut concurrat ad productionem hominis, vel leonis, vel nasturtii, vel brassicæ. Proinde determinatur illius Universalis causæ indifferentia per causas particulares, veluti, ut producatur homo, quia cooperatur Sol hominis; ut producatur nasturtium, quia agit Sol cum virtute plasticâ, quæ est in semine nasturtii, & sic deinceps, Atque hinc effectus etiam à causa particulari accipit conditionem, speciem, & gradum naturæ, eique assimilatur. Vide *Perer: de Philos: l.* 8. *c.* 10 *p.* 467. & *l.* 9. *c.* 13. *p.* 540. Intelligendus autem est Canon de universalibus causis, quâ tales sunt, quia possunt etiam aliquando

quando causæ, alias universales, esse particulares causæ; cùm immediatè agunt, veluti Sol illuminando, Deus creando, ad quas operationes nullâ determinatione particularis agentis opus est. Et rursus determinatio intelligenda est ad speciem, non ad esse singulare. Vide *Colleg: Conimbr: 2. Phys: cap: 7 quæst* 15. 171

31 *Causa Universalis agit immediatius, quàm causa particularis*: Canon hic Scholasticorum est Est autem duplex immediatio: Virtutis, & Suppositi *Illa*, cùm quid agit non communicatâ virtute. *Hæc*, cùm inter causam & effectum non intervenit aliud suppositum Ac proinde axioma intelligitur de immediatione virtutis Confer *Colleg: Conimbr: l. 2. Phys: cap: 7 q. 14 art* 1.

32 *Causa secunda non agit nisi mota à prima.* Axioma hoc exponit *Fonsec. l.* 5, *Metaph: cap.* 2. *q.* 9. *s.* 2. & *Suarez*, *disp.* 22. *in Metaph. sect.* 2. *num.* 47. 48. Igitur explicatur in ea habitudo causæ primæ ad secundam, ex quadam analogiâ vel Metaphorâ ad artificialia instrumenta. Sicut igitur hæc videmus subordinari agentibus suis principalibus, ut non moveant, nisi mota; ita etiam ad explicandam subordinationem causarum secundarum ad primas, dicimus eas non moveri, nisi motas. Absolutè autem & propriè nihil aliud significatur illo axiomate, quàm quòd causæ secundæ adjuventur à primâ vel quod prima eis cooperetur. Et præterea, quia Deus cõservat causas secundas, per continuum influxum ipsius esse, idcircò talis influxus ipsius esse, adeóque potentia activa potest motio Dei vocari. Adde *Bellar. lib.* 4. *de grat. & lib. arbit. cap.* 15. *p.* 967. 172 *De Causâ primâ & secundâ*,

33 *Causa secunda agit in virtute primæ.* In hoc axiomate duo intelliguntur. 1. Causam secundam habere suam facultatem agendi à causa primo. 2. Causam secundam non operari, nisi concurrente actuali influxu causæ primæ, Vide *Thom. l.* 3. *contra gentes, c.* 70. & *Suarez disp.* 22. *Metaph. s.* 2. *n.* 51. 173

34 *Causa prima non pendet à secunda* Hæc propositio vel ex ipsis terminis patet. Tolliturque per eam Fatum fatuum Stoicorum, quod dicebant esse connexionem causarum talem, ut esset simpliciter impossibile secus fieri. At hoc sic suspendit Deum à tali fato, ut Deus non nisi id agat, ad quod fatum inclinat. Contrà vide *Suarez*, *disp.* 19. *Metaph: n.* 6. *s.* 9.

375 35 *A Causa secunda effectus solùm pendet in fieri.* Hinc redditur causa, cur sublatâ causâ (ut parente, vel architecto) adhuc manere possit effectus (filius, aut domus,) quia scilicèt hæ causæ non concurrunt ad opera ista, nisi in fieri vel productione. Vide *Thom. q. 5. de potent. art. 1.* Et *1. p. q. 104. art. 1.* & *Zabarell. de sens. agente, c. 5.*

Caput. IV.

De Materia.

1 Materia est causa ex qua res est.

2 Est autem ex materia res bifariàm: in fieri, & in facto esse.

3 In fieri, quatenus ex materia producitur. In facto esse, quatenus ex materia constat.

4 Materiæ divisiones variæ sunt: *I. Materia proxima, vel remota.*

5 Materia proxima est, ex qua res proximè est; ut Corium calcei, hominis corpus.

6 Materia remota est, ex qua res est, mediante aliâ propinquiore, sic materia hominis sunt Elementa.

7 *Materia est immanens, vel transiens.*

8 Materia transiens est, ex qua res fit, & eâ transmutatâ componitur. Sic vinum est materia aceti, quisquiliæ murium, &c. Vocatur & materia transmutationis.

9 Materia immanens est, ex qua non mutatâ res componitur, sic materia domûs sunt lapides, ligna. Vocatur materia compositionis.

10 *III. Materia est sensibilis, vel intelligibilis.*

11 Materia sensibilis est, quæ prædita qualitatibus sensibilibus, secundùm quas sentiri possit. Talis materia mixtorum sunt Elementa.

12 Materia intelligibilis est, quæ non prædita est qualitatibus sensibilibus. Talis materia Syllogismi sunt tres propositiones.

13 *IV. Materia est prima, vel secunda.*

14 Materia prima est materia carens omni formâ, secundùmque se indifferens ad omnes formas.

15 Materia secunda est materia induta aliquâ formâ. Talis materia sunt Elementa ad mista, corpus organicum ad animal. &c.

16 Materia

16. Materia *Metaphisica* est nihil aliud quàm genus, Materia *Physica* est id, quod propriè dicitur materia.

COMMENTARIUS.

Hac in materia quatuor sunt tractanda: 1. De nomine Materiæ. 2. De ejus definitione. 3. De ejus causalitate & pertinentibus ad eam. 4. De ejus divisionibus. 1

Primò,

De Nomine Materiæ.

Nomen Materiæ est ambiguum. *Primò* Materia sumitur pro genere. Idque propter similitudinem, quæ est ab uno ad alterum, quam declaravit prolixè *Zabarell. 2 de prima mat. cap. 18. & perer. l 5. de nat. cap. 17.* Et *Averroës 1. Metaph. comm. 17. & Alex. lib 2. Nat. qq. cap. ult.* Omninò sicut forma quandoque sumitur pro differentia. Vocatur autem determinatiùs quandoque genus, *materia Metaphysica*, & differentia, *forma Metaphysica*, & sic compositio ex genere & differentia, solet dici compositio ex materia & forma Mataphysica. *Secundò*; Materia sumitur pro subjecto. Sic doctrinæ materia est anima. Vocarique solet materia *in Qua*. *Tertiò*: Materia sumitur pro objecto, in quo res occupatur, sic materia visûs sunt colores. Et vocatur materia *circa Quam*. *Quartò*: Sumitur pro causa (in superioribus enim significationibus non fuit causa) ex qua res est. Et sic solet specialiter vocari materia ex *Qua*. *Quintò*: Sumitur quasi per ἀ'ντονομασίαν, pro materia substantiarum naturalium, inprimisque de materia prima. Et hoc sensu *Aristoteles* intellexit vocem materiæ, in divisione substantiæ, quam triplicem facit, materiam, formam, & compositum, *7. Metaph text. 17. & 2. de anim: text:* 2, aliisque locis. 2

Ex his obiter intelligitur distinctio materiæ, in materiam *Ex qua, in qua, & circa quam*, quòd scilicet non sit divisio rei, sed solùm resolutio vocis ambiguè. Quanquàm *Fonseca lib 5 Metaph: c. 2. quæst: 1. sect: 1* cæteriq; Metaphysici alium etiam hujus divisionis sensum insinuare solent, ut scilicet in illa distinctione intelligatur verè & propriè dicta materia, divisa secundùm officia. Ejus enim officium in respectu ad ens cui est, ut terminet aut occupet actionem efficientis. Sic ergò est materia circa quam. Aliud ejus officium, in respectu ad formam, est, ut eam sustentet. Sic ergò est materia 3

Distinctio materiæ in eam, quæ est in qua, ex qua, & circa quam, bifariàm intelligitur.

in qua. Ac denique aliud officium est, in respectu ad compositum, ut hoc ex ea sit. Sic ergò est materia Ex qua. Similis est differentiarum distinctio apud *Porphyrium*, cùm dicuntur divisivæ, vel constitutivę. Hâc enim distinctione constituitur solùm distinctio officiorum differentiæ.

SECUNDÒ.

De definitione Materiæ.

4 *Materia est causa, ex qua res est.* Definitum jam declaratum est. In definitione duo tanguntur: Primò dicitur *Causa*. Deinde specialiter declaratur, quomodo sit causa, nempe in quantum *ex ea res est*. Ac utrumque horum postea clarius erit; ex dicendis de causalitate materię. Solùm duo sunt breviter animadvertenda. Primò *esse* sumendum est latè, ut comprehendat etiam *fieri*. Materia enim causa composita est, non solùm intrinsecè componendi, sed etiam producendi. Deinde de particula EX, observandum est, eam ambiguam esse, ut docet *Aristot. lib. 5. Metaphic. cap. 24. l. 1. de gen. an. cap. 18. circa medium.* & *Armand.* de Bello Visu tract. 2. *de minorum cap. 251. 252.* Igitur *primò EX* significat causam efficientem. Sic filii sunt ex parentibus, ex convitio est pugna, ut *Aristoteles* ait *lib 5. Metaph. c. 1.* Sic *Luc. 1. Maria* dicitur concepisse *ex* Spiritu Sancto, prout ex notat efficientem. Vide *Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto cap. 5.* & ex *Hyeronymo Pelarg. l. 3. in damas. c. 2. quæst. 2.* *Secundò* significat finem, ut, ex eo edimus, ut vivamus, hoc est, eo fine edimus, ut vivamus. *Tertio, Ex* significat formam, ut ex forma cum materia componitur corpus. Loquitur ita *Arist. 1. Phys. c. 7. t. 65.* Unde & *Fonseca* disputat, formam posse dici Elementum, quia ex eo aliquid est, *lib. 5. Metaph. c. 3. q. 2 sect. 2.* *Quartò, Ex* significat totum, ut lapides ex domo vel versus ex Iliade. *Quinto. Ex* significat speciem, ut Homo aliquid est ex genere bipedum. *Sextò, Ex* significat aliquod positivum antecedens, sive terminum à *quo*, ut ex æquinoctio facta est navigatio, quoniam post æquinoctium facta est. Item ex nocte fit dies, vel ex die nox, quia unum post alterum. *Alio certè modo dicimus ex die fieri noctem, & ex nocte diem, quia unum post alterum; & alio cum ex ære flatuam, & ligno lectum, & quacunq; ex materia fieri dicimus, ut ex aliquo quod insit, inquit Arist. 1 de generat. anim. cap. 11.* *Septimò, EX* significat antecedens negativè, ut *Ex* nihilo fit aliquid

Vocula Ex declaratur.

aliquid per creationem. Ubi nihilum non significat materiam, sed terminum, ut *Scalig.* habet *exerc 6 sect. 13, & Lychetus in Storum l. 2 disp. 9. 2 in initio.* Et *Ainsbel in Monolog. c. 7 & 8 & Taurell. de vet. aeter. p. 111.* Igitur praeter has omnes significationes 7ὲ Ex. est alia famosa valdè, quâ ex peculiariter notat habitudinem materiæ, quam habet ad compositum *Verbum γινεσθαι, cum praepositione ἐκ significat τὸ ὅτι τῆ ὕλης, ait Scalig. l. 2. de plant. p. 254.*

Dices: Sic ergò definitio ista materiæ erit latior definito. Nam propter latitudinem vocis Ex poterit haec definitio multis aliis accommodari. *Respondeo:* Definitionem eam propterea non esse latiorem, quia famosissima significatio 7ῆ Ex & magis propria, est, ut significetur habitudo materiæ per eam, ut dictum. Solent autem vocabula plurium significationum, seorsim posita, pro suo famosiori significato stare Et sic *Aristoteles* semper definit materiam per hanc vocem Ex Vide 4 *Met.* 2. 1. *Phys. c. 9.* 2 *Phys. c.* 3. *Polit.* 9. *Objectio*

TERTIÒ.

De Causalitate Materiæ.

Hâc in re tria sunt disquirenda: 1. An materia sit causa? 2 Quarum rerum sit causa, vel, quod idem est, Quæ res habeant materiam? 3. Quomodò sit causa earum rerum, quarum est Causa? §

1. An Materia sit causa?

Videtur quòd Non. Nam 1. Materia non est Ens actus sed potentiâ, ut *Arist.* passim docet *l. 1. de gener. c. 3. 8. Met. t. 3, & l. 11. Met. c. 2, & 5, Phys. t. 8.* Et ad removendam omnem actualitatem, vulgò dici solet, Materiam esse *puram* potentiam Atqui quod est causa, non est aliquid potentiale. Nam omnis causa actu influit Ergò etiam actu est Cùm operari sequatur esse, & ipsi proportionetur. 2. Id solùm Causa est propter Quod res est, ut *Arist.* indicat *l. 1 Phys. c. 7.* Ubi ex quæstione de *propter quid* respondet de numero causarum. Atqui propter materiam res non est, sed ex materia. 3. *Plato* passim materiam vocat non Ens Ac quod non est Ens, non est causa; nam causa & causata sunt differentiæ Entis. 4 Quod non agit, non potest esse causa, ut *Scalig.* habet 2. *de plant. p. 293. & exerc. 307. s. 27. p. 977.* Et patet Nam de ratione causæ est influere. At non videtur influxus verus cogitari posse sine actione. Atqui materia non agit, sed

patitur solùm, indéque principium passivum dicitur, ut vulgò est notum.

7 *Materiam esse causam*

Nihilominùs materiam Causam esse apparet, quia causa adæquatè constituitur per influxum in aliud. Iste autem influxus significatur, si id aliud dependeat ab eo quod influere dicitur; dependeat, inquam, vel in esse, vel fieri suo. Atqui tale quid est materia. Nam illa essentialiter & intrinsecè componit causatum, & etiam ex illa pendet in productione suâ, quæ sigillatim in seqq. manifestiora erunt. Alia, brevitatis causâ, omitto. Argumenta objecta sic solvuntur.

8 *Solvuntur objectiones*

Ad primum: In Potentia res dicitur esse bifariâm: In potentia *activa*, quatenus potens est agere: In potentia *passiva*, quatenus potens est ad patiendum & recipiendum, & in potentia *objectiva*, quatenus aliqua res, quæ nondum existit, produci potest; quomodo rosam in hyeme dicimus esse in potentia, scilicet objectivâ. Ex quibus dico: materiam (primam solùm. Nam de secunda secus est, quia non est nuda ab omni forma, etsi sit potentia ad formas aliquas) esse in potentia, & eâ quidem purâ, loquendo de potentia passiva. Loquendo enim de materia prima secundùm se, est ea quasi abjuncta ab omni forma, & apta est, seu potest recipere quasvis. Non est autem ea in potentia objectiva, sic ut demum sit producibilis. Supponitur enim eam creatam, aut concreatam esse: Creatio autem promovet rem ex esse in potentia, ad esse actu. Unde reliquum est, ut dicatur, materiam hoc sensu esse Ens actuale, atque adeò & actu influere, & sic actu causam esse posse.

9

Ad secundum: *Propter quid*, bifariàm dicitur: *Presse*, & tum soli fini convenit. *Late*, & tum convenit omnibus causis, ut indicat *Aristot: citato loco*, colligens ex *propter quid* numerum causarum, sicut & propterea pluribus causis, etiam ipsi materiæ, *Propter Quid Aristoteles* ibi tribuit. Vide *Fonsec. lib. 1. Metaph. c. 7 q. 1. s. 6.*

10 *Quomodo materia non Ens.*

Ad tertium, Materia non est simpliciter non Ens. Aliàs enim resolvi in materiam, esset resolvi in nihilum, hoc est, annihilari. Item gigni ex materia, esset gigni ex nihilo, hoc est, esset creari. At hæc implicant. Taceo alia. Materia igitur appellatur non Ens, non quasi nihil sit, sed ad indicandam ipsius imperfectionem in genere Entium, & comparandò eam, cum forma, vel composito; quo genere loquendi solet etiam materia negari esse Natura, non, quod non sit natura

sed

sed comparando eam cum forma, quod non sit tam natura, quàm forma. Singula docentur ab *Augustino l. 12. Confess. c. 7.* ubi vocat materiam non, nihil, sed *propè nihil*, & penè nullam rem. *Platonis* etiam locutio secundum hunc sensum optimè explicatur. Nam in *Timæo* materiam satis apertè Ens nominat. Estque supra hæc omnia advertendum: Has locutiones, *materiam esse non Ens, esse puram potentiam*, & his similes, non complecti materiam in totum, sed exparte solùm, hoc est, materiam primam.

Ad quartum tria respondeo: I. Cùm materia dicitur principium passivum, tunc id fieri secundùm respectum, quem habet ad motum. Hujus autem respectu verum est, materiam non esse causam, sed subjectum solùm. II. Potest tamen in Universum dici: materiam non agere. Actionis enim vox secundùm famosiorem significationem, sumitur solùm pro causalitate & influxu efficientis, quod propterea etiam ab effectione efficiens, ab actione agens dicitur. Sic Aristot. *1. de. gener. & int. cap. 9.* ait *In omnibus, quæ vel naturâ constant, vel ab arte proficiscuntur, hoc agens dicere consuevimus, quod movendi vim habet.* Materia autem, sicut & forma, & finis, non sunt causæ de genere efficientis causæ. Ex quibus apparet proximè negari aliquid esse causam efficientem, si non agat, non autem causam simpliciter. III. Materiæ potest tribui actio, quam Scaliger in omni causa requirit. Nihil enim aliud ea actio est, quam verus influxus, quo aliquid à priori concurrit ad esse rei alterius, quem materia satis evidenter habeat, saltem ex eo, quia intrinsecè rem componit, & suo modo perficit. 11

II. Quarum rerum materia sit causa.

Hic titulus valdè latè patet, igitur seorsim res aliquæ attingendæ sunt, Quæro ergò: 12

An omnia entia habent materiam?

Ita censent aliqui: Ramæi enim hoc generale principium habent; Argumenta Logica vera esse in omni Ente, qua in re constituunt illi generalitatem artis Logicæ. Alii etiam recentiores Metaphysici ita docent, qui generalia Entis principia dicunt, in Metaphysicis, esse materiam & formam. Ex quo deducunt illi manifestè Angelos etiam habere materiam. Deum autem nec ens esse, quia ista principia non habeat, quæ tamen involvantur in ratione Entis, prout quidem de ea agat scientia Mataphysica.

13 *An Deus comprehendatur sub Metaphysica?*

Ut igitur ordiamur ab iis, quæ remotiora sunt in hac disputatione, dicendum est: Ens non posse ita strictè sumi in Metaphysicis, ut ens udatur Deus. Ita patet ex duobus. Nam *primò* illud verè & realiter ens est, cui convenit vera realis essentia. At hæc Deo convenit. Nam adæquatum signum realis essentiæ est realis operatio. Nam ne cogitari quidem potest, quomodo aliquid realiter operetur, & tamen non realiter ac verè sit. *Quemadmodum esse cum operari; ita non esse cùm non operari convertitur*, inquit *Plutarchus, lib. de primo frigido.* Atqui Deo reales operationes conveniunt, veluti creare &c. *Deinde* Deo conveniunt proprietates Entis, Metaphysicè sumpti, veluti bonitas, veritas, unitas, perfectio, simplicitas, &c. Ergo etiam Deo convenit, ut dicatur ens. Imò Scriptura eum ὄντα, vel ὢν appellat. *Exod. 3. v. 14.* Argumentum quod potissimùm autores hujus opinionis movet, postea referam *n. 15.* Nunc ad rem; quam, ad negandum superius quæsitum, sic propono.

I. An Deus habeat materiam?

14 *Imperfectiones quæ sint à materia?*

Primò, Deus non habeat materiam. Ita esse apparet inde, quia materia multiplicem imperfectionem inferret Deo. Nam 1. Deus non esset actus purissimus. Purum enim vocatur, quod alieni nihil habet. Ergò purus actus dicitur, qui nihil habet potentiæ. Atqui quod habet materiam, habet aliquid potentiæ passivæ. Nam de ratione materiæ est recipere formam. Receptio autem est passio. 2. Deus non esset Ens simplicissimum. Nam si haberet materiam, haberet & formam. At materia unita facit compositionem. Cæterùm compositio pugnat cum divina perfectione. Nam quod est compositum, habet perfectionem dependentem; dependentem, inquam, à partibus componentibus. 3. Deus non esset Ens primum. Nam quod habet materiam, & sic etiam formam, habet aliquid uniens ista. Neq; enim seipsa uniunt. Nam quod formâ unit materiæ, id priùs disponit materiam per certas qualitates. Hoc autem non facere potest materia, utpote quæ non est efficax tali verâ & Physicâ actione. Nequa forma id facere potest. Nam forma etsi sit efficax tamen non est efficax, nisi sit in supposito. Ergò non potest primùm unire se formæ. Ex qua unione demum consurgit compositum.

15 *Objectio.*

Objicitur 1. Si Deus continetur sub subjecto Metaphysicæ. Ergò habet materiam. Sed prius est verum, ut dictum est *num.* 23. Ergò & posterius. Connexio probatur. Nam

omnis

omnis scientia habet principia sibi adequata. At non sunt alia principia, præter efficientem, materiam, formam, & finem. Unde consequens est, quodcunque est objectum alicujus scientiæ, aut sub eo contentum, id habere materiam. Atque hoc est argumentum, quod huc reservavi ex *num.* 13. Sed facilis est *Responsio*: Verum est, omnem scientiam debere habere principia, sed non est verum, debere ea principia esse principia essendi. Satis est, si sint principia cognoscendi. *Aristoteles* enim sanciens eam scientiæ conditionem, dicit omnem scientiam debere habere *dignitates*. Vide 1. *post. 76.* Unde sic non est necessarium, quodvis scientiæ objectum habere materiam, aliáve recensita principia. Deinde principia essendi, quæ nunc rectiùs dicimus incomplexa principia, etiam non sunt necessariò ista principia; sed satis est, si sint incomplexæ rationes, ex quibus sumatur ratio, cur aliquod attributum subjectio suo insit. Ita esse apparet. Nam finis, cur in scientia requirantur principia, est, ut in ea possint esse demonstrationes. Ad demonstrationem autem tales incomplexæ rationes sufficiunt. Sicut ex independentia Dei vetè demonstratur Dei immortalitas. Ista tamen non est hujus causa vel efficiens, vel alius generis. Ex quo etiam rursus apparet; Dei attributa talia principia habere, qualia in scientię subjecto requiruntur: atque adeò quæ ad Ens, subjectum Metaphysicæ pertinent. *Responsio.*

16

Objicitur II. Deo in Scripturis tribui oculos, aures, manus, dextram & sinistram, aliáque membra corporea; Item affectus, ut iram, perturbationem, quæ omnia videntur, Deum esse corporeum, indicare. *Resp.* Secundùm communem Patrum, Scripturis congruam, doctrinàm, hæc, contra *Anthropomorphitarum*, hæresin, esse intelligenda ἀνθρωπομορφως. Ità prolixè docet *Anshelm in lib. de membris & actibus Dei*, inter alia inquiens; *Ubicunque sacra Scriptura in Deo motus animæ: seu humana membra describit, item caput, capillos, oculos, palpebras, nares, aures, os, labia, cor, linguam, uterum, manum dextram & sinistram, digitos, brachium, scapulas, posteriora, pedes, item motus animæ, iram, furorem, oblivionem pœnitentiam, recordationem, & alia his similia, non carnaliter juxta historiam à recte intelligentibus sciendi sunt, &c.* Vide plura apud *Anshel.* dicto loco. *De membris Dei.*

2. *An Angeli habeant materiam?*

17 *Angeli dupliciter habent materiam.*

Dico *Secundò: Angeli non habent materiam.* Imprimis negari non potest, vocabulum *materiæ* bifariam Angelis tribui. Nam 1 convenit eis materia Metaphysica, quæ nihil aliud est, quàm genus, *ut n 2. hujus capitis* dictum. Angelis enim verè genus convenit, ut disputavi in generali doctrina prædicamentorum. *in init. Log. c. 2. num. 57 seq.* Deinde convenit eis potentia passiva, sec undùm quam & mutabiles sunt & corruptibiles. Potentia autem passiva analogicè vocari potest materia, secundùm quam Entia naturalia sunt corruptiqilia, ut ista sit omnis corruptibilitatis radix. Nunc igitur, Angelis materiam negantes, de vera & propriè dicta materia loquimur. Et sic probatur.

18 *Veram materiam non habent*

Primò: Si Angeli haberent materiam, haberent etiam quantitatem. Est enim quantitas propria affectio materiæ. Atqui quantitas Angelis non convenit, Nam proximus effectus quantitatis est rem commensurare spatio locali, & sic eam extendere, ac prohibere penetrationem. At hæc omnia non congruunt naturæ Angelicæ, ut apparet ex historia Evangelica, ubi legitur, Legionem Dæmonum fuisse in aliquo obsesso, quod impossibile esset per naturam, si quidem Dæmones naturam corpoream haberent. Nam in re militari Legio censetur sexies millenis peditibus, & quingentis equitibus, ut *Sleidan:* scribit *l. 2 de quat: sum: Imp: p. 167.* Ex *Vegitio, Isidoro,* & aliis.

19

Secundò: Si Angeli necessariò haberent materiam, tum proculdub ò id pateret ex aliqua ipsorum operatione, vel aliâ aliquâ re. Essentia enim indicatur per actus. At hoc non est. Nam non est credendum minorem perfectionem esse in Angelo, quàm in anima rationali. At hæc nullam operationem habet, quæ requirat, ut ipsa sit materialis, aut necessariò unita materiæ.

20 *Dæmones non esse corporeos*

Ex dictis (plura cumulare hic non libet) patet, inprimisq; ex priori ratione, non solùm Angelos bonos carere materiâ, sed etiam malos. Etsi nominatim hos aliqui corporeos faciant, ut *Niphus l. 3: de Dæmon: c. 3. Cajet, c. 2. ad Ephes. Eugub: c. 8. peren: Philos: c. 27. 41.* Reciditque huc opinio gentilium, qui angelos malos rebus corporalibus, ut suffitibus, simlibusque, delectaria, & odore Myrrhę, aliisque rebus fugari, crediderunt, ut videre est apud *Porphyr, in Epist. ad Anebundum, & Apulejum de Deo Socratis, aliosque,* prout refert

refert *August. l. 8. de civit. Dei, c. 16, l. 9. c. 16. & l. 11. c. 1.* Sed ratio in priori argumento tacta satis est efficax. Potestque eadem res de immaterialitate Dæmonum sic probari. Si Dæmon per lapsum mutatus esset in substantialibus, hoc est, ex Ente incorporeo in corporeum, sequeretur non puniri id quod peccavit, ut est evidens. At hoc est contra Dei justitiam. Rectè igitur habet illud *Damasceni lib. 2. de Orthod. fid. cap. 4.* Naturam Angelorum per lapsum mutatam non esse.

Objici multa possunt. 1. Multi Patres Angelos dicunt corporeos. Vide *Orig. l. 2. de principiis, c. 23. Tertullianus lib. de carne Christi, August. Epist. 125. & l. 2. de Gen. ad lit. c. 17. 17. & l. 11. de civit. Dei, cap. 23.*

21 *Objectiones.*

Resp. 1. Per Instantiam: Multi patres Angelos dicunt incorporeos, & corporeos esse negant. Vide *Chrysost. hom. 22. in Gen: Ignat. in Epist. ad Trallianum: Nazianz. Orat. 2. de Theol. Fulgentium de fide ad Petrum cap. 3. Basil. in Hom: Quòd Deus non sit autor malorum. Damas. l. 2. de Orth. fid. cap. 3. 4.* Alios mitto. *Secundo* dextrè potest accipi illa locutio Patrum. Nam *primò* corpus non semper opponitur spiritui, sed quandoque opponitur umbræ, *ut in Epist. ad Coloss. c. 2. vers.* 17. Ergò Angeli possunt dici corpora, hoc est, non umbræ evanidæ, &c. Quo sensu aliqui volunt *Tertullianum* etiam Deum corpus appellâsse. *Deinde* frequenter corporeum apud Patres accipitur pro composito & mutabili. Sic *August. lib. 1. de Orig. an. ad Hier. cap. 3.* de anima loquens: *Si*, inquit, *eam solam incorpoream placet appellare naturam, quæ summè incommutabilis est, & ubique tota, corpus est anima, quando tale aliquid ipsa non est. Si autem corpus non est, nisi quod per loci spacium, aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur vel movetur, ut majore sui parte majorem obtineat, & breviore breviorem, minusque sit in parte, quàm in toto, non est corpus anima.* Ecce eodem modo potest etiam Angelus dici corporeus, & incorporeus.

Angeli quomodo dicantur corporei à Patribus.

22

II. Objicitur: Angeli sæpè apparentes tanguntur & videntur, E. sunt corporei. Nam *Tangere vel tangi: nisi corpus, nulla potest res*, inquit *Lucretius.* Et idem est de videri. Et confirmatur Syllogismo Christi, *Luc. 24.* quo probat, se non esse spiritum, quia possit videri & palpari, qui consequentiam non habet, si, quod spiritus est, videri aut palpari possit. *Respond.* Angeli videntur & tanguntur, non quia corpora sunt essentialiter, sed quia assumpserunt corpora. Nam quòd cor-

Angeli quomodo tanguntur.

pora

pora illa ipsorum non sint, apparet. Illa enim corpora sunt organica & dissimularia. At partes dissimulares non sunt aliunde, nisi ex diversorum Elementorum inæquali commixtione. Illa autem Elementorum commistio repugnat naturæ Angelicæ. Sic enim Angeli essent per se, hoc est, per extrinsecas dispositiones, corruptibiles, ut sequitur ex contrarietate Elementarium qualitatum. Talis autem corruptibilitas Angelorum est absurda. Nominatim autem Diabolum apparere in assumpto corpore, ostendit ejus appatitio in Paradiso, ubi ab ipso veri serpentis corpus fuisse assumptum, ostendunt maledictiones serpentis, *Genes.* 3. Ex quo apparet: Quicquid tangitur aut videtur, id esse corpus, vel per se vel per accidens, hoc est, uniisse sibi corpus. Argumentatio autem Christi solida est. Volebat enim solùm ostendere, se non esse spectrum vel phantasma ex vera palpatione.

Diaboli apparitio.

Inquis: Potuit esse spiritus, quia assumpserit hoc corpus Christi. *Respond.* Quòd apparens verè fuerit corpus, ex illo loco Lucæ, & Christi argumentatione apparet. Quòd autem non ab alio spiritu, sed ipso Christi assumptum fuerit, non ex eo loco colligitur, sed aliunde; veluti quòd ipse Christus resurgere debuit. Vide Martyrem, *Class. 1. loc. com. c. 13. n. 8.*

22

III. Objic: Angeli generant. Sunt corporei. Missâ consequentiâ quæ est evidens, probatur antecedens. Ac primùm de bonis Angelis est textus *Gen. 6. vers.* 2. 4. Ubi filii Dei dicuntur ingressi ad fœminas. Per filios autem Dei intelliguntur Angeli, secundùm *Justinum 2. Apol. pro Christ. tom. 1. fol 87. 88, 109 Ed Lang Clem: lib. 3 stromat. Lactant lib. 2. div. Inst. cap.* 15. aliósque. De Angelis malis apparet per experientiam, de Dæmonibus succubis & incubis. Sic enim Diabolum generâsse tot exemplis probatum esse dicit *Augustinus*, ut impudentiæ sit, id negare. Vide *l. de civit. Dei, cap.* 23. Et aliqui pontificii dicunt gignendum esse ipsorum Antichristum, ex tali Diaboli commixtione, ut *Antoninus* refert. *3 part. sum. tit. 2. cap. 2. Resp.* Imprimis discrepant Dd. in eo; An Angeli generare possint. Qui saniores sunt, illi, si dicunt Angelos generare, existimant tamen eos solùm generare propter assumptum corpus virile. Et sic ex generatione non magis sequitur eos esse verè corpora, ac ex eorum apparitione sequebatur. Alii autem negant Angelos etiam in assumpto corpore generare; dicunt esse solùm phantasma, quod putant veneficæ se rem habere

De generatione Angelorum.

cum

cum Sarâ. Testantur Anatomici, virgines tales venefloratas, quæ talia fuerunt talem concubitum in lectione reperisse fuisse illæsas in membrana virginitatis. Et sic neutro sensu sequitur: Angelos verè materiales esse. Per filios Dei, cùm aliqui Patres Angelos intelligant, Gen. 6. tamen alii, & rectiùs, intelligunt viros sanctos, de posteritate Seth. Videatur *Chrysost. hom. 22. in Genes. Augustin. lib. 15. de civit. Dei, cap. Theodor. q. 47. in Genes. Cyrillus lib. 3. contra Julian.* Atque hac in re prolixus, *Per. in Genes. l. 8. de causis diluvii, ad cap. 6. à num. 11. usque ad num. 84.* Nugas de generatione Antichristi non moror. Alias objectiones brevitatis causa omitto.

3 *An formæ habeant materiam?*

Tertiò: *Formæ non habent materiam.* Hoc dico: Formas non esse compositas ex materia, vel formas non habere materiam, tanquam aliquid sibi essentiale. Patet 1. Quia sic essent per se quantæ. Quod pugnat cum officio formæ, debent enim intimè penetrare per totum compositum, & materiales ejus partes, sicque eas informare & actuare. At quod per se quantum est, aliud quantum non potest penitissimè immeare, vel penetrare. 2. Haberent sic formæ etiam formam, quia forma & materia sunt ad aliquid, sive relata. Ergò quod materiam habet, habet etiam formam. At quomodo forma haberet formam? 24

Objicis. Formæ aliquæ dicuntur materiales, omnes scilicet exceptâ animâ rationali. *Resp.* Non dicuntur materiales, quasi habeant materiam, sed quia materiam habeant necessariam dependentiam, ut sine materia nec esse nec operari possint. *Quomodo aliquæ formæ dicantur materiales?*

Porrò quæritur:

4 *An accidentia habeant materiam?*

Generaliter id negat *Aristot. lib. 8. Metaph. cap. 4. Neque uepo*, inquit, *quicquam eorum quæ naturâ quidem sunt, sed tamen non sunt substantia materiam habentes. Tametsi id quod subjicitur, substantia est. Exempli causâ. Quamam Eclipseos causa est. Quæ quidem ut materia? Nulla. Sed Luna est id quod patitur.* Hæc *Aristoteles.* Sed tamen 12. *Metaph. t. 13.* ait: *Omnium generum secundùm proportionem esse eadem principia.* & sic etiam eandem materiam. Vulgaris Metaphysicorum sententia est, quòd distinguendum sit inter accidens abstractivè sumptum, & sumptum concretivè. Igitur accidens concretivè sumptum, dicunt habere materiam, ex qua componatur. Verbi gratiâ: Album est aliquid compositum 25

positum. Album enim notat duo, videlicet albedinem, & subjectum albedinis. Albedinem dicunt formam, subjectum ejus dicunt materiam. Sic ergò album pro materia habet subjectum, in quantum ex eo componitur. Et idem est de cæteris. Sumptum autem accidens abstractivè dicunt illud solùm habere materiam, in qua sustentetur, non ex qua componatur. *Sed*, attendo, quòd subjectum non sit materia, sumendo eam pro causa, ut hic sumitur, non satisfit quæstioni, si prædicto modo respondeatur.

26 Assumo igitur dictum *Aristotelis*, quo dicebat, accidentia habere principia 1. proportionaliter ad principia substantiarum, cujus sensus est, quòd habeant aliquid simile illis. Igitur vulgò admittitur, partes integrantes propter similitudinem cum materia reduci ad eam. Sic ergò accidentia habent proportionaliter materiam, quia accidentibus possumus quasdam partes integrantes assignare, veluti secundùm extensionem in quantitate. Constat enim linea ex variis partibus longitudinem habentibus. Item triangulum constat ex pluribus lineis. Et sic de cæteris. Aliis accidentibus possumus assignare partes integrantes secundùm intentionem. Ita in doctrina Excellenti habemus multos gradus ejus, similiter in calore, & cæteris. Hoc ergò modo accidentibus sua materia esto.

27 *Quæ res habeant materiam?* Sed quæ tandem res sunt in summa, quæ materiam habeant; *Primò* sunt omnia corpora naturalia. *Deinde* ad horum imitationem, materiam habent suo modo omnia corpora artificiosa. *Tertiò*: Alia Entia per accidens, veluti Mundus, Respublica. *Quartò* Accidentia, eo modo, quo dictum est.

Cæterùm nunc porrò disquirendum est.

5. An solum compositum causet materia, an verò causet, aut etiam concauset alia?

28 *Materia causat solum compositum.* *Suarez disp. 13. Metaph. s. 7. & 9.* ait, Materiam causare compositum, generationem, formæ Entitatem, & unionem formæ ad materiam.

Ego hac in re dico: 1. *Materia causat solùm compositum*, Ita sensit etiam Major, 2. *dist: 12. q. 2. Albert: 2. Phys: tract: 2. cap: 1.* Eadémque sententia probatur primùm: Quia materia non definitur, nisi per compositum; veluti, Materia est causa, ex qua res est, vel fit. Ibi enim omnes intelligunt compositum, per rem. *Deinde*, quod causat materia, hoc etiam potest dici causatum. Ergò & specialiter materiatum. Quod enim

29 præscri-

it

præscribit sibi genus, præscribit etiam aliquam speciem illius generis. At nihil præter compositum potest dici materiatum; neque generatio, neque unio formæ, neque forma ipsa. Ergò etiam nihil præter compositum causat materia. *Tertiò*: Materia est causa interna, Ergò cujus est causa, id intrinsecè constituit At non constituit, nisi compositum.

Secundò dico. *Materia non causat generationem.* Ita patet primùm per rationes priùs factas. Deinde respectu generationis omniúmque aliarum mutationum, vel motuum, materia solùm est principium passivum, hoc est mutationes & motus suscipit. Hoc autem officium est subjecti, non causæ. 30

Objicitur à *Suarez*: *Aristoteles* materiam vocat principium per se generationis, & ab eo essentialiter pender generatio: Ergò est causa generationis. *Resp.* 1. Non sequitur. Est principium. Ergò est causa. Nam principium latiùs patet, & veluti genus est ad causam. 2. Pendere etsi secundum famosam significationem solùm significet influxum causalem, tamen id non est perpetuum, ut, quod pendere dicitur ab alio, sit ejus effectum. Pendent etiam accidentia à subjectis, ut albedo à pariete. Item pendet aliquid ab alio, tanquam à concomitante, aut conditione necessariâ: ut *Suarez* fatetur *disp:* 15 *sect.* 8. *num:* 16. & docet *Fonsec.* 5. *Metaph:* c. 2. *q.* 3. *sect:* 1. Esto igitur generationem suo modo pendere à materia, tamen non pendet ab ea, nisi ut à principio passivo, hoc est, ut à subjecto. Unde malè dicitur generationem pendere à materia essentialiter.

Tertiò: *Materia non causat unionem formæ.* Patet. Nam ad unionem non aliter se habet materia, quàm alter terminus unitus alij. Esse autem terminum unionis, non importat influxum causalem in eam, 31

Quartò: *Formam non causat materia.* Hæc positio convincitur satis per rationes positas, *num:* 29. Alias igitur non addo. 32

Objicitur. Formæ educuntur de potentia materiæ. Ergò materia formarum causa est, saltem loquendo de istis, quæ sic educuntur, hoc est, formis materialibus. *Respond.* Formam educi de potentia materiæ (concedamus enim nunc ita formas fieri) non significat ex parte materiæ causalitatem. Nam educi de potentia materiæ complectitur duo, primùm ut forma, quæ incipit actu esse in materia, antea fuerit in ea potentiâ. Alterum, ut materia naturalem habeat aptitudinem

Quid sit educi de potentia materiæ?

aptitudinem ad istam formam virtute agentis producta, recipiendam, ut colligitur ex iis, quæ hac de re scribunt, *Thomas 1 part. qu. 5. art. 90. Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 2. quæst. 4. & Suarez disp. 15. Metaph sect. 2. num. 14. seqq.* aliique interp. *ad 1. Phys. cap. 4. & 5. Metaph. 2.* Neutrum autem illorum importat in materia ad formam, relationem causæ, sed solùm relationem subjecti.

33 *Trahuntur in Bonum sensum locutiones aliorum.*

Hoc nihilominus admittendum est: Etsi causata materiæ non sunt vel forma, vel generatio, &c. Nihilominus ipsum causare compositum, cum respectu ad formam, vel generationem. Concurrit enim ad productionem compositi, sustentando generationem, & componit compositum sustentando formam, & sic per unionem ad formam. Possemúsque forsan, tali loquendi modo, commodè interpretari aliorum opiniones proximè confutatas.

III. *Quæ sit Causalitas materiæ.*

34 *Materia est causa compositi in fieri.*

Obtinuimus solum compositum esse ad æquatum causatum materiæ. Ad illud autem compositum habet se materia bifariam: 1. quatenus concurrit ad ejus fieri; deinde quatenus concurrit ad ejus esse. Unde duplicem etiam causalitatem habet, aliam hic, aliam ibi. Ante omnia tamen confirmandum est materiam utroque modo conferre ad compositum.

Primò: *Materia concurrit ad fieri compositi.* Ita patet ex definitione materiæ ab *Aristot.* traditæ, *1. Phys. cap. 9. & 2. Phys. cap. 3.* materia est subjectum, ex quo res fit. Sic ergò hoc respectu causalitas materiæ est sustentare generationem, & pati ut ex se educatur forma, vel ut sibi introducatur forma, prout varii sunt modi loquendi de productione formarum. Ita patet. Nam causalitas cujusque causæ est modus secundùm quem causa concurrit ad effectum, & illud proximè attingit. Sed ad fieri rei compositæ non concurrit aliter materia, nisi prædictis modis.

36 *Materia est etiam causa, ut est in composito. Materiam dicendi id etiam quod ex materia productum non est.*

Secundò: *Materia concurrit ad esse compositi.* Ita apparet, quia aliàs materia non esset causa interna. Nam de ratione Causæ internæ est rem intrinsecè constituere. Unde apparet concurrere ad esse compositi, esse nihil aliud, quàm eam essentialiter & intrinsecè componere vel constituere, vel perficere. Nugæ igitur sunt indignæ refutatione, quòd quidam dicunt, materiam (ut & formam) quatenus sunt in composito, non exercere officium causatum, sed solum officium partium. Item, quòd *Timpleus* aliquid vocat immateriatum, quod

quod non est ex materia productum, etsi ex materia constet. Ita enim ipse cœlum vocat corpus immateriatum, quia non ex materia, sed ex nihilo sit factum, *lib. 4. Metaph. c. 6. q. 20.* Contrà, si libet, vide infrà, *cap. 7 in comm. n. 4.*

Est autem causalitas materiæ hoc respectu non alia, quàm sustentare formam, cumque ea uniri. Ita apparet. Nam causalitas, ut antè dixi, est modus secundum quem aliquid influit ad causatum. Aperum autem est, id facere materiam, formam sustentando. Sic enim intrinsecè componit compositum.

Quartò.

De divisionibus Materiæ.

1. Materia est remota, vel propinqua.

37 Hæc divisio sumitur ex ordine causandi, prout magis minúsve causato materia appropinquat, & intelligitur satis partim ex terminis, quibus proponitur; partim ex exemplis, in Theorematibus positis; partim etiam, per proportionem ad causam efficientem, quæ eodem modo dividi sic solet.

2. Materia est immanens vel transiens.

38 Inprimis omnis materia certo respectu est immanens Nam materia in genere dicitur causa interna. Causa autem interna ab intrinseco rem perficit, eámque componit, & essentialiter constituit Nisi forte placeat, quod Goclenio, a iisque placet, materiam immanentem solùm esse, de qua dicitur, quòd sit pars rei, vel causa interna. Mihi tamen videtur magis satisfieri generali divisione causarum in internas & externas, si omnis materia dicatur certo modo immanens, sicut omnis dicitur interna. Sic Hispani comment. *tract. 5. fol. 212. fac. 1. Dupliciter* inquiunt, *materia dicitur Transiens; uno modo, quia non manet in effectu, & sic nulla est transiens. Alio modo dicitur transiens, quia non manet secundum eandem rationem & speciem in effectu, sicut est in se,* Et *sic aliqua est transiens, ut farina in pane.* Hæc illi.

Omnis materia quo modo immanens.

Distinguendo autem materiam immanentem à transeunte, *Immanens* est, quæ, citra antegressam sui mutationem est in composito, illudque constituit. *Transiens* autem est, quæ constituit compositum, sed non nisi antegressa aliqua mutatione, per quam transeat, quasi ex priori suo esse. Unde apparet: transeuntem materiam esse causam compositi constituendi, sed remotè, quatenus ex ea fit aliud, quod proximè

effectum

effectum componit. Ita materia transiens hominis est semen, quod immutatum in partes spermaticas, hoc est, ossa cartilagines, &c. est intra essentiam hominis.

Immanens bifariam dicitur.

Immanens ergò bifariam dicitur materia: 1. Ut Immanens dicatur materia, quæ componit & intrinsecè constituit compositum, Et sic omnis materia est immanens suo modo. 2. Ut immanens dicatur, quæ secundùm totum & integrum suum esse, sine sui mutatione, est, & manet in composito. Et sic non omnis materia est immanens, sed alia immanens, alia transiens.

3. *Materia est sensibilis, vel intelligibilis.*

39 Sumitur ex *Aristot. 7 Metaph: cap: 10.* ὑλη ἡ ἀδ' αἰσθητὴ ἡ δ νοητὴ. Sed hæc divisio bifariam intelligitur: *Aliqui* per sensibilem materiam intelligunt materiam propriè dictam, eò quòd omnis vera materia vel actu subsistat qualitatibus sensibilibus, ut est materia secunda; vel saltem subsistare potest, ut est materia prima. Hæc enim etsi, quâ talis est, sensibilem qualitatem non habeat; tamen, propter universalem potentiam, quam habet ad omnes formas substantiales & accidentales, saltem potentiâ sensibilis est. Ex quo relinquitur, hoc sensu materiam intelligibilem esse materiam impropriè dictam. Ita Angelis tribui solet materia intelligibilis, quemadmodum & quantitas intelligibilis, quæ (quantitas) etiam intelligibilis dicitur ad significandum, quod sit impropria quantitas. Vide *Stal. exerc 359 s. 3.*

40 *Alii* autem per materiam intelligibilem intelligunt etiam veram materiam, nempe materiam primam: quia materia prima, quâ talis est, non est cognoscibilis per sensum, cum nullas qualitates sensibiles habeat, sed solùm per intellectum. Hoc sensu dicitur Geometria abstrahere à materia sensibili, sed non intelligibili. Illud quia non concipit Geometra quantitatem suam, in determinato aliquo corpore, v. luti cœlo, terrâ homine, &c. Hoc verò, quia impossibile est concipere quantitatem nisi in aliquo indistincto saltem corpore, quod est materia prima. Ita exponit *Zabar. 3 Phys. ad. t. 19.* aliique de quibus vide *introd. Log: de Phys. n. 83.*

4. *Materia est prima, vel secunda.*

41 Materia *prima* appellatur materia, quæ purè est materia, quæ est primum subjectum, quæque non est resolubilis in materiam aliam. Materia autem *secunda*, non est purè materia, sed est materia formata, hoc est, quæ formam habet jam actu

actu in se hærentem. Ita corpus organicum est materia hominis. Nam præscindendo ab anima, eamq; separando à corpore organico, adhuc tamen corpus illud est species aliqua, & re distinctum ab aliis. Unde signum est, corpus organicum, præscindendo ab anima, adhuc tamen formam habere, quæ tùm tribuat ei esse specificum, & distinguat à rebus aliis. Sed, ut hæc clariora sunt, libet aliqua de materia prima adjicere.

Primò quæritur:

An sit materia prima?

Ramus, ipsiusque asseclæ, vehementer id negant. Extantque contra materiam primam eorum 15. argumenta, apud *Hippium in problem. Phys. q.* 11. In oppositum. dari materiam primam, est evidens per rationem. Ita si in rerum corruptionibus non redigitur res prior in nihilum, ut postea aliqua res generetur, consequens est, dari aliquod commune subjectum, in quo recipiatur, & forma præexistens, quę per generationem introducitur. Consequentia est evidens, quia aliud nullum dari potest, secundùm quod evitari possit annihilatio. Antecedens autem datur per experientiam. Alias rationes vide apud Physicos. Ramęorum autem objectiones non habent speciem soliditatis, idcircò & istas prætereo. Videatur *cit: loc, apud Hippium.* 42

Quæritur secundò:

Quid sit materia prima? 43

Resp: Melius Entitatem ipsius declarati non posse, quàm per duo principalia ejus attributa, quæ sunt, Universalis *privatio* omnium formarum; & universalis *potentia* ad omnes formas. Ergò materia prima est ista materia, quæ caret omnibus omninò formis, sic tamen, ut apta sit ad quasvis recipiendas. De qua re, hoc est materiæ potentiâ, & privatione, qui plura cupit, videat *Zabarell. lib.* 1. *de prim' mat: cap:* 8. *seq. Perer. lib.* 5. *Phys. cap.* 10. & Interpp: *Aristot.* 2. *Phys. cap.* 3. *& Met.* 2.

2. Materia est Physica vel Logica, seu Metaphysica

Per materiam Physicam intelligitur vera materia. Estque ea, quæ hactenus tractata est. Materia autem Logica vel Mataphysica, est nihil aliud quàm genus, ut *num:* 2. *hujus cap.* dixi; ac proinde de ea alibi locus dicendi erit. Summatim: Est hæc divisio nominis solùm, continens evolutionem ambiguitatis, & non est divisio rei. 44

CANONES.

45 *I. Materia dat composito Entitatem confusè.* Axioma hoc sumo ex proportione, quam materia habet ad genus. Igitur, sicut hoc dat Entitatem speciei, sed indistinctè; ita etiam materiato materia. Dat autem entitatem confusè, quia secundùm materiam est quasi inchoatio solùm ipsius Entitatis, quæ ultimò completur per accessum formæ. Quòd autem materia dat Entitatem (quod aliqui negant) composito, clarum est, quia res materiata est aliquid per se unum per compositionem. Ergò unum non potest esse ejus essentia, sed necessariò hic debent esse plura. Quia unum non potest absolvere compositionem. At nihil hic aliud est, quàm materia & forma. Ergò materia & forma dant Entitatem simul.

46 *II. Posità materiâ non ideò res ponitur.* Causa est, quia materia nec est ultimum Entitatis, nec Sola Entitas. Non igitur, si quis pannum habet, habet & vestem. Sic *Scaliger exerc.* 157. *sect.* 4. *Materia tametsi est ex causis una, tamen non est primaria, sed propter formam, & talis, & tanta, & hæc. Quocirca I Cii dicebant, res abesse, quamvis maneret corpus si forma mutaretur.*

47 *III. Materia est informis. August. lib.* 13. *Confess. c.* 6. recitat, quòd putârit, materiam informem dici non quasi careat omni formâ, sed quòd talem formam habeat, ut si appareret, insolitum & incongruum averteretur sensus, & conturbaretur infirmitas intellectûs. Atque hoc non incommodè intelligitur de materia Mosaica, quæ informis (ἀμορφος) dicitur, *Sapient.* 11. v. 28. Atque sic etiam *Lombardus* 2. *d.* 12. eam *informem, hoc est, deformem, & nondum pulchram dici.* Summatim tamen materia informis dicitur, quia in se & essentialiter nihil formæ includit. Et hoc patet, quia quicquid in se essentialiter includit formam, hoc necessariò est aliquid completum & compositum. Quale quid non est materia. *Thomas* facit duplicem informitatem materiæ: Una est carentia formæ, altera est carentia triplicis pulchritudinis, scilicèt lucis, visibilitatis, & plantarum. Vide 1 *p. q.* 66. *art.* 2. *& q.* 4. *& p.* 69. *art.* 1, 2. *& alibi.*

48 *IV. Id dignius est, cujus materia dignior.* Ita annulus dignior, qui ex auro, quàm qui ex argento aut ferro, aut cui insertus est adamas, quàm cui rubinus; quia istæ res sunt nobiliora

nobiliora materiâ. Duo sunt hîc observanda: 1. Hunc Canonem loqui de materia immanente, non transeunte. Sic primus homo factus est ex limo terræ, nos sumus ex semine, quod isto nobilius est. Et tamen iste his fuit nobilior, vide *Taurell. de rer. æter. p.* 502. Deinde recogitandum est jus comparatorum, quod est, comparationem non facere omnimodam vel identitatem, vel diversitatem. Unde quod alio dignius est secundùm materiam, potest tamen eodem indignius esse secundùm aliud. Et certè potiores partes sunt forma & finis, *Sicut Scaliger.* 287 hinc probat uvam, & triticum, & asellum digniorem & nobiliorem esse, quàm aurum & adamantem, quia etsi horum dignio (quia diuturnior) sit materia, tamen eorum est dignior finis.

V. A materia non est differentia. Est *Taurell. de rer. æter.* 49 *p.* 501. Loquitur autem de materia prima, & probat, quia materia non habeat definitam essentiam, quantitatem, qualitatem, aliúdve. Restringendus tamen Canon est ad res corporeas, quòd eæ non distinguantur secundùm materiam. Nam incorporea differunt ab his, quòd hæc materiam habent, ea non. Materia rerum artificiosarum, quia in suo genere sunt *Entia* completa, & proinde suas differentias habent, ideircò secundùm istas datur distinctio. Ita domus hæc ab ista distinguitur per materiam, quia hæc lapidea, illa lignea est. Sic Syllogismi materia sunt propositiones. Et sic secundùm harum distinctionem illi distinguuntur. Et proinde sic Syllogismi sunt affirmativi vel negativi: universales, vel particulares: puri, vel modales: probabiles vel necessarii. Et quia materia secunda ferè similis est materiæ rerum artificiosarum, in quantum & ista implicat formam, in tantum per hac etiam fit rerum distincto sic homo à cœlo distinguitur, quia iste ex Elementis mistus est, hoc non.

VI. Una materia potest suscipere plures formas: intellige suc- 50 cessivè. Ut: Qui termini jam habent formam secundæ figuræ, illi mox possunt habere formam primæ figuræ. Et quæ re jâ habent formam hominis, mox habet formam cadaveris. Et sic deinceps.

VII. Materia est prior formâ. Intelligitur de materia & forma in comparatione ad idem compositum. Ergò sic materia hominis est prior formâ hominis. Materia Syllogismi 51 prior est formâ Syllogismi. Intelligitur autem prioritas naturæ, de qua patet. Nam materia est subjectum formæ.

Subjectum autem naturâ priùs est iis, quæ ei insunt. Intelligatur autem axioma, & relata explicatio, de prioritate naturæ generantis. Nam secundùm ordinem naturæ intendentis, forma prior est materiâ, per *Arist. 7 Metaph. 7.*

52 *VIII. Non ex quolibet fit quidvis.* Non ex quolibet ligno fit Mercurius. Sensus: Quod non quævis materia talis fit, ut ex ea possit fieri res quævis. Ex ligno vitis, non potest fieri clavus. Ex putri materiâ non potest gigni homo. *Non ex quibusvis præmissis, sed iis solùm, quæ complicantur per idem medium, pòtest fieri Syllogismus,* ait *Aristot: 1. Prior: cap. 23.* Proinde in materia prærequiritur aliqua dispositio, vel convenientia aut potentia ad recipiendam formam. Talis potentia ad clavum non est ligno vitis, propter fragilitatem, putris materia non est talis ad productionem hominis, propter defectum caloris vitalis in eo. Vide *Perer. lib. 8. de Caus: cap: 17. & seal 2. de plant: p. 386.* Intelligitur autem axioma de fieri naturali. Nam loquendo de divina operatione, ibi dicendum est, quemadmodum ipsa potest esse in nihilum, & per eam ex ipsô aliquod fieri, ita potest esse in quamvis impotentem & indispositam materiam. Ita Deus ex osse, vel costâ, vel limo terræ hominem formare, aut etiam ex lapidibus suscitare homines, vel panes potest. Eodémque modo aqua vini materia esse potest, ut constet ex Scripturis.

53 *IX Ex nihilo nihil fit,* Est principium *Aristotelicum,* quod passim occurrit in Physicis. Sic & 1, *Elen. cap: 5. §. 8. Melissus* ait ἐκ μὴ ὄντος οὐδὲν γίνεσθαι. *Ex non Ente nihil fieri.* Cæterùm particula *Ex,* non significat hic materiam, sed negationem solùm. Vide supra *num: 4. in comm. hujus capitis.* Fieri autem intelligendum est de naturali productione, ut sit sensus; Corpus naturale non posse *fieri vel generari* ex non materia, virtute agentis Naturali. Sed quandoquidem virtus creata semper limitata est ad materiam, eámque determinatam, in qua recipiatur illius actio, idcircò in non Ens ipsa agere non potest. Nihilominus ex nihilo potest fieri aliquid, sumendo fieri pro creari. Sicut enim Deus potest agere in materiam indispositam, ut ex lapide panem faciat Deus, ita etiam potest agere in nihilum. Neque enim major ratio est materiæ indispositæ, quam nihili, cùm materia indispositа etiam Physice loquendo non sit materia quia materia Physica includit naturalem potentiam ad formam, cum privatione ejusdem. At ista potentia non est in materia indispositа: hoc ipso,

ipso, quia indispositа est, Et sicne quidem *Ex* significat materiam (ut aliquos voluisse refert *Suarez disp.* 20. *Metaph: sect.* 1. *num:* 10,) Sed intelligitur negativè per habitudinem ad materiam, ut *ex nihilo* sit idem, quod non ex aliqua materiali causa. Vide eleganter differentem de hac re *Anshelm. in monol: c.* 7. 8.

X: Materia non agit. Est *Aristot: lib.* 1. *de gen: & corrup: c.* 7. ὕλη ἡ ὕλη παθητικὸν, *Materia quà materia, est passivum quid. Et* 2 *de gen. & corr: cap.* 6. *Pati & moveri materia est: Agere verò & movere alterius potentiæ.* Intelligitur autem actio pro actione effectiva, quæ materiæ, quà materia est, non convenit, quia ipsa materia est, & non efficiens. Alias autem quando materia dicitur agere, quà materia est, tum per agere intelligitur nihil aliud quàm causare. Vide suprà *num:* 11. Supra hoc est observandum: materiam aliquando induere rationem Efficicentis, atque tum etiam actio ei convenit, in quantum scilicet ab ea emanant res aliæ, emanat ab illa quantitas: & indivisibilia, ut puncta, lineæ, superficies in divisione continui, non dicuntur aliunde resultare, quàm à partibus materiæ. Vide *Suarez disp:* 4. *Metaph. s.* 5. *num.* 56. 57. 54

Alia multa axiomata de materia occurrunt, sed ea valdè specialia sunt, loquuntúrque de materia Physica, imprimisque materiâ Physicâ. inprimisque materiâ primâ. Hæc igitur ad Physicam remitto: & aliqua alibi à me declarata sunt. *Lib: sent: exerc:* 11.

Caput. V.

De forma:

1. Forma est causa, per quam res est id quod est.

2. Ergò formæ officia sunt, dare formato esse ultimum, & sic etiam aliud ab illis distinguere.

3. Causalitas ejus, seu modus quo influit in formatum, est unio ad materiam.

4. Formæ divisiones variæ sunt. *vel accidentalis.*

5. *Forma est substantialis.*

6. Forma substantialis est, quæ dat esse substantiale. Sic anima rationalis est forma hominis, quia dat esse hominem.

7. Forma Accidentalis est, quæ dat esse accidentale. Sic doctrina est hominis forma Accidentalis, quæ dat homini, esse doctum.

8 *II. Forma est generica, vel Specifica, vel Numerica.*

9. Generica est, quæ alicui speciei dat esse genericum. Sic anima sentiens est forma generica hominis.

10. Specifica forma est, quæ speciei dat esse specificum. Sic anima rationalis est specifica forma hominis.

11. Numerica forma est, quæ dat esse individuum, qualis est ista forma, per quam distinguuntur individua ejusdem speciei, ut *Cato à platone*, hoc triticum ab alio tritico.

12. *III. Forma est vel materialis vel immaterialis.*

13. Materialis, quę non potest produci vel operari, vel esse sine materia. Tales sunt formæ omnes præter animam rationalem.

14. Immaterialis est, quę potest esse & operari sine materia. Talis est anima rationalis.

15. *IV Forma est vel forma totius, vel forma partis.*

16. Forma totius est integra rei essentia. Sic humanitas vel hominitas est hominis forma. Forma partis est, quæ est altera pars formati. Sic anima est forma hominis.

17. Aliter *forma est forma totalis vel partialis.*

18. Forma totalis est, quæ est adæquata forma totius compositi. Partialis est, quę est forma solùm alicujus partis in composito, veluti forma oculi, nasi, digiti.

19. *V. Forma est assistens, vel informans.*

20. Assistens est, quæ solùm tribuit motum sive operationem ei, cujus forma est. Sic nauta est forma navis, intelligentia cœli, secundùm Paripateticos.

21. Informans est, quæ formato tribuit & esse, & operationem. Talis est anima rationalis in homine.

22. *VII. Forma est Logica seu Metaphysica, vel Physica.* Hęc est forma propria dicta. Illa est differentia.

COMMENTARIUS.

1 Hac in re itidem quatuor tractanda sunt: 1. De Nomine Formæ: 2. De definitione formæ. 3. De ejus Causalitate, & pertinentibus ad eam. 4. De divisionibus formæ. Iisdémque subjicio aliquos Canones, explicantes attributa formæ.

PRIMÒ.

De Nomine Formæ.

2 Duo hic dici possunt. *Primò*, de voc s hujus ambiguitate. *Deinde*, de ejus æquipollentibus, & variis appellationibus.

3 Igitur 1. Forma est idem quod essentia, quo sensu æquipollentia

pollentia sunt, forma, essentia, quidditas, natura. Solùm discrimen est accidentarium. Nam vocatur *Forma*, prout est distinctiva: *Essentia*, prout est constitutiva: *Natura*, prout est operativa. & *Quidditas*, prout importatur per definitionem. Estque forma sic sumpta, forma totius. *Secundò*, Sumitur pro differentia, propter convenientiam quam cum ea habet. Sicut enim materia usurpatur pro genere, ita forma usurpatur pro differentia. Estque forma sic sumpta nihil aliud quam forma Metaphysica seu Logica, ut Philosophi vocant. *Tertiò*, Sumitur pro Ente simplici, cui similis est forma. Sic Deus vocatur forma purissima, & Angeli formæ separatæ. Hæc, inquam, Entia vocantur formæ, non relativè, quia aliquid informent, vel intrinsecè afluent (sunt enim *separatæ* formæ,) sed quia habent Entitatem simplicem, cum qua nihil nostrum ita convenit, ut forma. *Quot modis dicatur forma?*

Quartò: Forma est idem, quod Externa lineamentorum dispositio sive figura. Quanquam sunt aliqui, qui ulteriùs etiam formam distinguant à figura *Damasc. cap. 15 Dialect:* Figuram quasi genus facit formæ: hanc tribuens solùm animatis, illam & his, & inanimatis. Alius *Formam viventis, picti vult esse figuram.* Alii aliter. Sed *Aristoteles* σχῆμα καὶ μορφὴν, hoc est figuram & formam pro iisdem sumit haud obscurè, eò quòd utroque vocabulo significat quartam speciem qualitatis; *lib. Categ. cap. 8. Quintò*, Sumitur pro pulchritudine. Et sic forma est aggregatum ex multis rebus, veluti ex congruente proportione membrorum, colore, quantitate membrorum, & quæ sunt alia ad pulchritudinem requisita, de quibus videatur *Aristot. in Poët. cap. 7. 1. de part. anim. cap. 2. Augustin. l. 22. de civit. Dei, c. 19. Cicer. l. 3. Tusc. qq.* Sic à *Forma formosum dicimus. Sextò*, Sumitur pro Externo motore, & est forma assistens, quæ æquivocè solùm forma dicitur, propter similitudinem, quam habet cum vera forma, in movendo compositio. *Septimò*, Sumitur pro altera parte compositi substantialis, quæ cum materia illius essentiam constituit & complet. Sic sumit *Aristot. 7. Metaph. t. 7. & 2. de anim. t. 2.* dividens substantiam in materiam, formam, & compositum. Et hæc forma dicitur per κατ' ἐξοχὴν. *Octavo* latiùs sumitur sic, ut etiam conjunctiones aut coordinationes rerum artificiosarum, aliorúmque Entium per accidens, dicantur formæ; quomodo Syllogismi forma dicitur legitima trium terminorum dispositio. 4

5 *Quomodo forma sit λόγος οὐσίας.*

II. Appellationes formæ variæ sunt: Afferam principales.

1. Vocatur λόγος τῆς οὐσίας, sive ratio quidditatis. *Aristot. 2. Phys. c. 3 1. post. 11. & 5. Metaph. 2. aliisque locis.* Ratio appellationis est, quòd forma vel sola, vel potissima pars aut causa est essentiæ, eo ipso, quòd materiam ultimò actuat, determinat, & quasi specificat, ut sit certæ speciei materia, eodémque sensus vocatur λόγος τοῦ πράγματος & οὐσία τοῦ πράγματος, 1. *de gen anim c. 2.*

6 *Ἐντελέχεια.*

2. Vocatur ἐντελέχεια, 2. *de anim cap. 1.* ubi anima definitur, quod sit ἐντελέχεια. Quid autem sit ἐντελέχεια valdè controversum est. *Cicer. Tusc. quæst. 1.* ἐντελέχειαν vult esse quandam continuatam, & perennem motionem, quam interpetrationem defendit *Angelus Politianus in Miscell. c. 1.* Nihilominùs alii plurimi eam impugnârunt, Et rectè. Nam Motio est Ens fluens. Sed anima est Ens permanens. At anima est ἐντελέχεια Ergò ἐντελέχεια non potest esse motio. Deinde anima est actus primus dans esse. Motio autem est actus secundus, proficiscens à forma. 3. *Aristoteles* omne Ens dicit esse ἐντελέχεια vel potestate. At motio non potest referri ad omne Ens, ut omne Ens dicatur motio, &c. Vide etiam alios, qui contra hanc expositionem disputant, ut *Budæum, l. 1. de essent: Amarbachium, lib. 1. de anim. Monlorium in peculiar: quæstione de Entelecheia, in append. ad prior. Anal. pag. 397. seqq. Fonsec. l. 1. Metaph. cap. 7. qu. 3 s. 8.* Aliorum est interpetratio, ut ἐντελέχεια sit idem quod ἐνέργεια ut *Plutarchus de plat. Philosophorum* refert Sed si ἐνέργεια idem sit quod operatio, recurrunt contra hanc interpetrationem priora argumenta. Si verò sumatur pro actu primo, sive pro prima facultate mottice, ut sumi hanc vocem testatur *Damasc. l. 2. de Orthod fid. c. 23.* admitti potest illa sententia.

Quid ergo est ἐντελέχεια? *Respondeo.* Est nihil aliud quàm actus intrinsecè perficiens, ut testatur vocis illius compositio. Est enim ex ἐν & τέλος, & ἴσχω, quasi intus perfectionem habens, ut resolvit *Scalig. exerc. 307. sect. 12 & 39.* Unde *Barbarus* vertit *perfectihabiam. Budæus* superiori loco dicit Entelecheiam dicit, qua ἐντελοῦς σώματος, hoc est, perfecti corporis comprehensionem.

7 *Μορφὴ*

3. Vocatur μορφὴ. Unde Latinam vocem forma per literarum μετάθεσιν facta esse vult *Scalig. exerc. 312. p. 1003.* mutato o in f, ut est etiam invocę fenestræ, quod à φαίνουαι derivant *Bellarm. lib. 1. de Christo, c. 6.* ad Locum *Philip. 2.*

Formam

Formam servi, &c. Notat, μορφὴν apud *Aristotelem* potissimùm significare formam substantialem, rariùs formam accidentalem: In Scriptura autem *nusquam* formam accidentalem significare. Sed hoc mendacium est *Marc.* 16. v. 12. dicitur: *Alijs duobus apparuit, ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ. in alia forma.* An Christus mutatus est substantialiter? Sic *Matth.* 17. v. 2. Christus in monte *Thabor* μετεμορφώθη, *transformatus* vel transfiguratus est. Alia mitto. Sic ergò μορφὴ est idem quod forma. Ut ergò formæ vox modò substantialem, modò accidentalem formam significat, ita vox μορφῆς. 1

4. Vocatur *Actus.* Sumitur autem actus aliquando pro operatione, & vocari solet actus secundus. Aliquando sumitur pro Ente omnis potentiæ experte. Sic Deus vocatur actus purissimus, quia in Deo nihil est potentiæ. Dicitúrq; sic actus absolutè. Neutra significatio competit in formam. Forma igitur est actus sumendo eam vocem relativè, ad id quod actuat. Ea præterea non est actus secundus, sed primus, unde oderatio, (quæ actus secundus dicitur) proficiscitur. 2 *Actus.*

5. Vocatur *Species*, & εἶδος passim ab *Aristotele*, & reperitur à *Scalig: exer. c.* 80. *sect.* 3. ubi ἰσοδυναμοῦντα facit ἐντελέχειαν, μορφὴν, εἶδος. Variæ autem sunt hujus nominis rationes. *Primò* ratione materiæ vocatur species, quia est ejus speciosum ornamentum, unde ipsa materiam appetere dicitur, ut fœmina marem, & turpe pulchrum. *Deinde* ratione compositi, quia cùm materia ipsa ultimò facit speciem, hoc est, compositum. Et posterior interpretatio fortè melior est. Utramque habet *Fonseca lib.* 1. *Met. c.* 7. *q.* 3. *s.* 8. 3 *Species & εἶδος.* 10

6. Vocatur *terminus*, Trifariàm: *Uno* modo in respectu ad generationem, quia hanc terminat. Introductâ enim formâ cessat generatio. *Alio* modo in respectu ad materiam, quia hanc sic terminat, ut contrahatur ad certam speciem, ut per formam equi ad speciem equi, & per formam asini ad speciem asini. Videatur *Marsil. Ficin: in Plotin: Ennead:* 1. *l.* 8. *c.* 4. *Tertiò*, respectu accidentium. Ita forma tribuit materiæ, quæ secundùm se terminis caret, certos aliquos fines, ut sit bicubita vel tricubita, & partes omnes materiales habeant quendam quasi concentum, vel harmoniam accipiant. Vide *Zabarell. lib.* 2. *de prim: mat. cap.* 9. 4 *Terminus.*

7. Vocatur *Mensura.* Eodem sensu, ut *Ficinus dicto loco* exponit, quia mensuret materiam, designando in ea certam quantitatem & magnitudinem. 11

8 Vocatur *Harmonia* à *Pythagoreis*, quia contrarias qualitates ad concordiam & unitatem redigit. Alia mitto.

SECUNDÒ

De Definitione Formæ.

23 Tria hùc pertinent; 1. Expositio definiti, deinde, An sit Causa, 3. Quomodo sit causa. Primum præstitum est in superioribus. Alterum, & ex parte tertium, exponetur in sequentibus. Solùm hìc explicanda est vocula PER, per quam causalitas hujus causæ solet exponi.

Vox Per explicatur.

Igitur hæc vox PER ambigua est, ut notat *Armand.* de Bello: *Vis. tract.* 2. *term.* c. 301. 1. Significat medium cujusvis ordinis, medium loci, aliàque, ut transire *per* ignem & aquam. Demonstrare *per* causam, &c. 2. Significat Instrumentum, ut percutere *per* gladium, quo pertinet usus patrò, cùm vox *per* adhibetur ad significandum vim Instrumentalem, aut saltem minùs principalem, qua aliquod agens principale utitur. Ut ignis calefacit *per* calorem, &c. 3. Significat aliquando subjectum, ut Corpus est coloratum *per* superficiem, hoc est, secundùm superficiem. 4. Aliquando significat causam efficientem, ut *per* Exercitationem acquiritur doctrina. Supra has significationes vox illa peculiariter assignatur formæ. Et sic *per* significat illam habitudinem, quâ aliquid intrinsecè dicitur concurrere ad componendum aliud. Unde sic per materiam etiam dici posset rem esse, quia & illa intrinsecè componit causatum. Illa tamen distinguitur à forma, quòd per formam ita res est, ut sit *id, quod est*, hoc est, ut sit ultimò illa species, quæ est. Hoc enim non facit materia, quæ, ut sic dicam, solum inchoat esse, quod à materia inchoatum complet, & perficit forma, ut sic tandem per formam res sit id, quod est.

TERTIÒ.

De Causalitate Formæ.

14 Hìc tria sunt disquirenda, ut de materia. *Primò:* An forma sit Causa? *Deinde:* Cujus rei sit Causa? *Tertiò:* Quomodo ejus rei sit causa, cujus est causa?

1. *An forma sit Causa?*

Rationes dubitandi.

Ratio dubitandi est triplex: 1. Omnis causa est prior effecto. Forma autem non est prior formato, sed est simul cum eo. Quamprimum enim forma est in conveniente materia,

teria, illicò formatum est. *Deinde* omnis causa nobilior est effecto. Nam de ratione Causæ est dare esse. Dare autem est nobilius, quàm accipere. At forma non est nobilior composito. Nam compositum habet omnem perfectionem formæ, tanquam includens eam. Addit autem perfectionem ex materiâ. *Denique*, si forma esset causa, tunc vel esset Causa materiæ vel compositi. Non hoc, sic enim esset causa sui ipsius. Nam compositum nihil aliud est, quàm forma & materia unita. Non illud. Nam materia est prior formâ. Omnis autem effectus est posterior suâ Causâ.

Nihilominùs dicendum est: formam verè causam esse. Nam forma habet verum & efficacem influxum, ex quo est esse compositi, ut postea declarabitur. At quod habet verum causalitatem, hoc est etiam causa. 15 *Formam esse Causam.*

Ad objectionem *primam* respond. Omnem causam esse priorem effecto, saltem loquendo de ordine naturæ. Nam ordine temporis possunt esse simul, ut patet etiam in causa efficiente. Nam simul fuit sol & lumen ab eo proficiscens. Idémque est de aliis naturalibus emanationibus. Etsi igitur forma tempore simul sit cum formato, ut in objectione dicebant, tamen ordine naturæ formatum antecedit. Vide *Aristot. 12. Metaph. 16.* 16 *Solvuntur objectiones.*

Ad *alterum* resp. Controversiam esse inter Doctores, *an forma sit nobilior composito? Averroës, 2. Physicorum 4.* Existimat formam Compositi esse nobiliorem. Ex probat. Nam propter quod unumquodque tale est, illud magis tale est, At compositum habet perfectionem propter formam. *An Forma sit nobilior Composito?*

Instantia.

Nihilominus non est assentiendum *Averroi*, propter rationem superius factam. Nam compositum includit omnem perfectionem formæ, & aliquam ulteriorem, nam scilicet, quæ sumitur à materia. Procul dubiò autem melior est perfectio geminata, quàm perfectio simplex. Nisi forte quis cum *Zimara* dicere velit, materiam non tribuere perfectionem, sed imperfectionem, ideóque hanc additam formæ, non augere perfectionem, sed diminuere. Id tamen secus est. Nam materia omninò addit aliquam perfectionem, non solùm ut Ens est (sic enim etiam ipsa perfecta est, sicut omne Ens perfectum est) sed etiam ut causa est. Sic enim dat esse partiale. Adeò, ut Compositum propter esse acceptum à materia & forma, habeat esse completum, cùm forma & materia secundùm se sint Entia incompleta. Neque valet *Solvitur.*

regula

regula *propter quod, &c.* Nam illa intelligitur solùm de causa efficiente, eâque adæquatâ servatis etiam aliis conditionibus, de quibus aliàs.

Sed quid ad objectum? *Resp.* Causam esse nobiliorem effecto, solùm loquendo de efficiente. Alias enim sequeretur, materiam esse nobiliorem etiam composito. Unde de sola etiam efficiente intelligendum est, quòd nobilius sit dare, quàm accipere. Alii effectum bifariàm considerant, *primùm* in fieri, in quantum causatur, & actu dependet à causis; Et eodem modo causam, in quantum exercet actum causandi: *Deinde* in Esse, quod post singularum causarum actus relinquitur, & eodem modo Causam inesse, quod præscindendo ab actu causandi habet causa. Dicunt ergò: Causam semper esse nobiliorem effectu, quatenus illa considerantur secundùm actuale exercitium facultatis causandi, & hic secundùm actuale fieri, & dependentiam, quam habet à causa. Esse tamen compositi non erit ignobilius singulis causis, quia hoc non est à singulis Causis seorsim, sed est ab iis ut concurrentibus. Unde satis est ad defendendam nobilitatem causarum, si simul sumptis causis compositum non sit nobilius.

In *tertio argumento* tangitur specialis difficultas, quodnam sit causatum formæ, quam seorsim considerabimus.

II. Cujus rei forma sit Causa?

17 Inprimis. *Resp.* Generaliter. 1. Quæ habent propriè loquendo materiam, ea etiam habent propriè loquendo formam, ut sunt corpora Naturalia. 2. Quæ non habent propriè loquendo materiam, ea etiam non habent propriè loquendo formam, sumendo eam pro parte causati, ut sunt Deus, Angeli, &c. 3. Quæ habent proportionaliter & impropriè materiam, hæc eodem modo habent formam. Talia sunt Entia artificiosa, & similia Entia per accidens. Quod enim hæc impropriè habeant materiam patet, quia habent pro materia Entia ultimò completa. Materia autem in rigore & propriè dicta est Ens in completum. Unde formam illorum etiam est impropria, hoc est, talis & talis partium conjunctio, &c. Singula hæc sumuntur ex eo, quòd materia & forma dicuntur relativè.

18 *An forma sit forma compositi.* Sed specialis difficultas est: *An forma sit forma materiæ, an compositi?* Quæ manè disquirenda est. Sensus quæstionis est. An actum formalem exerceat forma, verbi gratiâ, anima

anima respectu hominis, aut respectu materiæ humanæ, seu corporis Organici, quod pro materia hominis sumitur,

Dico. 1. *Forma est Causa formalis compositi.* Ita probari 19
potest multis argumentis. Pauca sufficiant. 1. Illud est cau- *Forma est*
satum formæ, quod etiam est causatum aliarum Causarum. *causa com-*
Sunt enim quatuor causarum genera, veluti concausæ, quæ *positi.*
concurrunt ad unam eandémque rem in suo genere causan-
dam, Atqui causraum aliarum causarum est compositum.
Efficiens enim operatur ad ultimò producendum composi-
tum, & idem est de cæteris causis. Deinde compositum ha-
bet essentiam à forma. Ergò forma ejus causa est. Patet
sequela. Nam dare essentiam non potest non esse influxus
causalis. Antecedens clarum est ex duobus indiciis: 1. Quia
forma est causa, cur operetur compositum. 2. Forma est causa,
per quam distinguitur compositum. Atqui principium di-
stinctivum & operativum est etiam principium constitutivum.

Objiciuntur tria: 1. De prioritate causæ ad effectum. 2. De 20
nobilitate causæ ad effectum: quæ soluta sunt anteà, *num:* *Objectio-*
15. 16. *hujus capitis.* 3. Objicitur: Si forma est causa com- *nes.*
positi. Ergò est forma sui ipsius. At hoc est absurdum, patet
consequentia. Nam compositum nihil aliud est, quàm materia
& forma unita.

Ad hoc argumentum *resp.* 1. Dubium esse, An materia & 21
forma etiam unita sint realiter, & prorsùs idem quod com- *An totum*
positum. Id enim negant *Anton. Andreas 7. Metaph. q. 17.* *& partes*
Avicen. l. 3. Metaph: c. 4. Javel: 7. Metaph: q. ult. aliique *realiter di-*
celebres Interpretes, ad *Lombard. l. 3. dist. 2.* & *Aristot. 1.* *stinguan-*
Phys. t. 16. Et *Pererius* etiam satis indicat, sibi videri hanc *tur.*
sententiam probabilem, quòd adducit solutionem argumen-
torum isti sententiæ contrariantium, *l. 7. Phys. c. 12.* Idemq;
facit *Colleg: Conimb. l. 1. Phys. c. 2. q. 1.* Nihilominùs exi-
stimo veriorem esse sententiam, quâ statuitur, totum à parti-
bus unitis realiter non distingui. Inprims, quia de Entitate
compositi, quam superaddit Entitati partium, eadem omnia
quæri & urgeri possunt, quæ etiam urgentur contra materiam
& formam, & eorum à toto distinctionem. Vide *Soncin: 7.*
Metaph. q. ult. Ipsum 7. Metaph. disp. 19. Suarez, disp. 36. Me-
taph. s. 3. n. 7. seqq. aliósque interpp. ad citatum locum *Lombard.*
& Aristotelis.

Misso igitur hoc effugio, & admissâ reali unitate totius, & 22
partium

partium unitarium. *Resp.* Formam informando componitur non informare seipsam, quod apparet ex modo informandi. Nam in primis forma non informat aliter compositum, quàm se uniendo materiæ, tunc enim sic unita, sunt ipsum compositum. Ex quibus apparet, seorsim, formam nec materiæ, nec formæ formam esse, quia sic forma componi.

23 Dico 2. *Forma non est causa formalis materiæ.* Hæc assertio secundùm duplicem sensum intelligi potest. Primò potest intelligi de materia secundùm se, & nominatim de materia prima, ut dicatur ea non esse per formam. Deinde intelligi potest de materia non secundùm se, sed in ordine ad compositum, quatenus scilicet forma coordinatur materiæ, ad causandum compositum, ut sensus sit quæstionis, an forma in productione compositi etiam formale officium exerceat respectu materiæ. Est autem in utroque sensu sententia nostra negativa, Dicamus de singulis.

1. *An materia prima habeat esse suum per formam?*

24 Inprimis hic *Zaburella l. 2. de prim: mat: cap. 1 seqq.* aliique valdè rigidi sunt, qui non solùm materiæ negant esse à forma intrinsecè, sed etiam præterea omnem actum Entitativum denegant. Alii concedunt actum Entitativum, sed omnem materiæ actum referunt ad formam. Alii autem concedentes eum actum, dicunt materiam eum habere à se. Igitur ut res tota decidatur, tria dico:

Actus entitativus materiæ.

1 *Materia habet actum aliquem Entitativum.* Ita patet. Nam actus Entitativus nihil aliud dicit in Ente, quàm quòd non sit aliquod Ens in potentia ad suum esse, quam potentiam ad esse suum, vocant potentiam objectivam. Quòd autem materia non sit in potentia ad suum esse, apparet ex eo, quia materia creata est. At per creationem, ut & per generationem traducitur aliquod Ens de potentia objectiva ad esse actuale.

Objectio.

25 Unicum est, quod huic sententiæ *objici* solet, quòd materia dicitur esse pura potentia. Eo ipso autem, quia pura potentia est, videtur removeri omnis actus. Sed secundum est

Quomodo dicatur potentia.

1. Materiam non posse vocari puram potentiam, ut omninò omnis actualitas à materia excludatur. Secus enim repugnantia est, esse aliquid creatum Ens, & tamen non habere actum. Dico: Materiam vocari puram potentiam sub respectu ad formam informantem, quia materia ut sic nullam formam habet

habet, sed est in pura potentia ad formas recipiendas. Hæc autem potentia passiva præsupponit Entitativam actualitatem. Nam omnis potentia passiva fundatur in aliqua actualitate, ut Comment. habet 3. *de cœl. comm.* 29. Quæ *Tab.* v. *l.* 2. *de mater. prim. cap.* 2. contra hanc sententiam, & nominatim contra potentiam objectivam disputat, prolixiora sunt, quàm ut hic refutari omnia possint. Congruenter his, quæ retuli, scribit *Scotus, Richard. & Gregor. l.* 2. *sent. d.* 2. *& Egi de l.* 1. *Phys. c.* 9. *q.* 1.

II Materia esse suum actuale non habet à forma. Hanc sententiam tenent iidem Dd. quibus addi potest *Suarez, disp.* 13. *sect.* 4. *&* 5. Probatur autem hæc positio. Nam 1. aliàs materia non esset aliquid simplex, sed compositum. Forma enim non est cujusquam rei forma, nisi per unionem ad materiam, cum ea componendo id, cujus est forma, ut habetur est dictis *n* 20. Ergò causalitati formæ repugnat, ut sit forma rei simplicis. Unde quod simplex est, non habet esse per aliquid sui, veluti partem vel formam, sed per seipsum. 2. Si materia, ut materia est, haberet formam, à qua haberet esse, tum materia, ut materia est, sive materia prima non haberet universalem potentiam ad recipiendas formas. Saltem non haberet potentiam ad eam formam, quam habet. At illud est absurdum. Sic enim non distingueretur materia prima, à materia secunda, quæ aliàs distinguuntur sic, ut illa ad formas habeat Universalem potentiam, hæc autem solum habeat potentiam ad aliquas formas, quia aliquam vel aliquas jam dum supponitur habere, eo ipso, quia non prima, sed secunda materia est. 26 *Materia esse suum non habet à forma.*

Multa *objici* possunt. 1. Omne esse est à forma. Nam per formam omne Ens est id quod est. Atqui materia habet esse. Ergò id habet à forma. *Deinde*; Omnis distinctio est à forma. Atqui materia distinguitur ab Entibus aliis. Ergò habet formam. *Resp.* Primùm. Neutrum est generale, ut vel omne esse, vel omnis distinctio sit à forma. Secus enim forma ipsa haberet esse & distinctionem à forma. Deinde specialiter dico; forma bifariàm sumitur, vel pro essentia, vel pro altera compositi parte, quæ cum materia constituit compositum. Sic ergò verum est, unumquodque habere esse inde, quia formam habet, formam sumendo pro essentia, non autem pro parte compositi, ipsam actuante. Et eodem modo distinctio omnis est à forma, hoc est, ab essentia. Alias enim 27 *Objectiones.*

enim distinctio est vel secundùm diversitatem, vel secundùm differentiam, ut *Aristot.* docet 10. *Metaph.* t. 12. Et tunc, quæ differentia sunt, distinguuntur per formas, quæ autem ab aliis distincta sunt per diversitatem solùm, ea à seipsis discernuntur, non per formas, ut sunt Entia simplicia, Deus, materia, forma, differentia, &c.

28 Ex dictis sequitur: *Materiam habere esse suum per seipsam.* Non removendo causam efficientem. (Error enim est contra fidem, quòd *Aristoteles* materiam æternam facit) sed removendo formam, quæ etiam actuat, faciendo, ut sit materia.

2. *An forma, prout est causa compositi, informet etiam materiam?*

29 Prior sententia, quòd materia suum esse per formam habeat, communiter rejici solet. Sed hujus nunc propositæ quæstionis affirmativa plurimis placet. Videantur *Ægid. l. 2. Phys. c. 7. q. 2.* Aliique interpp. hoc loco *Perer. l. 8. Phys. c. 2. & lib. 5. c. 21:* Videatur etiam disputatio hac de re apud *Fonsecam, 5. Metaph: c. 2. q. 2. 3. Suarez disp. 15. sect. 8. Favell. 8. Metaph. quæst. 1.* Videantur etiam *Thomistæ 1. part. q. 66. & de potentia, q 4.* & Commentatores *Lombard. ad 2. d. 13.*

Forma non informat materiam. Dico *Formam non informare materiam, seu non exercere respectu materiæ formale officium.* Ita potest 1. probari per rationem anteà datam, *num:* 19 id est, causatum formæ, quod est causatum aliarum causarum, propter concurrentia causarum ad unum commune effectum. Sed commune effectum aliarum causarum non est materia. Aliàs enim materia (cùm & ista sit causa) sui ipsius erit causa. Ergò nec formæ potest esse formalis Causa materiæ. *Deinde* quantum ad Entitatem suam materia est prior formâ. Atqui effectus non est prior suâ causâ. *Denique:* Entitas materiæ semper relinquitur una eadémque, post cujusvis formæ abscessum. Ergò signum est, formam ei non tribuere Entitatem.

30 *Objectiones.* Duo sunt, quæ principaliter *opponi* possunt. 1. Forma definienda est ex respectu ad suum causatum. Relatum enim definitur ad suum correlatum. Atqui forma definitur per respectum ad materiam. Ergò materia est correlatum formæ, spectando eam etiam in actu formali. Assumptum patet ex definitione animæ, quam *Aristoteles* definit per corpus. *Anima est actus corporis organici, &c. 2. de anim. t. 1. l. 6.*

Deinde

Deinde negari non poteſt, formam actuare, determinare, & limitare etiam materiam. At hæc ſunt officia formalia.

Ad primum reſpond Vocem *corporis*, in definitione animæ ambiguam eſſe. Inprimis enim corpus bifariàm ſumitur, *aliquando* per modum partis, pro ſola materia, præſcindendo à forma, quomodo dicimus, hominem conſtare animâ & corpore. *Aliquando* ſumitur ad modum totius, & ſic non eſt materia ſola, ſed comprehendit etiam formam Hoc modo dicimus, hominem eſſe corpus. Et tunc genus hominis corpus eſt. Ac fatendum quidem eſt, aliquos vocem corporis ſumere ad modum partis, ut fecit *Colleg. Coimb: l. 2. de anim: cap. 1. q. 1. art. 1. 1. Suarez. diſp. 13. Metaph: ſect. 8. num. 4.* Sed hæc ſententia confutatur iiſdem argumentis, quibus oſtendimus, formam non informare materiam, unde proculdubiò meliùs eſt, ſi dicatur, ibi vox *corporis* ſumi ad modum totius Et tunc ſic non definitur forma per reſpectum ad materiam, ſed per reſpectum ad compoſitum. Indicâtque eandem ſententiam *Suarez. diſp. 15 ſect. 5.* aliique interpp *ad lib. 2. de anim.* 31 *Vox corporis explicatur in definitione animæ*

Ad alterum reſp. Formam informare & actuare & limitare materiam, ſed non informatione ſubſtantiali, de qua nunc loquimur, ſed accidentali. Seu, forma informat materiam, non per modum Cauſæ, ſed per modum adjuncti. Ita apparet. Nam materia eſt ſubjectum formæ Quemadmodum igitur adjunctum adveniens ſubjecto, non dat ei eſſe, nec actuat nec determinat illud ſimpliciter: Sed dat ei eſſe accidentale: Ita etiam forma ad materiam ſe habet. 32

III. Quæ ſit formæ Cauſalitas?

Hæc res nunc non eget prolixitate, inprimis ſi fideliter teneatur, quid cauſalitas ſit. Ergò cauſalitas eſt modus, ſecundùm quem cauſa actu influit in effectum. Undè formæ cauſalitas eſt ille modus, per quem forma influit in compoſitum, hoc eſt, effectum intrinſecè componit. Is autem modus nihil eſt aliud, quàm unio ad materiam. Igitur forma unita materiæ, vel recepta in materia, facit hoc quod ut forma facere debet hoc eſt, intrinſecè componit & conſtituit effectum, illius eſſe ultimò complet, & ſpeciem facit Videat, qui vult, Interp, ad *l. 5. Metaph. c. 2. & 2. Phyſ. c. 3.* 33

TERTIÒ.

De divisionibus Formæ

I. Forma est substantialis, vel accidentalis.

34 12 Explorandus est sensus hujus divisionis, qui duplex esse potest. *Primò* sic potest intelligi, ut forma substantialis, dicitur, quæ est forma substantiæ, velut hominis, bestiæ, auri &c. Et forma accidentalis, quæ est forma accidentis veluti forma Logicæ, Rhetoricæ, &c. Et tum etiam in modo loquendi nihil absurdi est. Nam id frequens est, ut verba, aliàs significantia modum, sæpè tamen significent rem: quomodo præsentia *corporalis* dicitur, quæ est præsentia *corporis* eodem ergò genere loquendi dicitur, forma substantialis, quæ est forma substantiæ, & accidentalis, quæ est forma accidentis. *Secundò*, sic potest intelligi divisio, ut forma substantialis sit idem quod essentialis. Sic ergò substantialis est, quæ est essentialis formato, sive illud sit substantia, sive accidens. Accidentalis autem dicitur, quæ non est essentialis formato, sive fiat per terminos substantiarum, sive per terminos accidentium. Quanquam diffitendum non sit, ut plurimùm formas accidentales, per nomina accidentium significari. Et observandum est, aliàs etiam non esse inusitatum, ut substantiale sit idem quod essentiale, propter æquivocationem *Græcæ* vocis οὐσία, quæ significat substantiam, tum sumendo eam vocem pro essentia, tum sumendo eam pro substantia famosè dictâ, de quo vide *Scalig lib. 4. d. Cl 91. p. 217.*

II. Quæro.

An aliqua forma sit substantia.

35 *Franciscus Patritius* formas negat esse substantias, *tom. 4. discuss. Peripat. l. 3. f. l. 385.* Et confirmatur. Nam accidens est, quod est in alio. Formæ autem sunt in alio. Nam sunt & in effecto, & in materia. Nihilominus non est negandum, aliquas formas esse substantias, unde à potiori, nec negandum est, eas esse vera Entia, contra opinionem, quâ quis, 36 existimare posset, formas substantiarum esse solùm modos materiæ.

Aliquas formas esse substantias.

Dico ergò; *Formas saltem aliquas, esse substantias.* Ita probatur, 1. ex divisione substantiæ ab *Aristotele* traditâ, *7. Metaph. t. 7. & 2. de anim. t. 2.* ubi dividit substantiam in materiam,

veriam, formam & Compositum, Et nominatim animam confirmat ibi esse substantiam. Illa autem forma est rei animatæ. Est autem obiter observandum: cùm *Aristoteles*, secundùm traditam divisionem, omnem formam substantiam vocat, loqui eum de formis rerum naturalium, Alias enim formas posse esse accidentia, veluti quæ sunt formæ accidentium, dubium non est. 2. Probatur. Forma hominis est substantia. Ergò etiam aliarum rerum naturalium formæ sunt substantiæ. Ita patet. Nam discrimen, quantum ad hanc rem, dari non potest inter hominem & alias res, loquendo, inquam de formæ officio, quod in homine exerceat. Antecedens patet. Nam anima rationalis separari potest ab omnibus, quibus dici posset inexistere, hoc est, & à materia, & à composito. Ergò signum est, eam non esse modum, seu etiam accidens. Nam nec accidens, nec modus, separatur à substantia, vel re modificatâ. Quod autem anima rationalis forma sit hominis, patet, quia homo & intrinsecam distinctionem, & speciem, & operationes, sibi, ut homini, convenientes, habet ab anima rationali.

III. Si forma rerum naturalium non esset substantia, tunc non darentur species rerum naturalium, quod est absurdum. Patet tamen. Nam in rebus naturalibus reperitur materia, quæ sit substantia. Si ergò forma esset accidens tale, additâ materiæ, faceret cum ea solùm Ens per accidens, quod non est verè Ens, sed Entia. Nam accidens & substantia sunt diversa prædicamenta. Entia autem diversorum prædicamentorum non faciunt unum per se.

IV. Si non daretur forma substantialis, non esset generatio & corruptio. Nam mutatio, quâ acquiritur vel abjicitur accidens, non est generatio aut corruptio, sed alteratio solùm.

V. Quæro, si non sit forma substantialis, quid aquam intensè calefactam reducat ad naturale frigus. *Dices*: Potest reduci *ab aliquibus gradibus naturalis frigoris*, qui saltem in aliquibus partibus remanserunt in aqua. Aut reducitur à *causa cælesti* aut ab *aëre* circumstante. Sed neutrum horum dici potest. Non *primum*. Nam vel intelligitur aqua intensè calefacta reduci à frigore, quod secundùm paucos gradus remansit, vel intelligitur reduci à frigore, quod in aliquibus partibus intensum remansit, aliis partibus intensè calefactis. Sed neutrum dici potest. Nam si est frigus remissum, non

Quid reducat aquam calefactam ad frigus?

non poterit vincere calorem tam intensum. At omnis actio, quæ fit cum finali victoriâ, fit à valentiori. Quòd autem frigus intensum, in aliquibus partibus aquæ, remanere non possit patet, quia aqua uniformiter applicatur calefacienti igni. Ergò una pars non potest minùs calefieri, quàm alia. Nec *secundum* dici potest. Nam cœlum solùm est causa Universalis, respectu actionum sublunarium. At causa universalis indeterminata est, nec operatur hoc aut istud, nisi satis determinato agente particulari. Indéque, si cœlum aquam reducit ad pristinam frigiditatem, dabitur agens particulare, quod proximè reducat. Atque hoc est, quod inquirimus. Nec *tertium* dici potest. Nam sæpè aër circumstans, non habet tantum frigus, ad quantum reducitur aqua. At nullum agens agit ultra vires. Quanquam non nego, aërem quadantenus cooperari, ad citiùs reducendam aquam ad naturale frigus. Relinquitur igitur, ut eam reductionem efficiat forma aquæ, quæ expulsis naturalibus qualitatibus ab aqua remanserit in ea, & proinde sit etiam in aqua (eodémque modo in rebus cæteris) forma aliqua, quæ sit substantia.

37 *Solvitur objectio Patritii.*

Neque objectio *Patritii* firma est adeò Non enim simpliciter quodcunque alio existit, ilicò accidens est, ut colligitur ex variis modis essendi, *in*, recensitis ab *Aristot. lib. 4. Phys. c. 3 t. 23.* Est enim etiam locatum in loco, & genus in specie, & pars in toto, &c quę tamen, propter inexistentiam, non sunt accidentia. Est igitur specialis inexistentia, quæ significat esse accidentis, Nempe, quod inest alii, non ut pars, nec etiam esse potest extra id, cui inesse dicitur, hoc est accidens, ut colligitur ex *Arist. lib. Categ. c. 2.* Atqui anima est in materia & composito, sed ut pars nempe compositi. Et potest etiam aliqua forma esse extra materiam & compositum, veluti anima rationalis.

38 *Alia object.*

Præterea *objici* potest: Si omnis res naturalis habet formam substantialem. Ergò nulla res naturalis est simplex. Nam, ut suprà retuli, forma causa est, secundùm quod, per modum actùs, aliud componit. Atqui cœlum & Elementa dicuntur res simplices, *lib. 1. de cœlo, cap. 2. Resp.* Cœlum & Elementa sic dicuntur res simplices, ut tamen sint corpora. Dicuntur enim *Corpora* simplicia, At de ratione corporis est, ut habeat materiam & formam. Proinde ista corpora dicuntur simplicia, non removendo compositionem materiæ & formæ substantialis, sed solùm remo-

Quomodo aliquid corpus naturale sit simplex.

vendo

vendo commixtionem Elementorum, ut compositum corpus,& mixtum, sint unum idémque. Patet autem Cœlum & Elementa,ex Elementis non esse mixta.

II. Forma est Generica, Specifica, vel Numerica.

39 Quid singulum horum sit, patet ex Theorematibus positis initio hujus capitis. Est ergò forma *Numerica* quæ dat esse inviduum, veluti *Platoni*, ut sit *Plato*. Forma *Specifica* est, quæ dat esse specificum, vel esse speciem, veluti quæ dat *Platoni*, ut sit homo Forma *Generica* est, quæ dat speciei esse generale,ut, quæ dat homini, ut sit animal. Dico distertè: quòd forma generica det esse speciei. Nam quod præcisè genus est, & nullo modo species, hoc nullam formam habet,veluti genus generalissimum, quòd nullam 40 formam habet.

Ad integram hujus distinctionis cognitionem duo sunt tractanda: 1. *An plures formæ generales possint esse in eodem composito?* Sic enim apparebit, qualis sit distinctio hæc formarum an vera sit solùm per abstractionem intellectûs formam aliquam concipiendo,ut generaliorem modò, modò ut specialiorem, modò ut individuam: An verò formæ ita sint distinctæ ante omnem opem & operam mentis. 2. *An Individuationis principium sit forma?* Sic enim apparebit. an forma Numerica verè det esse individuum?

1. An plures formæ possint esse in eodem. Composito ?

41 Plures formas generales in Composito posuit *Philoponus, lib 1. de anim. t. 91. Paulus Venetus in summa de anim. c. 5. & 7 Meaph. Gaudavensis. 2. Met. ph. quæst. 10. & 1 de anim, quæst 8. Occam: quod l. 2 quæst. 10 & 11. in Comment: ad Aristot: Zabar: de faculs. anim. c. 8. de gen: & inter: c. 2. & in Comment. ad l. 2. de anim, ad t. 31. p. 361. & l. 1. de gen. & corr. p. 830.* Isti igitur multiplicârunt formas generales in compositis, secundùm multitudinem prædicatorum generalium & quidditativorum, aut secundùm distinctos gradus rerum Exempli gratiâ, quia de homine prædicatur, quòd sit animal. Ergò præter specificam hominis formam posuerunt formam generalem animalis. Et quia de eodem prædicatur, quòd sit corpus animatum, item corpus mixtum, &c. Ergò ad singula talia genera addiderunt peculiares formas.

42 *Argumenta pro pluralitate formarum*

Hæc ſententia probatur variis argumentis: 1. ex *Ariſtot. 7. Metaph.* c. 10. ubi ait: Partibus definitionis correſpondere partes definiti ſeu rei. Atqui partes definitionis ſunt genus & differentia. Ergò generi correſpondet etiam pars in re. Et pluribus generibus plures partes correſpondebunt. At illæ partes generales non poſſunt non importare multitudinem formarum generalium. 2. In eodem compoſito dantur operationes ſibi repugnantes. E. proveniunt à diſtinctis principiis. Antecedens patet. Nam ſæpè nos inclinat ad aliquid concupiſcendum affectus ſenſitivus, à quo tamen revocamur per Judicium intellectûs. Conſequentia eſt evidens. Neque enim contrariæ operationes poſſunt referri ad idem operans, ut ad idem objectum illud inclinet, & ab eodem retrahat.

43 *In homine non eſſe plures animas*

Mihi hanc rem de formis generalibus accuratiùs conſideranti quatuor dicenda videntur: *1. In homine non ſunt plures animæ*, quarum una dat eſſe commune plantis, hoc eſt eſſe vivum; altera dat eſſe commune Beſtiis, hoc eſt, eſſe animal; & alia dat eſſe ſpecificum, hoc eſt, eſſe hominem. Ita ut nunc ſentiam, potiſſimùm adducor ex ſeparatione animæ rationalis. Aut igitur cum anima rationali ſeparatur ſimul anima vegetans & ſentiens, aut non. Si non ſeparatur. Ergò corpus, quod remanet, non eſt mortuum, ſed vivens & ſentiens, ergò non ſit ampliùs homo. Si autem ſeparatur, ſeparatur vel poſitivè, hoc eſt, ut ſeparata à corpore adhuc exiſtat, ſicut anima rationalis; aut ſeparatur privativè hoc eſt, ut abſciſſa à corpore deſinat eſſe, quemadmodum aliæ formæ. Horum autem utrumque abſurdum eſt. Primum quidem, quia ſecundùm hypotheſin eorum, qui plures animas ponunt in homine, forma vegetans & ſentiens ſunt in univerſum formæ materiales, hoc eſt, dependentes in eſſe ſuo à materia. At illa dependentia in eſſe impoſſibilitatem infert exiſtendi ſine materia. Separari autem eas privativè, hoc eſt, ut prorsùs deſinant eſſe, falſum eſt, propter Scripturas, quæ dicunt, animam hominis occidi non poſſe *Matth.* 10. Nam anima vegetans & ſentiens certè erunt formæ hominis, quia generales formæ eſſe ſupponuntur. Alia argumenta non addo.

44 *Objectio de Repug-*

Objicitur id, quod tactum eſt *n.* 42. de repugnantia actionum, quæ ſit in homine, velut actionum partis intellectivæ contra actiones partis ἀλόγου ſive ſenſitivæ. *Reſpondeo* 1. Satis apparet

apparet omnes operationes vegetativas, sensitivas, & intellectivas provenire ab una forma. Nam non raro fit, ut cùm homo singulariter est intentus ad unam operationem, deficiat in operatione alterius facultatis, veluti si diligenter speculetur, ut deficiat vis concoctrix itémque vis sensitiva in audiendo, uidendo &c. Sicut de facto experimur, ut ea, quæ circa nos sunt, & dicuntur, nec videamus, nec audiamus intenti alicui speculationi. Cujus rei causa nulla dari potest, nisi quia illæ operationes subordinantur ad unum commune principium, quod non potest esse nisi una forma. Dicatur provenire hoc ex subordinatione ad calorem: sed hæc causa adæquata non est. Nam calor non requiritur ad omnes operationes hominis. Etsi enim de facto experimur in attenta speculatione, caput incalescere, atque sic revocare calorem ex ventriculo in caput, indéque retardari concoctiones: Tamen quomodo ex subordinatione ad calorem, vigente operatione intellectûs, impediuntur operationes sensitivę, prout fieri sæpè constat? 2. Unde consequenter dicendum est, qualemcunque repugnantiam operationum in homine fieri non ex diversis formis, sed ex diversis facultatibus proximis, ex quibus facultas sensitiva proximè inclinat ad bonum sensitivum, quod sit bonum & jucundum sensibus. Vis autem intellectiva inclinat ad bonum intellectivum. Quia igitur quod est bonum sensui, non est ilicò bonum secundùm judicium rationis; hinc ergò oritur, ut ratio quandoque revocet appetitum sensitivum, & hic istam: Sufficiátque adeò facultatum proximarum diversa conditio. *nantia actionum.*

II. Dico: *Ex multitudine prædicatorum essentialium non sumitur multitudo formarum.* Hoc primum sequitur ex priori. Nam negari non potest ab anima in homine sumi plura prædicata essentialia, veluti, ut *Petrus* dicatur homo, animal, corpus animatum, Et tamen in homine plures non sunt animæ, ut probatum est. Deinde generaliter probatur ex Natura *generis*. Nam genus non est aliquid *in* re *distinctum* à specie, præcisâ omni operatione intellectûs. Nam genus, quia est Universale, completur ultimò per operationem intellectûs, *in* quantum intellectus naturam aliquam abstrahit à conditionibus ulterioribus. Ergò nec est forma generis in re distincta à forma speciei, sed similiter, ut genus, colligenda est forma generalis ex abstractione proprietatum specificarum. 45

46 *Solvitur objectio.*

Objiciebatur *num: 42.* de distinctione partium rei, secundùm partes definitionis. Unde colligebatur, sicut in definitione Genus est aliquid distinctum, ita etiam in re. Et per consequens etiam formam genericam distinctam esse. Sed duplex est responsio, *Thomas. 7. Metaph. cap.* 10. exponit *Aristotelem* de definitionibus essentialibus, quæ ex materia & forma fiunt: Veluti homo est animal, animâ & corpore constans. &c. Alii dicunt: Partes rei & definitionis distinctas esse, sed saltem ratione. Etsi enim realiter genus à specie non distinguatur, nempe ante omnem operationem intellectûs, tamen ratione distinguitur aut etiam plusquam ratione.

47 *Forma misti alia ab anima.*

III. Dico: *In Animali distinctam esse animam à forma misti, atque adeò aliam esse formam, quæ det esse mixtum, & aliam quæ det esse vivum.* Ita, ut sentiam, potissimum adducor inde, quòd experimur multa accidentia esse eadem in re vivente, & corruptâ, veluti determinatam figuram, humiditatem, siccitatem, odorem, saporem, motum secundùm gravitatem, aliàque. Atque omnia accidentia determinata sunt à forma. Ergò accidentia eadem sunt, ab eadem forma. Ergò eadem forma est, quæ in vivente & corrupto sit causa determinata figuræ, humiditatis, siccitatis, & cæterorum. Accedunt rationes aliæ. Forma misti non corrumpitur eâdem corruptione quâ separatur anima. Ergò anima & forma misti sunt formæ distinctæ. Consequentia patet, quia quæ eadem sunt habent etiam eundem ortum & interitum per *Aristot. 7. Topic cap.* 1. Antecedens patet. Nam anima reparatur per mortem, sed tum non desinit forma misti, cujus signum est, quia remanent qualitates Elementares contemparatæ, quod esse non possent, si non essent sub dominio unius formæ, definitque ea tandem per putrefactionem. Plures vide apud *Zabar: de gen & Iuper: c: 2.*

48 *Duæ objectiones.*

Duæ sunt difficultates potissimæ contra hanc sententiam, 1. Ut detur discrimen, cur ex eo, quòd homo est mistum, requirat formam distinctam à forma humana, & non ex eo, quòd est animal vel corpus animatum, requirat formam supertorem animâ humanâ. Videtur enim similitudo esse, quòd esse mixti, & esse animalis, sunt esse generalia. Igitur si ad unum esse generale, requiratur præter formam specificam peculiaris forma generalis, cur non requiritur ad aliud esse generale? *Secunda* difficultas est, quod unius generatio est alterius corruptio, & viciſſim, Id autem non est, si

corrupto

corrupto vivente non introducitur de novo alia forma. Nam generatio est introductio formæ substantialis. At forma substantialis, nempe misti, jam dum in vivente præsupponitur.

Respond. ad primum, 1. Causa, cur præter animam in homine sit forma misti, non est illa, quia homo ratione generis sit corpus mixtum. Sic enim, ut rectè inferebatur, omne esse generale formam peculiarem requireret, quod non esse ostendimus de homine. Deinde à posteriori patet diversitas inter formam misti, animas animâ rationali superiores, prout latis indicatum est *num:* 47. per id, quòd forma misti non separatur separatâ animâ. At separatâ animâ rationali, separantur omnes animæ superiores, & quæ sunt alia ibi relata. A priori etiam potest ejus ratio reddi, Nam perfectio hominis requirit, ut seipsum moveat, atque sic habeat partem per se moventem, & partem per se motam, ut requiritur in motu animalium apud *Aristot. 8 Phys. t.* 28. At nihil potest dici per se mobile, nisi formatum. Materia enim sola est indifferens ad quosvis motus. Unde relinquitur, quòd anima hominis debeat esse in materia formata, quæ sit pars per se mota. Possétque huc addi, quòd anima, ut forma nobilissima, requirat nobilius domicilium, quàm cæteræ formæ, atque sic non uniatur immediatè materiæ primæ. 49 *Solvuntur.*

Ad alterum respondeo. Etsi præexistat forma misti in vivente, quod corrumpitur, tamen revera corruptio viventis est generatio alterius. Nam ultimus terminus (ex quo sumenda est distinctio mutationum) est, non forma, sed species, sive compositum. Unde consequens est toties fieri generationem, quoties fit nova species, & tunc non esse generationem, cùm non fit nova species. Porrò etsi præ existat forma misti, tamen recedente animâ fit nova species. Antea enim illa tribuebat esse generale, unde nec repugnabat, corpus sic habens formam misti, præterea esse animatum. At post recessum animæ illa mixti forma tribuit esse specificum, quodque specie differt à corpore animato, atque sic ei opponitur. Revera enim specie differunt cadaver & corpus animatum. 50

IV. Dico: *Plures formæ subordinatæ possunt esse in uno composito.* Hæc positio continet principaliter decisionem propositæ quæstionis. Sequitúrque ex priori. Nam forma misti, quæ ostensa est esse in homine, præter animam est forma generica, & sic animæ subordinata. Nihilque adeò suprà dicta hæc dicendum relinquitur.

2. An

51 2. *An Forma sit principium individuationis?*

Inprimis hic inquiritur non de individuatione in genere. Nam aliqua Entia non habent, proprie & in rigore loquendo formam, veluti res incorporeæ & accidentia. Unde nec individua possunt fieri per formas. Est autem sensus quæstionis. An forma faciat ut res aliqua, ea scilicet, quæ formam habet, sit individua, hoc est, hic & nunc existens. Hanc rem contrariam ad aliquas conclusiones.

52 *Accidens nõ est principium individuationis.*

I. Accidens non potest individuare corpus naturale. Ita communiter tenent Dd contra Porphyrium, qui *in c. Isag. §. 38.* definit singulare id esse, quod constat ex proprietatibus quarum collectio nusquam in aliquo esse potest. Quanquam *Porphyrius* forte hic non essentialem conditionem, sed notam solum extrinsecam individuorum declarare voluisse videri potest. Sed quicquid sit, si quis ita sentit, errat. Nam accidentia sunt posteriora substantiâ. Ergò etiam accidentia individua sunt posteriora substantiâ individuâ. Ergò non possunt dare individuum corpori. Quod enim tale est, illi à priori convenire debet. Deinde hoc modo individuum esset Ens per accidens, consurgeret enim ex accidente addito naturæ specificæ. Accidens autem additum substantiæ facit Ens per accidens.

53 *Efficiens nõ est principium individuationis.*

II. Agens non potest esse principium individuationis. Hoc est contra *Henricum*, qui *quodlib. 5. quæst. 8.* sensit unumquodq; corpus individuum esse per causam efficientem, ut refert *Fonseca 5. Metaph cap 6. q. 2. sect. 2.* Contrà autem est, quod efficiens (proximum) solum concurrit in effectum suum, dum est in fieri: Cum autem factus est, nihil amplius agit. Ejus rei signum est, quia sublato efficiente, adhuc tamen potest permanere res effecta. Atqui individuum etiam considerando illud in facto esse, adhuc est individuum. Præterea efficiens effecto suo confert naturam individuam. Ergò requiritur, ut in effecto ejus sit aliquid, per quod sit individuum. Quod contra hanc sententiam speciosum sit, nihil invenio.

54 *Nec existentia.*

III. Existentia corporis non potest esse principium individuationis. Hoc est, contra *Carthus. l. 5. sent. dist. 3.* & alios, quos Metaphysici in hac materia referunt. Ita patet esse. Nam præscindendo ab existentia, adhuc potest aliqua res esse individua, veluti *Petrus*, *Paulus*, aliudve ens, quod adhuc est in potentia. Non potest ergò adæquatum individuationis

principium

principium esse existentia. Nam existentia solùm competit rebus postquam productæ sunt.

55 Nec sola materia.

IV. Materia sola non potest esse principium individuationis. Nam quod est principium individuationis, dat unitatem individualem. Si unitatem. Ergò & divisionem à quovis alio. At secundum materiam non datur distinctio rerum. Materia enim secundùm se & in se est aliquid indifferens, & commune ad plura.

Objicitur locus ex 5. *Metaph. cap.* 6. *t.* 42. ubi dicitur ea esse unum numero, quorum est materia una. Sed dantur hac de re variæ *responsiones*, quas vide apud *Zabar. de constit. individ. cap.* 10. Inprimis dico certum esse, non posse esse illam generalem definitionem unitatis Numeralis. Nam ea etiam alibi reperitur. Unde relinquitur, *Aristotelem* solùm ibi de quorundam individuatione loqui. Addóque his, quòd non nisi obiter, & per occasionem *Aristoteles* ex unitate materiæ definierit unitatem singularem, in quantum scilicet ea determinata certis qualitatibus, & attributis, signum & nota singularitatis est, atque hoc proposito *Aristotelis* sufficit. Vide *Javell.* etiam *lib.* 5. *Metaph.* q. 14.

56 Nec materia signata.

V. Materia signata non est principium individuationis. Hæc assertio est contra *Thomam*, qui principaliter materiam signatam defendit, *part.* 1. *sum. qu.* 3. *art.* 3. *& qu.* 50. *artic.* 4. *& 3 part. qu.* 77. *artic.* 2. Item *in Opusc.* 29. *& lib* 1. *de cœl. ad.* 29. *de Ent. & ess. cap.* 2. *& 4 dist.* 12. *quæst.* 1. Hanc sequuntur *Thomistæ*. Vide *Soncin. in* 7. *Met. qu.* 33, 34. Per materiam autem signatam illi intelligunt materiam dispositam per quantitatem. Vel, quod idem est, materiam cum quantitate. Quòd autem hæc sententia sic expolita sit falsa, patet. Nam si materia & quantitas simul essent intrinsecè individuo, tunc individuum non esset unum per se, & per consequens non esset directè in prædicamento, quod est absurdum. Deinde utrique seorsim repugnat esse principium individuationis. Cur non ergò conjunctis iisdem repugnet esse tale principium. Antecedens patet. Nam quantitas, quia est accidens substantiæ compositæ (supponendo, quòd primò insit composito) ideirco eâ naturâ posterior est. Ergò non potest ei dare esse individuale. Quòd si dicatur non primò hærere quantitatem in composito, sed in materia, tum aliunde repugnat eam esse tale principium, inde scilicet, quòd eadem numero potest esse in genito & corrupto, adeoque in diversis individuis.

individuis. Atque hæc causa est, cur etiam materiæ repugnet esse tale principium, quia & ista eadem numero potest esse in genito & corrupto. Quòd si igitur unitas numeralis ab ea sumeretur, tum unum numero esset res genita & corrupta.

57 *Objicitur* inprimis: Duo esse de ratione individui, unum ut
Objectio. sit incommunicabile, aliud ut sit ab aliis distinctum; Atque primum ex his præstare sufficienter à materia, alterum à quantitate, indeque hæc sic conjuncta esse adæquatum principium individuandi corpora. *Respond.* Inprimis individuum dicitur incommunicabile, in quantum dicit naturam talem, quę non possit aliis inferioribus tribui, per modum generis aut speciei, sicque, ut de aliis in Quid est, enuncietur. Quomodo autem istam communicabilitatem in individuò præscindat materia, nullo modo explicari potest. Deinde individuum debet esse distinctum ab aliis rebus. Sed cum ista distinctio sit essentialis (essentia iter enim distinguuntur homo hic, & homo iste) idcircò non potest quodvis distinguens sufficere, sed requiritur tale distinguens, quod sit ad distinctionem essentialem proportionatum quale nullum accidens est. Neque enim ullum accidens dare potest distinctionem essentialem, sed accidentalem.

58 *VI. Forma est principium individuationis.* Hoc congru-
Sed forma. enter dicitur communiori sententiæ Philosophorum. Et patet: A quo quid habet esse, ab eo etiam habet unitatem. Unitas enim est idem quid cum Ente, eique nihil addit, nisi negationem. Unde sequitur absolutâ necessitate, ut quod est causa unius, sit etiam causa alterius Atqui forma dat esse individuo. Ergò & unitatem: Assumptum patet. Nam forma intrinsecè componit individua, & sic componendo individua, dicitur eis dare esse, ut suprà declaratum est, inter loquendum de causalitate formæ.

Cum materia. Ex hac ratione sequitur, quòd etiam qualitercunque ad materiam referenda sit individualitas, quia & ista qualitercunque dat esse, intrinsecè componendo compositum, sit tamen, ut primatus in hoc officio sit penes formam.

59 *Dices*: Formam non individuare, nisi ut ipsa est individuata. Ergò non est ipsa primum individuationis principium, sed aliud quod & formam individuet. Id autem videtur esse materia. Nam formæ singulares sunt, prout recipiuntur in hac materia. *Respondeo*, 1. Inprimis nunc requiritur non generalissimè principium individuationis, sed principium,

quo

quo individuetur corpus naturale. Atque hoc potissimum dicitur facere forma: Esto, ipsa, antequam corpora individuet, habeat individuationem. 1. Illa tamen formarum individuatio, non potest esse à materia. Sic enim sequeretur, quòd forma geniti & corrupti sint una numero. Utraque enim recipitur in eadem numero materiâ. Neque enim materia sit secundùm numerum alia & alia, in re integra & corrupta. Quodnam autem principium sit, unde forma singularietur, sive hæc singularis fiat, nunc non inquiro.

III. Forma est materialis, vel immaterialis.

Hæc distinctio frequentissimè usurpatur à Philosophis, ut 60
ridenda sit temeritas *Timpleri*, qui eam rejicit, *lib. 3. Metaph. cap. 2. quæst 66.* Ubi nec intelligit, quid Philosophi vocent formam materialem. *Materialem*, inquit, *vocant, quæ est materiæ unita.* Sed longè aliter usurpatur hæc distinctio à Philosophis. Igitur Forma utraque est unita materiæ, sed cum discrimine. *Aliæ* enim uniuntur cum materia ita, ut ab ea sint inseparabiles, quales sunt formæ quæ infrà humanam sunt. *Alia* autem est separabilis, qualis est anima humana. Sic ergò forma *materialis* est, quę arctissimam habet dependentiam ad materiam, ut nec esse nec operari possit, nisi cum materia. Tales sunt formæ brutorum. Nam illorum operationes omnes sunt organicæ, hoc est, fiunt per commercium materiæ. Unde consequens est, nec eas esse posse sine materia. Nam operari sequitur esse. Ergò si operatio est inseparabilis à materia, etiam ipsum esse erit inseparabile. Inprimis etiam, quia alioqui talis forma separata per se & propriè loquendo esset frustrà & otiosa. Nam unaquæque res est propter operationem suam, tanquam finem. At formæ brutorum, aliarumque rerum inferiorum, si separatæ essent, nullam operationem haberent, nec habere possent. In oppositum autem forma immaterialis est, quæ non est dependens à materia, in esse & operationibus suis. Talis est anima humana, quæ quòd non sic dependeat à materia, patet, ex ejus immortalitate, ex qua relinquitur, eam & esse & consequenter operari posse extra materiam.

Objicis: Animam humanam non esse independentem in operatione sua à materia. Nam (loquendo solùm de iis operationibus quę homini, ut homo est, conveniunt;) malè dispositò corpore, prava est intellectio, imò, cùm caput æstuat furore

furore, omnis rectitudo intelligendi deficit, ut notum est. *Resp.* Inprimis inorganicam esse animam humanam, in intelligendo, loquendo de rerum intelligibilium *judicio*. Ad hoc enim anima non requirit aliquod organum, sicut visio, auditio, aliæque operationes requirunt. Loquendo autem de *receptione* rerum intelligibilium, anima in corpore existens, utitur ministerio sensuum, quia quasi nuncii sunt intellectûs. Atque hinc fit, ut ex malè dispositio corpore intellecti deprauetur, quia res intelligibiles non deferuntur sic, ut sunt. Quòd autem absolutè vis intelligendi non sit dependens à materia, apparet ex natura Angelorum, qui intelligunt, & tamen materiâ carent.

61 *Forma immaterialis an in fieri etiam sit independens à materia.*

Solent aliqui Doctores notare, quòd conditio formæ immaterialis sit, etiam non dependere *in fieri* à materia. Explicantque hanc conditionem de anima, quòd ea non generetur, sed creëtur, vel divinitus infundatur. *Sed* hæc conditio sic intellecta spuria est. Animam enim humanam produci ab homine progenitore, patet, quia secus non daret injustitiam originalem. Hæc enim per corpus propagari non potest: sicut nec justitia posset. Posset prolixiùs hac de re hic tractari, sicut & de animæ humanæ immaterialitate & immortalitate, & de formarum brutarum materialitate & mortalitate. Sed hanc rem alibi jamdum tractavi.

IV. Forma totius & partis.

62 Hanc distinctionem proponit *Scotus*, cum de individuatione disputat. 2. *d.* 3 *& in quodlib.* 3. Quanquam autem alii Philosophi eam distinctionem oppugnent, tamen commodè explicari potest. Igitur forma *partis* est illa forma, quæ est pars compositi, contradistincta materiæ. Ita anima humana forma partis est. Forma autem *totius* est tota Entitas compositi, in abstracto sumpta, quæ non dicit formam solam, sed etiam materiam. Sic ergò forma totius in homine, est humanitas vel homineitas. Hæc enim non est forma hominis solùm, sed comprehendit formam simul & materiam. Idemque est in aliis abstractis factis de composito, veluti sunt lapideitas, brutalitas, & sic in cæteris. Et retiam alias satis usitatum, ut forma (simpliciter & sine adjectione dicta) sumatur pro essentia, ut suprà relatum est, *num.* 4. Estque hæc distinctio nominis solùm, & pertinet huc forma partis.

V. Forma est totalis, vel partialis.

63 Forma *totalis* est, quæ informat totum aliquod compositum,

tum, omnesque ejus partes. Sic anima est forma totalis rationalis. Forma *particularis* est, quæ informat partem compositi, veluti forma capitis, manûs, &c.

Cæterùm duplex sensus esse potest formæ partialis. Igitur *primò* forma partialis dici potest, pars formæ totalis in quantum ipsa tota extensa ad certam aliquam partem, informat eam. Hoc sensu forma extensa ad primam guttulam in aqua potest dici forma partialis aquæ. *Secundò* forma partialis dicitur, non quæ est pars formæ totalis, sed quæ peculiaris forma est, adæquatè respiciens aliquam partem, ita ut à specie distincta sit ab alia forma partiali, quæ aliam partem ejusdem compositi informet, & etiam distincta sit ab ipsa totali forma. Et hoc sensu in homine aliisque totis heterogeneis aliqui partiales formas ponunt aliis dicentibus, quòd solùm prioris generis formæ partiales dentur, qui putant unam esse formam in homine, quæ extensa ad materiam, nasum, linguæ, auri, oculo, &c. congruam facit nasum, linguam, aurem, oculos, aliásque partes sine additione ulterioris formæ partialis. Sed hæc res tractanda est, ut clarior sit hæc distinctio.

An plures forma partiales, realiter ab invicem distinctæ possint esse in eodem composito?

Triplex potest esse modus quærendi de pluralitate formarum. *I.* An plures formæ totales & specificæ sint in uno composito, quomodo Manichæi dixerunt in homine duas esse animas contrarias, ut refert *August. lib. 1. de duabus animab: cont: Manich: ex libr. 10. de Gen: ad lit. cap. 23.* Hæc sententia per se absurda est, nec eget refutatione. *II.* An plures formæ subordinatæ possint esse in eodem composito, veluti præter specificam, alia generalis, una aut plures. In hoc sensu antea actum est de hac re *n. 41. seqq.* *III.* An plures formæ partiales & coordinatæ ad complendam totius essentiam, sint in uno composito. Sic nunc de pluralitate formarum agimus. Eam asserunt *Henric. in sum. de anc. cap. 9. Ant. And. 7. Met. quæst. 17. Niph. 1. de gener: t. 78. Scal. exerc. 346.* Negant autem *Thomas, 1. part. quæst. 76. artic. 4. Greg. 2. dist. 17. quæst. 1. Javell. 7. Metaph. qu. 19. Suarez disp. 15. Metaph. sect. 8. num. 29.* 64

Dico: *Plures formæ partiales non esse in toto heterogeneo.* Sententia Hanc rem non aliunde probo, quàm quòd entia non sint Autoris multiplicanda 65

multiplicanda sine necessitate. Nulla autem necessitas est, cur plures formæ partiales ponantur in uno composito ad diversas partes informandas, cùm sufficiat forma misti generalis, & ei addita anima; quod apparebit solvendo argumenta.

66 *Objectiones explicantur*

Objicitur 1. In diversis partibus esse diversas immò contrarias dispositiones & operationes. Igitur requiri etiam diversas formas. *Respond.* Negando consequentiam. Nam forma misti, quæ virtute suâ continet formas quatuor Elementorum, facilè potest dare diversas dispositiones, prout elementa ad invicem spectata, etiam diversitatem habet in qualitatibus. Hoc igitur modo totali forma, veluti anima, unita alicui parti organicæ, aliam dispositionem habenti ab alia parte differentes etiam operationes exercet in hac & in ista.

67

Objicitur 2. Pars organica abscissa, retinet formam suam, veluti carnis nasi, aliûsvè membri. Ergo non habet esse per formam totius. Et idem est ante accessum animæ, secundùm *Aristotelis* sententiam Is dicit, *Cor esse ante productionem animæ. Respond.* Secundùm *Aristotelem*, caro viventis ejusdémque membra æquivocè solùm conveniunt cum iisdem existentibus in cadavere, ut habetur 7. *Metaph. pag.* 56. *lib.* 1. *de gen. anim. cap.* 19. *&* 1. *de anim. cap.* 1. Et revera etiam non potest illa partialis forma nasi, alteriusvè membri, manere in cadavere. Nam si qua esset forma partialis, illam oporteret esse animam. Dicitur etiam ea propter diversitatem operationum vitalium. Operationes autem vitales non possunt fieri præterquam ab anima. Atqui anima non potest esse in cadavere, sic enim, non cadaver, sed aliquid vivum esset.

68

Objicitur 3. Si non est peculiaris forma in partibus totius heterogenei, tùm partes totius dissimilares non magis distinguuntur quàm partes similares. *Resp.* Partes dissimilares distinguuntur inter se magis, quàm similares, non quia illæ differant peculiaribus formis, hæ non: sed quia in partibus dissimilaribus sunt proprietates & dispositiones diversorum generum quasi commixtæ, quod non est in partibus homogeneis.

69 *VI. Forma est assistens, vel informans.*

Hæc solùm est distinctio nominis ambigui. Alioquin enim forma assistens, non est forma, sumendo eam pro causa formali. Nam forma *assistens* est solùm aliquid extrinsecum, unde nec ingreditur compositum, atque adeò nec confert esse

sed

ſed operationem aut motum ſolùm, ei rei, cui aſſiſtit. Summatim ergò forma *informans* eſt forma propriè dicta, quæ cum materia conſtituit compoſitum, Forma *aſſiſtens* autem eſt quæ movet aliquam rem extrinſecùs; veluti ſe habet intelligentia ad cœlum, ſecundum hypotheſin *Ariſtotelicam*.

VII. Forma eſt Metaphyſica, vel Phyſica.

70 Hæc eſt etiam diſtinctio nominis ambigui. Per formam igitur *phyſicam* intelligitur forma propriè dicta, quæ diſtinguitur contra materiam. Forma autem *Metaphyſica* duo ſignificat. Aliquando eſt idem quod *eſſentia*, quæ *forma totius Scoto* dicebatur, ut antè retuli. Aliquando verò eſt idem quod *differentia* reſtringens genus ad certam ſpeciem. Sicut enim genus, materia, ita etiam differentia forma, propter quandam analogiam vocatur

CANONES.

71 *I. Poſitâ formâ ponitur formatum.* Vulgare eſt: Sed ſubintelligendum eſt, ſi ſit in diſpoſita materia. Formati enim eſſentia non conſiſtit in ſolo forma, ſed etiam in materia, Atque ſic poſitâ animâ humanâ in corpore organico, ponitur homo. Et proinde ſi anima ponatur in ſemine, ut ex ſemine ſibi domicilium formet, nondum tamen eſt homo, quia ſemen non eſt materia diſpoſita ſatis, ut ex eo immanente homo componatur. Sic etiam anima, cùm egreditur corpore per mortem, unitur, ad partis aëris, in motu ſuo, & nihilominus tamen ibi non fit homo, quia aër non eſt materia congrua animæ humanæ.

72 *II. Sublatâ formâ tollitur formatum.* In morte hominis, á corpore organico tollitur anima, quæ hominis forma eſt. Ergò deſinit homo. *Lupus quamdiu manet lupus* (inquit *Scal: exerc. 202. ſ. 1.*) *lupinam formam haud unquam deponit: In lupo igitur formalis eſſentia vel forma eſt, quâ lupus eſt. Et Accidens feritas, qua ferus eſt. Formam tum demum amittit, cùm deſinit eſſe. Nullo alio eventu id pati poteſt. A feritate vacuus eſſe poteſt humanæ ſocietatis aſſuetudine, quemadmodum plantæ mitteſcunt novo cultu.*

An omnè illud ſit forma quo ſublato res tollitur.

Aliqui ſic loquuntur: *Quo ſublato res tollitur, id eſt forma rei.* Et ſic ajunt: ultimam unitatem in numero eſſe formam illius numeri, quia eâ ſublatâ, verbi gratiâ, ex ternario, deſinit ternarius. Sed ſic citra determinationem non eſt verum illud axioma.

axioma. Nam. 1. sublatâ parte principali tollitur totum. Et tamen ea forma non est. Veluti amputato capite, vel exempto corpore definit homo. Nec tamen aliquid horum formahominis est. 2. Et proinde sublata totâ materiâ etiam tollitur species. Et tamen materia non est forma. 3. Sublatis prioribus tollitur res, quæ itidem non sunt formæ.

73 *Unitas ultima, an et quomodo sit forma Numeri.*

Atque sic apparet inefficax esse superius argumentum de forma Numeri. *Thomas, 9. Metaph. ad. t. 20,* Unitatem ultimam dixit formam numeri. Sed id explicandum est per similitudinem. Ultima igitur unitas est similis formæ in hoc, quòd, sicut forma complet, essentiam, & quasi distinguit numerum hunc ab aliis, ut exponit *Suarez disput: 41. Metaph. s. 4. num: 13.*

74

Aliàs hoc verùm est: Quòd illud forma rei sit, quo *ultimò* ablato, res tolluntur Nam cæteris subatis res tollitur solùm, quia faciunt auferri formas. Materia enim si non sit, forma caret naturali subjecto sibi necessario ad officium causale. Et rursus, si pars principalis non sit, caret itidem forma necessariâ materiâ ad causalitatem suam requisitâ; quia in principalibus partibus radicatur forma. Adjuncta etiâ propria sunt naturaliter κ χώρις α

75

3. *Forma est prior formato.* Sumitur ex generali conditione causæ. Et intelligendum est de prioritate naturæ. Nam ordine temporis forma (in convenienti materia) simul est cum formato. Sic igitur Pontificii malè faciunt charitatem formam fidei, cùm ista sit posterior fide, ut ex *Psal: 116. v. 10. & 2. Corinth. 4. vers. 13.* patet: *Credidi propter quod locutus sum,* ubi boni operis (confessionis) causa ponitur fides. Idem autem est de aliis bonis operibus.

76 *Primum officium formæ.*

4. *Forma dat esse rei,* Hoc primum officium formæ est. Loquor de forma, quæ verè & propriè forma est, non autem quæ forma dicitur per similitudinem, qualis est forma assistens. Hæc enim non dat esse, sed solùm motum. Per rem autem intelligo *materiam,* (quam non essentialiter, sed accidentaliter solum informat) sed *ipsum compositum.* Illi igitur composito forma dat esse, quia compositum intrinsecè componitur ex forma. Et proinde hactenus materia & forma similes sunt, differunt autem, quòd materia præstat solùm inchoationem ipsius esse. Forma autem ultimò complet, & dat extremam perfectionem & distinctionem composito, adeò, ut ipsa forma quasi κ ξοχὴν ratio quidditatis dicatur,

tur ab *Aristot. 2. Phys. cap 3.* Atque sic valet etiam superius axioma sic conversum.

5. *Quicquid ultimo dat esse rei, id est forma.* Sumitur satis ex priori. 77

6 *Forma distinguit rem à re.* Hoc alterum officium formæ est. Et sumitur ex priori Si enim forma dat esse: Ergò non dat unitatem. At si unitatem dat, dat etiam distinctionem, quia unitas importat divisibilitatem à quovis alio. Est autem observandum: Distinctionem esse duplicem: Alia sumitur à prioribus à posteriori, quomodo elementa per qualitates, & loco distinguuntur; Individua per accidentia &c. Forma igitur distinguit à priori (nempe dando ultimum esse) rem à re. 78 *Secundum.* 79

7. *Forma dat operationem Composito.* Hoc tertium officium formæ est. Non autem putandum est, quasi *omnis* forma det operationem composito. Nam quantitas, tanquam abstractum, est quanti tanquam concreti forma. Et tamen quantitas nullam dat actionem quanto, quæ tale est. Intelligitur ergò axioma hoc sensu, quòd forma & non alia res sit, quę sit originale sive primarium principium operationis in composito. Vide *Them. 1. part. quæst. 76. art.* Dico, *Primarium.* Nam qualitates compositi, sunt etiam principia operationum compositi; sed sunt principia secundaria & instrumentalia. Hæ ipsæ tamen, quia sunt instrumenta formarum idcircò illarum operationes *primò* referuntur ad formã. *A qualitate sunt actiones, tanquam ab instrumento. A certa verò forma tanquam à principio perficiuntur.* Ait *Scalig. 2. de plant. p. 332. Vide etiam ibi pag 409.* Et sic ad formas referuntur *originaliter* omnes operationes compositi. Hoc ergò infallibile signum formæ dico: *Quod*, inquam, *omnium operationum naturalium, rei alicujus causa est, id est: forma illius rei* Et sic anima rationalis (contra *Averroëm*) rectè dicitur forma humana, quia ea est originale principium omnium humanarum operationum, veluti intellectionis & volitionis. Dixi; *Omnium*: Nam præter formam nihil est, quod originalis operationis causa esse possit. *Tertium.* 80

Atque sic qualitates primæ non possunt esse formæ Elementorum. Nam 1. unaquæque forma, per emanationem ab ipsa, dat suo formato adjuncta propria illius. Adjuncta autem propria Elementorum sunt qualitates istæ. Ergò istæ emanabant à formis elementorum. At impossibile est, ut emanent à *Qualitates primæ non sunt formæ Elementorum.*

ſeipſis, calor à calore, frigus à frigore, unum numero ab eodem numero. *Deinde* hæc naturalis operatio eſt in Elementis: Reducere ſe, verbi gratiâ aquam ad frigus, poſtquam calefacta erat intenſiſſimè, Hæc tamen operatio non poteſt fieri ab ipſius primâ qualitate (frigore.) Nam frigus amiſſum erat per introductionem contrariæ qualitatis, & proinde ipſum reſtituendum eſt. *At* nihil poteſt ſeipſum reddere vel reproducere. *Denique*, non apparet, quomodo calor ignis ſit cauſa aſcenſionis ignis, aut frigus terræ, deſcenſionis, Et ſic in aliis, Hæc obſervanda ſunt contra multos *Ariſtotelicos*, qui qualitates ajunt eſſe Elementorum formas.

81 8. *Forma eſt præſtantior, quæ plures habet operationes.* Vide *Zabar: 1. de nat. log: c. 11.*

82 9. *Pleræque formæ carent nomine, & ſunt incognitæ.* Sic elegantur ait *Scal: exerc. 307. ſect. 22. Nomina*, inquit, *mihi lapidis formam, qui quotidie oculis tuis obverſatur, & Phillida ſolus habebis. Nego tibi ullam eſſe formam nobis notam plenè & planè: Noſtrâmque ſcientiam eſſe umbram in Sole, aio. Formarum enim cognitio eſt rudis, confuſa, nec niſi per περιφράσεις. Et ſ. 21. Subſtantiæ*, ait, *non ſuâ ſpecie cognoſcuntur à nobis, ſed per earum accidentia: Quis me doceat, quid ſit ſubſtantia, niſi illis miſeris verbis, res, per ſe ſubſiſtens: Corpus, quod tangi poteſt: Dicatur mihi: Quid ſit caninitas, Aſinitas, Leonitas. Tam equidem notum eſt nobis horum quodvis, quam quod ignotum. Definiamus lapidem illum, qui præ pedibus eſt. Nugæ! Terram definimus à ſoliditate ac pondere. Ignis quid? ſubſtantia quæ ad cavum lunæ fertur. Hoc habes à ſenſu. Quid ipſa illa ſubſtantia ſit planè ignoras.* Confer etiam *exerc. 101. ſ. 14.* Et *Ram. in Schol: Dial: pag: 91.*

83 10. *Unius rei una tantùm forma eſt.* Vulgare eſt; Sed intelligendum eſt, de forma ſpecifica, ex diſputatione hujus capitis, *n. 41. ſeqq.*

84 11. *Formæ non delaſſantur opere*, Nes immateriales adeò non *delaſſantur opere, ut etiam otio torpeſcat anima noſtra, & frequentioribus officiis ac functionum crebritate multo vegetior evadat*, ait *Scal. 2. plant. pag. 393. & exerc. 76. ſ. 1. & 4.* idem docet: Ubi omnem defectum ait naſci, ex depravatione vel ablatione Inſtrumentorum, quibus anima utitur ad ſuas operationes. Et ſic *Ariſt:* ait: ſenem juveniliter uſurum acie oculorum, ſi ei juvenis oculus immitti poſſet.

85 12. *Forma eſt imperator omnium quæ in compoſito ſunt.*

Habet,

Habet hæc *Scal. 2. de plant. pag.* 462. *Forma est illa imperator, cujus imperio parent alia, cujusque ex præscripto res tota agitur. Et pag.* 469. *In formæ fide atque clientelâ est succi constantia copia calor. visciditas pinguitudo.* Inprimis autem imperium formæ consistit in eo, quòd dissidentes partes quasi unit & conjungit. Veluti ut humidum cum sicco consistat, & frigidum cum calido, etsi alterum ab altero gradibus superetur. Neque enim datur temperamentum ad pondus, in quo frigus & calor, siccitas & humiditas æqualia sunt. Quid igitur est, quod facit ut calor (qui tamen plures gradus habet in aliquo mixto) non vincat fricus, aut ut frigus excedens non vincat calorem, &c: Imperium formæ id facit. Sic res levis naturâ tendit sursum, & res gravis deorsum: qui fit tamen, quòd in animalibus, res levis deorsum etiam fertur, veluti spiritus, in partes, cerebro & corde inferiores; Et res gravis sursum, veluti sanguis ad membra superiora in epate? Aut quòd levis ignis non solùm est in superiori parte, capite, sed etiam, in rebus inferioribus? imò cur iste ignis prorsus non ascendit ex capite, cùm sit levioris naturæ quàm ut *in* aëre (ubi caput est) consistat, cur non ascendit porrò, sicut bulla aërea perrumpit aquam? *Respondeo.* Formæ id fieri imperio. Sicut igitur subditi non agunt, quod ipsis commodum est, sed sæpè contra utilitatem propriam. Ita & partes quæ in corpore nostro sunt.

13. *Forma dat terminos composito.* Suprà dictum est, materiam dici terminum, *num.* 10. *in. comment.* ubi satis declaratum est, quomodo formaterminet, 86

14. *Forma & materia præstant sibi mutuas operas.* Forma actuat materiam, dando ei determinatam quantitatem, facitque adeò, ut sic hoc aliud. Materia vicissim sustentat & recipit in se formam, & dat ei extensionem, sine qua in corporibus exequi officium suum formale (informando singulas partes) non potest. Vide *Zabarell. lib. 2. de prim. mat. cap. 9. pag.* 196. Et *Scal. exerc.* 250. *sect.* 5. *&.* 307, *s.* 27. *pag.* 977. 87

15. *Omne esse est à forma.* Vulgare hoc est: *Suarez: disp.* 13. *Metaph. sect.* 5. *num.* 16. ait: duobus modis exponi posse, *Primò*, de esse specifico & completo. *Secundò*, quòd omne esse est à forma, vel intrinsecè dante & componente illud, vel saltem terminante aliquo modo dependentiâ ejus. Et hoc 88

modo ait, ipsum esse materiæ dici esse à forma. *Sed* melius dicitur, formam ambiguè dici. Aliquando forma est idem quod essentia. Et sic verum est: Omne quod est, esse per formam, hoc est, essentiam suam. Aliquando autem forma est altera pars compositi. Et sic non omne esse est à forma. Sunt enim quædam Entia simplicia. Et proinde illa hoc ipso non habent formam. Et sic etiam materia non potest habere suum esse à forma, quia & ista est aliquid simplex. Et impossibile est, formam, quæ materiæ præexistenti advenit, dare ei esse, hoc ipso, quia materia præexistit, & eam recipit. Igitur per formam talem illa res solùm est, quæ etiam materiam habet. Sic *Scalig. exerc. 298. sect. 6. Forma*, inquit, *visionis quid est? Essentiam quidem habet, Formam verò non habet, quippe nec materiam* Materia igitur & forma sunt principia connexa, & quod habet unum horum, id habet & alterum.

89 *Indivisibilitas secundum gradus*

16. *Formæ sunt indivisibiles.* Vulgare hoc est. Et sciendum est de divisibilitate nos posse multifariam loqui. *Primò* est divisibilitas & indivisibilitas secundùm gradus. Et sic solæ formæ substantiales sunt indivisibiles. & cùm producuntur, non producuntur successivè, sed in momento. Formæ autem accidentales sunt divisibiles Ita in una re sunt plures gradus caloris quam in alia, quod non est in formis substantialibus. Neque enim in una re possunt esse plures animæ rationales, quàm in alia Et sic in cæteris,

90 *Indivisibilitas quoad partes Physicas*

Deinde: Indivisibilitas potest intelligi de partibus Physicis, hoc est, materiâ & formâ. Et sic omnes formæ sunt indivisibiles. Nulla enim forma habet formam & materiam.

Indivisibilitas quoad potentias.

Tertiò: Indivisibilitas potest intelligi, ut negans divisibilitatem in partes Logicas, hoc est, genus & differentiam. Et sic indivisibilitas non convenit formis Habent enim formæ sua quæliacunque genera & species, atque adeò etiam differentias. Ita anima (quæ forma est) dividitur in animam plantæ, bruti & hominis.

Quartò potest indivisibilitas intelligi in respectu ad potentias, Et quoad hoc etiam omnes formæ sunt divisibiles. Nam omnes formæ suas facultates habent, quia secundùm se indifferentes sunt, & proinde requirunt accidentia, vel facultates, quibus determinentur ad operandum.

91 *Quintò:* potest intelligi indivisibilitas in respectu ad *quantitatem.* Et id potest esse trifariam; ut, divisibilem esse formam,

mam, sit idem, quod, formam esse extensam ad extensionem materiæ, atque sic ad plures partes divisas quasi continuatam. Hoc modo dico: Omnes formas divisibiles, quia omnes formæ sunt in toto, & qualibet parte ejus. Et patet. Si enim forma non esset extensa vel divisa, ad pedem vel manum, verbi gratiâ, tum pes esset sola materia, atque adeò aliquid simplex, vel saltem aliquid unum per accidens, ex materia & influxu sive virtute aut operatione prodeunte à forma. At hoc est absurdum. 2, Illa divisibilitas formarum, in respectu ad quantitatem, sic potest intelligi, quasi per se sint extensæ ad distinctas sive divisas partes. Et hoc sensu nulla forma est divisibilis, sed omnes sunt indivisibiles. Nam per se divisibile esse, soli materiæ vel quantitati convenit. 3. Illa divisibilitas in respectu ad quantitatem, potest intelligi sic, quasi formæ pars una sit separabilis ab alia, & actualiter possit disjungi ab alia. Et tum distinguendum est ex *Thoma 1. part quæst. 76 art. 8. Et 1. contra gentes, cap 72* Igitur *alia forma* indiscriminatim informat partes suæ materiæ. Et hæc divisibilis est ad divisionem materiæ. Tales sunt formæ rerum inanimatarum, veluti aeris, aquæ, sanguinis, &c. Item formæ plantarum, quę læpè post dissolutionem utrinque habent operationes animæ, & frondescunt. Item animæ animalium imperfectorum vel insectorum, quæ dissecta, in signum animæ, non solùm moventur (quod etiam post absentiam animæ fieri potest à solis spiritibus) sed etiam augescunt, & nutriuntur, ut antea. Et idem est, in formis accidentalibus veluti colore, calore, humore, &c. *Alia forma* informat partes compositi differenter, & cum dependentiâ unius ab alia. Unde, in talibus compositis, forma radicaliter quasi est in una parte, in aliis per participationem & dependentiam. Talis est forma animalis perfecti, quæ principaliter informat partes principales, veluti Cor, Cerebrum, Epar. Unde talium anima non potest dividi ad divisionem materiæ, ut anima remaneat in brachio abscisso, vel capite detruncato.

Indivisibilitas secundùm quantitatem.

CAPUT. VI

De Fine.

1. Finis est Causa propter quam res est.
2. Ad finem pertinent media sive destinata.
3. Media sunt quæ ducunt ad finem.

4 Finis officia sunt 1. Movere desiderium agentis. 2. Ordinare, mensurare, dulcorare media

5 Finis distinctiones variæ sunt, I. *Finis est proximus vel remotus.*

6. Proximus finis est, qui proximè movet efficientem. Remotus est ad quem refertur finis proximus. Et hic ultimus est ad quem referuntur omnes fines alii. Unde alii ad hunc dicuntur *subordinati.*

7 *II. Finis est cujus vel cui.*

8. Finis *Cujus* est cujus adipiscendi gratiâ agens operatur, ut Sanitas respectu medici. Finis *Cui* est subjectum, cui finis *Cujus* acquiritur, ut homo, cui medicus acquirit sanitatem.

9. *III. Finis est objectus, vel formalis.*

10. Finis objectus est res illa, quæ possidetur. Formalis est actio, quâ res illa possidetur. Sic priori modo. Finis objectivus noster est Deus: Posteriori modo, Dei visio.

11. *IV. Finis est indigentiæ, vel assimilationis.*

12. Finis indigentiæ est qui indiget mediis ad eum pertinentibus, Sic homo est finis omnium rerum naturalium, indiget enim iis.

Finis assimilationis est, quo indigent agentia ad eum finem operantia, ideòque agunt, ut illi assimilentur. Talis finis hominis est Deus, qui non indiget homine, sed contrà, homo indiget Deo

13 *V. Finis est principalis vel minùs principalis.*

14. Finis principalis est qui principaliter ab agente intenditur; Finis minùs principalis, qui minus principaliter. Sic Finis principalis conjugii est procreatio sobolis, minùs principalis, ut sit solatium vitæ.

15. *VI Finis est per se, vel per accidens.*

16. Finis per se est, qui ab agente intenditur, secundùm naturam & constitutionem cujusque rei Finis, per accidens est, qui ab agente aliunde assumitur. Ita finis Jurisprudentiæ per se est, dirimere æquum & iniquum. Finis per accidens est, per eam amplificare divitias.

Ille etiam dicitur Internus, hic externus eodem sensu.

17. *VII. Finis est communis vel proprius.*

18. Proprius est, qui uni rei convenit, nec potest aliis convenire. Talis finis Logicæ est, tradere modum benè differendi Finis communis est, qui pluribus rebus convenit. Talis finis Logicæ est, perficere intellectum, aut dirigere ad Dei gloriam

19 *VIII.*

19. *VIII. Finis, est finis actionis vel rei factæ.*

20. Finis actionis est res facienda. Veluti, generationis finis, est compositum producendum. Finis rei factæ, est operatio propter quam res fit, ut facti Solis finis est, illuminatio mundi.

COMMENTARIUS.

1 Hinc quinque sunt tractando: 1. De nomine Finis. 2. De ejus Definitione. 3. De ejus Causalitate, & pertinentibus ad eam 4. De Divisionibus finis. 5. De Mediis.

PRIMÒ
De Voce Finis

2 *Ambiguitas in voce finis.*

Vox Finis bifariàm sumitur: *Primò* est idem quod Extremitas, sive terminus. Ità mors est finis vitæ, & punctum lineæ. *Græcis* dicitur πέρας, & apud Philosophos Latinos finis *terminationis*, vel *privationis*. *Deinde:* est idem, quod causa finalis, quæ *Græcis* specialiter τέλος dicitur, ἀπὸ τοῦ τελεῖν, à perficiendo. Unde secundùm hanc significationem *Latini* finem vocant finem *perfectionis* vel causalitatis. Vide *Scalig exerc: 254. & 2. de plant p. 317. & Zabar: in comm. ad 4. Meteor. p. 987. & 1025.*

3 *Notatio finis.*

Dicitur Finis à *finiendo*, quia scilicet finit operationem agentis. Nam acquisito fine cessat omnis operatio, *Scalig. l. 2. de plant. p. 317.* derivat à finiendo.

4 *An idem sint finis & causa finalis, & scopus?*

Finis, & causa finalis, & scopus quomodo idem sint, quæritur? Gabriel 2. dist. 1 quæst. 5. Distinguit finem & Causam finalem, dicitque finem esse terminum solum, ad quem dirigitur operatio. Causam autem finalem esse id, quod movet agens ad operandum, & sic causalitatem aliquam exercet. Alii tamen existimant, Finem & Causam finalem esse idem, sicut idem sunt materia, & causa materialis, forma & causa formalis. *Sed* discrimen à *Gabriele* & aliis annotatum facilè stare potest Hoc enim solùm volunt dicere, quod secundùm amplitudinem suæ significationis finis etiam possit significare, non causam, sed terminum solùm. Hæc autem significatio locum non habet in voce causæ finalis. Unde eodem modo distinguuntur *forma* & *causa formalis.* Nam forma potest etiam significare adjunctum, unde secundùm omnem significationem non est idem forma, & causa formalis. Item materia potest significare subjectum, veluti cùm dicitur Materia in qua. Unde rursus secundùm omnem

Deciditur.

Forma & causa formalis quomodo differant? Materia & causa materialis.

signi-

significatiouem non est idem *materia*, & *causa materialis*. Quod si tamen vox Finis secundùm famosam significationem sumatur, ut sumitur in divisione causarum, utique finis & causa finalis prorsùs idem sunt.

5 *Scopus & finis quomodo differant.*

De convenientia & distinctione scopi & finis referam, quę *Scalig.* habet *lib. 1. de plant. p. 102. seqq. Gracum verbum σκόπος*, inquit, *primo suo significata nihil aliud quàm regere significare. Periti sagittarii postquam intenderunt, haud prius amittunt, quàm veli mucrone punctum obtexerunt, cujus mucronis objecto scilicet, inobscuraverunt puncti visionem. Idcircò ad eam primùm exercitationem deducta vox, atque inde ad mentis agitationem unde Sceptici dicti Pyrrhonici, qui & Ζητητικοὶ & ἐφεκτικοὶ eandem ob causam, quia semper essent in disquisitione, statuerent verò nihil. Et posteà Est autem Scopus opera, seu officium: Finis autem est, quòd movet artificem ad operam, & est operæ perfectio. Movet quidem etiam opera opificem, sed non primò, quia finis primò. Non simpliciter, quia movet propterea quòd movetur. Idcircò etiam finis nomine donatus est scopus ab Aristotele. Duplicem namque finem dicit, ὧ καὶ οὗ. Opera & scopus est finis quo. Opus autem ipsum factum est finis, propter quem omnia sunt, quæ ante ipsum sunt. Idcircò Medicis scopus & finis medius est medicari. Finis verus & ultimus, & primùm movens est sanitas.*

Secundò.
De Definitione Finis.

6 *Vox Propter declaratur.*

Finis definitur *Causa propter quam res est.* Circa hoc solùm animadvertendum est, vocem *Propter* ambiguam esse. Generaliter sumitur illa, ad significandam omnem habitudinem causalem. Sic *Aristoteles*, 2. *Physic. 7.* ait: Omnes Causas pertinere ad quæstionem *Propter quid.* Et nominatim propter efficientem res dicitur esse ab *Aristot. 1. post cap. 2. & 15.* cùm ait: *Propter quod unumquodque tale est, illud magis tale est.* Loquitur enim hoc, non solùm de fine, ut aliqui volunt, sed etiam de efficiente, ut ex contextu & usu *Aristotelis* clarum est. Specialiter autem significat habitudinem finalem solùm. Et hæc significatio famosior est vocis Propter. *Propositio Propter finem significat*, inquit *Scaliger exerc. 250 sect. 1.* Si obiiciatur: Ex prædictis sequi definitionem finis sic non esse reciprocam. Respondendum est,

Solvitur objectio.

eo

eo modo, quo dictum est supra, ad definitionem materiæ, de voce *Ex*, & ad definitionem formæ, de voce *Per*. Vide *c. 4. n. 4. & c. 5. n. 13.*

Alia definitio finis est, secundùm quàm Finis definitur causa, *Cujus gratiâ res est*, unde & finis passim vocatur τὸ ἕνεκα. Vide *Aristot. 2. Phys. c. 3. 7. & 5. Metaph. c. 2. 1. de gener. t. 55 l. 4. Phys. Plat. in Gorg.* At primum quidem autorem hujus definitionis *Homerum* facit *Eustachius in com. ad Iliad. 2.* 7.

Ac satis quidem manifestum est, quid sit, esse causam, cujus gratiâ fit aliud, ut ulteriori declaratione non egeat. *Quæstio.*

Id exquirendum est, quomodo hæc definitio sit generalis, cùm non omnis finis sit finis *Cujus*, sed etiam aliquis finis *Cui*, ut infrà dicetur *num. 54. seqq.* Isti igitur quomodo convenit, ut ejus gratiâ aliquid sit? Videtur enim finis *Cujus* & *Cui* in eo distingui, quòd finis cujus sit, cujus gratiâ agens operetur; finis *Cui* autem sit, non *cujus gratiâ*, sed *cui* agens operetur. Ac videri posset propter hoc, finem *cui* non esse *Solvitur.* verè causam. *Sed* tamen dicendum est: Finem *cui* comprehendi etiam sub data definitione. Vocatur igitur sic solùm specialis differentiæ ergò, & ad meliorem distinctionem à fine (prout specialiter dicitur) *cujus*. Quod dixi evidens est: Nam interroganti, cujus gratiâ operetur Medicus, respondeti potest, & quòd operetur *sanitatis* gratiâ, & quòd operetur *hominis* alicujus gratiâ. Ex quibus illa est finis *Cujus*; hic est finis *Cui*. Et tamen etiam hujus gratiâ agens dicitur operari.

Tertiò.

De Causalitate Finis.

Hanc circa rem inquirendum est: 1, An finis Causa sit? 2. Quæ agentia possint agere propter finem. 3. Quæ res possit esse finis. 4, An finis causet in esse reali, an in esse cognito sive intentionali. Et 5. denique Quænam sit causalitas finis? 8

1. *An finis sit Causa?*

Finem causam esse negant Stoici, ponentes solùm efficientem causam; contra quos generatim superiùs actum est in quæstione de numero causarum, *cap. 2. quæst. 3.* 9

Specialiter autem quòd finis non sit causa, probatur 1. Quia finis nihil agit, ut expresè habet *Aristot. l. 1. de gener. cap. 7. t. 55. Cujus gratia cætera fiunt, actionem non est.* Quapropter *Objectiones.*

propter ſanitas ipſa non eſt activa, niſi per tranſlationem. Unde faciendo proportionem, ſequitur, quia finis non agit, niſi per tranſlationem, vel Metaphoricè, idcircò, nec eſſe cauſam, niſi per tranſlationem, vel Metaphoricè. 2. Omnis cauſa eſt principium. Principium enim eſt veluti genus cauſæ ut docet *Ariſtot. 5. Metaph. c. 1.* At finis non potaſt eſſe principium. Videtur enim habere oppoſitam rationem ad principium. Nam finis, ut nomen indicat, ſignificat extremitatem, ſed principium ſignificat initium. 3, Si finis eſt cauſa, erit vel cauſa in eſſe reali, vel in eſſe cognito. Hoc eſſe non poteſt. Nam eſſe cognitum, ſive intentionale, non eſt ſatis proportionatum ad producendum eſſe reale. Nec illud eſſe poteſt. Nam cùm finis eſt in eſſe reali, ceſſat actio agentis & per hoc forma introducta eſt. At formâ introductâ eſt etiam compoſitum. Unde tunc non poteſt aliquid demum cauſa eſſe ipſius compoſiti, à quo illud productum, adhuc dum producatur.

10 *Finem eſſe cauſam probatur.*

Nihilominùs, finem eſſe cauſam certum eſt, non ſolùm ex autoritate Philoſophorum communiter ita docentium, ſed etiam ex ratione. Finis habet aliquam influentiam ad productionem effecti: Ergò finis eſt cauſa. Connexio firma eſt: Nam ratio cauſæ eſt influere in effectum. Antecedens probatur. Nam finis dicitur extimulare cauſam efficientem, item explere deſiderium agentis, item effectus dicitur propter eum eſſe. At hæc eſſe non poſſunt ſine cauſalitate. Accedit, quòd potiſſima demonſtratio ſumatur etiam ex fine. At potiſſima demonſtratio ſumitur ſolùm à cauſa. Ergò finis eſt cauſa.

11 *Solvuntur objectiones.*

Quòd *objicicbatur* 1. Finem non agere vel movere, niſi Metaphoricè. *Reſp.* primùm: Quòd omnis cauſa dicitur agere, non eſt intelligendum de actione propriè & rigoroſè dictâ. Nam ſic nec materia, imò nec forma, quando officium ſuum formale exercent, hoc eſt, intrinſecè componunt compoſitum, quicquam agunt; ſed actio ſic ſoli efficienti convenit. Omnis autem cauſa agere dicitur, quatenus agere eſt idem, quod cauſare ſive influere. *Deinde*, ex prædictis explicatur, quo ſenſu finis dicatur Metaphoricè agere. Nempe falſum hoc eſt ſi agere ſumatur in tota ſua latitudine, in qua extenditur ad quamvis cauſalitatem cujuſvis cauſæ. Solùm igitur Metaphoricè agit vel movet finis, ſumendo actionem, & motionem, pro actione, & motione effectivâ, hoc eſt,

Quomodo finis agat Metaphoricè.

eâ, quæ in rigore & ſpecialiter actio dicitur. Huic enim actioni ſimilem actionem habet finis. Et Metaphoricè dicitur agere, imitando ſcilicet qualitercunque actionem cauſæ efficientis.

2. Quod *objicitur*; Finem & principium opponi, bifariam poteſt intelligi: *Primò*, per finem poteſt intelligi, non cauſa finalis, ſed ἔσχατον, ſivè extremum, quo ſenſu terminus lineæ vel vitæ, vocatur finis lineæ vel vitæ. In oppoſitione, ad hunc finem, principium erit inchoatio, vel initium alterius, quod alibi terminatur, quomodo principium lineæ dicimus primum punctum unde inchoatur tractus lineæ. Et ſecundùm hunc ſenſum oppoſitio finis & principii non eſt ad rem. Nam neutra vox accipitur eo modo, quo in horum doctrina accipi ſolet, *Alio* modo principium & finem opponit *Ariſtot. 3. Metaph. t. 3.* Sed ibi per principium non intelligit rem communem cauſis, ſed ſpecialiter voce principii intelligit cauſam efficientem 12

Quod *tertiò* objiciebatur, finem non cauſam eſſe poſſe in eſſe intentionali, nec in eſſe reali, meliùs *ſolvetur* in ſequentibus, ubi hanc rem perſequemur, *n. 40. ſeqq.*

II. Quænam res agant propter finem? 13

Hàc in re ſupponendum eſt inprimis, quòd aliud ſit, eſſe propter finem, aliud, agere propter finem. Et multa quidem ſunt propter alias fines, quæ tamen propter fines non agere dicuntur. De iis autem nunc ago, quæ *agunt* propter finem, ubi attingam ea quæ in dubium venire poſſunt, miſſis aliis.

1. Quæritur ad hoc *An nullum agens agat propter finem*

Id affirmare tenentur ii, qui omnia caſu & fortuitò fieri exiſtimant. Quæ ſententia hic à nobis non eſt refellenda, niſi provocando ad cujuſque experientiam. Quilibet enim in ſe experitur, ſe ex certa intentione & deſtinatione voluntatis aliquo ferri, veluti ad lectionem alicujus libri, ad audiendum aliquem doctum virum, ad ſtudendum Theologiæ, Philoſophiæ, &c. At intentio & Caſus pugnant. Nam quæ ſecundùm intentionem fiunt, non fiunt Caſu, & contrà.

II. Quæritur,
An agentia Naturalia agant propter finem?

Per agentia naturalia hic non intelliguntur in univerſum 14

illa

illa agentia, quæ sunt res Physicæ, sed alio modo agens naturale dicitur, quod oppositur agenti voluntario. Sic ergò agentia naturalia sunt *primum* ea, quæ animâ carent, ut Cœlum, Elementa, Meteora, Lapides, Metalla, &c. *Deinde* sunt ea, quæ animam quidem habent, sed tamen ratione carent, ut sunt Plantæ, Bestiæ, Zoophyta.

13 *Agentia naturalia agunt propter finem.*

Hâc in re summatim *Aristoteles* docet, talia agentia agere propter finem, ut est 2. *Phys. cap.* 7. Pertinétque huc: Quòd natura dicitur nihil agere frustrà, ab *Aristot. 2. de part. anim. c.* 13. *& 1. de cœl. cap.* 4. Nam frustrà illud est, quod finem non habet. Unde frustrà non est, quod finem habet. *Sed* dubitatio non levis est in hac sententia. Nam finis movet & causat, secundùm quod excitat desiderium in agente, ex sui bonitate & amabilitate ad se amandum & acquirendum. Unde ex parte agentis videtur esse necessaria *cognitio* finis; Ignoti enim sive incogniti nulla est cupido: Rem prorsùs ignotam amare nullus potest, inquit *August. l.* 10. *de Trin. c.* 1. *& 15. cap.* 26. *& Anselm. in Monol. cap.* 48. aliique. Atqui agentia naturalia finem non cognoscunt, ut per se evidens est, de inanimatis rebus & plantis, quibus prorsùs nulla virtus cognoscitiva competit. De brutis etiam idem probatur. In brutis enim solùm est cognitio sensitiva. Hæc autem à multis putatur insufficiens ad causalitatem finalem, ut quæ requirat discursum, eo ipso, quia quod movetur à fine, debet rationem convenientiæ cognoscere, quam secum habeat. Facultas tamen sensitiva non discurrit.

16 *Prior via id explicandi.*

Hâc in controversiâ, ferè communis sententia est Philosophorum: *Agentia naturalia agere propter finem.* Est autem duplex via eam explicandi. *Una* considerat concursum primi agentis ad omnes particularium agentium actiones necessarium. Quo supposito attenditur, actionem agentis naturalis non solùm esse ab agente naturali, sed eandem esse etiam à primo agente. Atque hoc primum agens (Deus) est intelligens, quod idcircò finem actionis suæ (eadem autem actio, cum etiam est agentis naturalis) facilè præcognoscit. Unde ad actionem naturalem apparet non deesse præcognitionem finis in agente eo, à quo est actio.

Dubium

Hac in re mihi id solùm *dubium* relinqui videtur, quòd secundùm hanc viam non explicetur finis agentis naturalis (hoc enim nondum præcognoscit finem, & sic nec propter finem videtur agere) sed solùm dicitur, propter finem fieri actionem

nem illam; quæ est ab agente naturali, non tamen prout est ab agente naturali, sed prout est ab agente primo. Arqui videtur omninò quodvis agens debere habere finem. *Dico* tamen satis esse, si quævis actio sit propter finem, etsi non cujusvis agentis finis sit. Ita apparet ex agente instrumentali, ubi necessarium est ut ipsa actio hujus, fiat propter finem præcognitum. Præcognitum, *inquam*, non ab isto agente instrumentali, sed à suo principali. *Solvitur.*

17 *Posterior via.*

Altera via peculiaris est *Ben. Perer. l. 8. Phys. c. 3. ad tertiam.* Ibi rejectâ priori sententiâ, existimat, agentia naturalia agere propter finem, neque ad causalitatem finis necessariam esse præcognitionem finis. Igitur agentia naturalia agunt propter finem, secundùm ipsum, non quòd finis moveat ista amore, & desiderio sui, (hoc enim solùm ait esse in agentibus intelligentibus, sed quòd causalitas finis ibi sit, ut ad eum per se & ultimò terminetur agentis operatio. Hæc sententia mihi magis *displicet*, quàm prior, propterea, quia ratio terminandi (in qua *Pererius* sic causalitatem finis ponit) non satis est ad veram causalitatem, si alia removeantur, Id patet. Nam scopus terminat jaculatoris actionem. Et tamen scopus sive tabula jaculatori proposita, non est causa jaculationis. Unde in priori sententia magis acquiesco. *Displicet.*

18 *An bruta habeant sufficientem cognitionem finis.*

De brutis, quod tangebatur, existimo habere ea sufficientem fortè cognitionem ad rationem finis necessariam, nec opus ibi esse discursu. Nam ut finis sui desiderium excitet in agente (quæ est causalitas finis) satis est, si agens apprehendat bonitatem in objecto. Bonitas autem objecti apprehenditur, non solùm per intellectum, sed etiam per sensum visûs, auditûs, gustûs, tactûs, odoratûs, memoriam, ut patet.

III. Quæritur.

An Deus semper agat propter finem?

19

Inprimis discernendæ sunt Dei operationes; Aliæ sunt operationes Dei immanentes, veluti ipsa volitio, amatio, & his similes. Aliæ sunt tranieuntes, ut creatio mundi, redemptio hominum, & similes. *Deinde* observandum est, sermonem nunc esse de fine, non quatenus terminus est, sed quatenus vera causa est, ut sit sensus hujus quæstionis: *An Deus semper moveatur à bonitate, quod finaliter causet Deum, eumque ad agendum moveat.*

Hæc

20 *Conclusio de actionibus Dei immanentibus.*

Hâc in re dico primò: *Actiones Dei immanentes non habere causam finalem.* Ita patet. Nam actiones Dei immanentes sunt idem, quod Deus ipse. Secus enim fieret compositio in Deo. At ipsius Dei non potest ulla esse causa. Ergò nec causa finalis, Ergò nec actionem Dei, quæ cum Deo identificantur.

Dices. Actus Dei immanentes aliquando objectivè possunt respicere creaturas, ut est amatio vel volitio creaturæ; An non tunc illi actus possunt habere causam finalem? *Resp.* Per illum respectum non desinunt actiones illæ eædem esse cum divina essentia: Ergò nec sic possunt habere veram causam finalem, propter dictam causam.

21 *Objecto.*

Soncinas lib. 5. Metaph. quæst. 2. impugnat hanc sententiam; inprimis, quia etiam Deus, loquendo de actibus immanentibus, agit propter aliquid, hoc est, propter bonitatem suam, aut propter se. At propter aliquid agere, est propter finem agere. *Resp.* Vocem illam *propter*, non finem sumendo hanc vocem pro causa,) sed aliquando solùm terminum notare. Et quòd hoc ita hic sit patet, quia secus Deus esset causa sui ipsius, quod implicat. Quanquam commodè hæc etiam sententia negativè exponitur. Deus omnia agit *propter se.* Non quasi Deus respectu sui causalitatem finalem exerceat; sed solùm, quòd aliud non sit, propter quod Deus

Quo sensu Deus sit sibi:

operetur. Omninò eo modo, quo Deus dicitur esse à se; non quasi respectu sui exerceat causalitatem effectivam; sed solùm quòd aliud non sit, quod causalitatem effectivam respectu Dei exerceat.

22 *De actione Dei transeunte*

Dico II *Actiones Dei ad extrà, sive transeuntes, semper sunt propter finem.* Hoc ita esse apparet, si solùm recenseatur quomodo id fiat. Nempe præcognoscit Deus, posse aliquod Ens esse, quod suam bonitatem qualiter cunque imitari possit. atque sic eandem possit declarare: Ergó movetur Deus ad producendum illud Ens. Hic sunt omnes rationes necessariæ ad finalem causalitatem. Et confirmatur. Semper actionis finis est res producta per actionem, sicut in naturalibus secundùm *Aristotelem* forma dicitur finis generationis. Neque enim, ulla conditio deest, quam finis habere debeat, & desit formæ respectu generationis. Ergò eodem etiam modo res producta per creationem est finis creationis, & sic de aliis actionibus transeuntibus. Præterea deest hic causa. propter quem negabantvr Dei actiones immanentes habere causam finalem

finalem Ea erat, quòd illæ eædem sint cum Deo. At actiones transeuntes hanc identitatem cum Deo non habent

Ex his summatim & ad decisionem totius quæstionis relinquitur: *Ea agentia agere propter finem quæ possunt moveri ad agendum à fine.* Finis enim causat medio agente, prout scilicet hoc ad agendum extimulatur à fine. 23 *Summaria decisio.*

III. Quænam res possit esse finis?

Hæc quæstio etiam lata est, pertinèntque ad eam multæ particulares quæstiones aliæ. 24

I. Quæritur,

An Malum possit esse finis?

Gabr: 2. dist. 6 q. 1. & Occam. 16. d. 5. quæst. 13. existimant, voluntatem posse referri in malum, quâ malum est, unde consequens est, malum quâ malum est, posse esse finem, indéque exercere causalitatem finalem; Neque enim voluntas in quicquam ferri potest, nisi mota anteà ab eo finaliter. Probant illi sententiam suam: *I.* Ex libertate voluntatis, quæ non esset, si non appeteret malum quâ malum est, quemadmodum appetit bonum, quâ bonum est. *Ita* patet. Nam libertas est indifferentia ad opposita Ergò quod liberum est, non magis inclinat ad hoc, quàm ad aliud. *Deinde* patet per experientiam. Multi enim appetunt aliis, non esse, dedecus, mortem, contumeliam, eo ipso, quia mala sunt. Non esse autem & malum convertuntur, sicut bonum & esse. *Tertiò:* Intellectus occupatur in vero & falso Ergò & voluntas in bono & malo, neque magis potest intellectus recipere verum, quàm voluntas bonum. *Quartò:* Sæpè experimur nos moveri ab objecto ad vitandum illud; Tum igitur necessariò movemur ab objecti malitiâ: Ergò malitia tum causat finaliter. *Quintò:* Objicitur textus *Genes. 8. Sensus hominis sunt proni ad malum.* *Objectiones.*

Nihilominùs contraria sententia communis est, malum, quâ malum est, appeti non posse, & sic nec rationem finis habere posse. Videatur *Gregor. Nyss. de opif. hom: cap. 20. Dionys. cap. 4. de Div. Nom. August lib. 2. Confess. cap. 6. 8. Damasc. lib. 2. de fide. c. 22. Aristot. 1. Ethic. cap. 1. l. 11. Met: c. 7. Marsil Ficin. in Plotin l 8 Ennead: 1. cap. 3. seq. Colleg: Conimbr: disp. 1. Ethic. q. 2. Scalig. exerc: 250. sect. 1.* ubi reprehendit *Ciceronem* etiam, quòd librum aliquem inscripsit de *finibus* bonorum & malorum. 25

26 *Vera sententia explicatur, quid intelligatur per bonum.*

Hæc sententia probatur 1. per experientiam, quæ ostendit, neminem appetere quicquam, atque sic nec à quoquam moveri finaliter, nisi sub ratione Boni, Boni, *inquam*, hoc est, honesti & jucundi, sive delectabilis, in quæ dividitur Bonum ab *Ambros. l. de offic. c. 9. Aristot. l. 2. Ethic. c. 3. Cicer lib. 5. Tusc.* aliisque Comprehendit autem sub se honestum, non solùm honestum moraliter sic dictum, sed omne illud etiam, quod cum natura congruit. 2. Probatur ratione. Si malum, quâ malum est, appeteretur, atque sic rationem finis haberet, tum excitaret sui desiderium, & amorem in agente, (ita enim causat finis.) At hoc fieri non potest: Id enim facit vel secundùm se, & formaliter; vel Entitas ei substrata, in qua hæret malitia. *Prius* esse non potest quia malitia formaliter & in se purè sumpta nihil est Ergò nec amari potest, nec veram causalitatem exercere. *Posterius* verò non est ad propositum. Nam res subsstrata habet rationem boni.

27 *Soluuntur objectiones.*

Ad 1. *respond*, Libertas quidem requirit indifferentiam in agendo, sed indifferentia illa non necessariò est ad bonum, & ad malum, multóque minus ad bonum, sub ratione boni, & eodem modo ad malum, sub ratione mali. Sed potest illa indifferentia sufficiens esse, solùm intra latitudinem bonorum, veluti in ambulando, & non ambulando. Et confirmatur. Nam Deus est agens liberrimum, neutiquam tamen est indifferens ad agendum benè vel malè. Vide *Lombard. lib. 2. sent. dist. 25.*

28 Ad. 2. *respond.* Appetibile in quantum sub ratione finis & finalis causalitatis consideratur, non comparatur ad objectum, cui aliquid appetimus, sed *ad ipsum appetens.* Hujus enim respectu solùm illam causalitatem exercet. Ex quibus dico: Etsi dedecus, ignominiam, mortem, aliáve aliis cupimus esse, quia ipsis mala sunt, tamen sub ratione mali non movent appetitum ista cupientis, sed potius sub ratione boni. Existimat enim malus homo, *sibi* benè esse, si malè sit *illi*, cuius est inimicus. Tunc igitur in hoc casu movetur voluntas ob aliquo saltem bono & jucundo *sibi*.

29 Ad. 3. *respond.* Invertendo argumentum. Intellectus enim non assentitur falso, nisi per accidens, quatenus scilicet errat, & objectum falsum apprehendit, sub opinione veri. Eodem ergò modo voluntas appetet malum, sed non sub ratione mali, sed solùm sub specie boni. Confer *Aristot. lib. 5. Mor. cap. cap. 29: & 6. Metaph. c. 3.*

Ad

Ad 4. *respond.* Cùm voluntas moveatur ad evitandum vel fugiendum malum, non movetur finaliter à malo, à quo receditur, sed à bono, ad quod acceditur. Quia autem ad bonum aliquod, aliquando pervenire non potest, idcircò consequenter recedit à malo. Atque idem est, in corruptionibus naturalibus. Ibi ad rem corrumpendam non movetur natura, à non esse ejus rei, quæ corrumpitur, sed ab esse ejus rei, quæ generatur. 30

Ad 5 cùm Scriptura dicit, appetitum nostrum solùm ferri ad malum, per malum, intelligitur id, quod est malum moraliter. Cæterùm id, quod est malum moraliter sive vitiosum, nihilominùs ab homine depravato potest apprehendi, sub ratione utilis, vel jucundi. At hæc continentur sub generibus bonorum, secundùm quod dicimus, agens semper moveri à bono, ut superiùs dictum est, *num.* 26. 31

Ex his omnibus relinquitur, quòd malum, quâ malum est, non possit appeti, vel finalem causalitatem exercere. Nunc adhuc inquirendum est 1. *An igitur, ut aliquid finaliter causet, necessariò requiratur, ut sit revera Bonum an verò sufficiat si saltem sit bonum apparenter, & secundùm speciem?* 2. Inquirendum est: *An etiam ea quæ indifferentia sunt, hoc est nec bona nec mala, possint causare finaliter?* 32

De prima quæstione.

An finis necessariò sit vere bonus?

Resp. Satis esse, si id quod finaliter causat, sit Bonum, sive sit apparenter, sive revera. Ita relinquitur 1. Ex dictis in prius decisâ quæstione. Ibi enim aliqua tacta sunt, quæ solùm erant bona apparenter, in se autem erant verè mala, & tamen finaliter causabant. Vide *num.* 24 28 29 31. Deinde à priori patet. Causa, cur finis debeat esse aliquid bonum, est, quia secus movere non posset voluntatem ad se concupiscendum. Ad hoc autem satis est, si proponatur aliquid voluntati sub ratione boni, Et confirmatur. In ista motione sequitur voluntas præcognitionem intellectus. Intellectus autem idem fert judicium de re illa, quæ *existimatur* bona, quod etiam fert de ea, quæ *verè* est bona. Ergò eodem modo voluntas etiam fertur ad id, quod verè est bonum, & ad id, quod est bonum apparenter. 3. Docet id etiam *Arist. lib. 2. Phis. cap. 3. t. 31. Id, cujus gratiâ,* inquit, *optimum finisque* 33 *Q. An finis necessariò sit verè bonus?*

alius esse debet. Nihil autem refert, bonum ipsum dicatur an quod appareat bonum. Sic & l. 3. Ethic. c. 6.

De altera quæstione, in qua quærebatur:

An quod est indifferens, possit causare finaliter?

34 Determinandum prius est, quid sit *indifferens*, quatenus mediat inter bonum & malum. Sic ergò indifferens appellatur illud, à quo non dicimur boni vel mali, quale quid est omnis actio naturalis, veluti edere, bibere, ambulare, vigilare, dormire, ex quibus apparet, indifferens esse non aliquid medium intra bonum quodvis, & malum quodvis, sed solùm intra bonum & malum morale. Ista igitur quæ sic indifferentia sunt, revera possunt bona esse alio modo. Et per hoc possunt illa finalem causalitatem exercere. Reverá enim possumus moveri, ad bibendum, ambulandum, dormiendum, secundùm quod in iis aliquid boni apprehenditur, quòd scilicet utilia sint ad conservationem naturæ. Estque ex his isti quæstioni satis responsum,

Indifferens quid?

2. Quæritur: *An Media possint esse fines?*

35 *Respond.* Medium bifariàm intelligi, vel formaliter sub ratione medii, quâ est medium. Deinde materialiter, hoc est pro re, quæ suscipit hanc appellationem, ut dicatur medium Sic ergò dico Medium posteriori modo sumptum posse esse finem. Nam res, quæ medium est nunc ad aliquem finem, poterit enim alio respectu terminare actionem, & in aliquo genere propter se appeti, Et ita est in finibus subordinatis, qui sortiuntur rationem mediorum, in collatione ad fines, ulteriores, sunt tamen reverà etiam fines in his generibus Et sic rectè ait *Zabar. lib. 1. de nat. Log. cap. 11. p. 16.* Ergò fieri posse, ut aliud tum ad alia utile sit, tum etiam ipsum per se aliquam dignitatem habeat, & non modo ipsum propter alia, sed etiam propter seipsum expetibile sit. Sed *an medium, qua medium est, causat etiam finaliter?* Existimat ita *Gabr. l. 1. sent. d. 38. art. 1.* & id quidem propterea, quia media possunt appeti à voluntate. Sed quicquid est appetibile, debet movere voluntatem ad sui desiderium. Et sic causat finaliter. Sed tunc *resp.* medium, quâ medium est, non causare finaliter. Nam unaquæque res reduplicata supra se excludit quodvis, quod non est ipsum. At finis & medium sunt distincta. E. Finis ut finis non est medium. Et medium ut medium non est finis.

Status quæstionis.

Ad

Ad *objectionem*, quòd quicquid est appetibile habeat rationem finis. *Respond.* Verùm esse illam propositionem, si finis sumatur materialiter, hoc est, pro re, quæ dicatur finis Ergò quicquid est volibile, hoc est finis, hoc est, talis res, quæ possit habere rationem finis. Unde porrò consequitur, medium prout ad sui desiderium movet voluntatem, non habere rationem medii, sed hâc ratione præcisâ eo respectu solùm esse finem.

Instas: Medium quâ medium est utile. Ergò medium quâ medium est bonum. Nam utile connumeratur in divisione bonorum ab *Aristot. lib. 2. Ethic. c. 3* & *Ambros. l. de offic. c. 9.* At bonum & finis idem sunt. Ergò medium, quâ medium, est finis. *Respond.* Bonum & finis idem sunt non formaliter (alia enim formalitas est, quę voce *boni* importatur, & alia est formalitas, quæ voce *finis* importatur. Illud enim est aliquid absolutum, sed hoc est relativum) sed materialiter, hoc est, ea res, quæ est aliquid bonum, potest etiam esse finis, quanquam hoc etiam exceptiones habere volunt *Conimbr. disp. 2. Ethic. q. 1. art. 2.* in divinis actionibus internis, quas nos etiam diximus *num. 20.* non habere rationem finis. Sed quicquid sit in identitate boni & finis, bonum relativè sumitur, prout alicui bonum est. Alioquin grandes divitiæ aliquid per se bonum sunt, & tamen non sunt pro fine ei, qui suâ sorte contentus est. Ex quo sequitur: Bonum non sub omni relatione finem esse, & sic, quia medium est, aliquid bonum idcircò potest esse finis, sed tamen non necessario ab ea ratione, quâ medium est debet esse finis. Confer (*Colleg. Conimbr. 2. Phys. c. 7. q. 21. art. 22.* Deinde bonum quatenus identificatur cum fine, non comprehendit utile. Nam utile primò dicit illud, quod est commodum ad aliud. Utimur eo quod referimus ad obtinendum aliud, inquit *August. l. 1. de doct. Christ. c. 4.* & ex eo *Lombard. l. 1. d. 1. B.* At finis dicit primò illud, quod est commodum per se, & quod per se allicit aliud ad sui desiderium. Consequens igitur est utile & finem habere rationes oppositas, Eóque ipso, quia medium, quâ medium est utile, idcircò non esse finem. 36

Bonum finale non comprehendit utile.

Quæritur. III.

An incognitum possit esse finis?

Videtur quòd sic: 1. Nam agentia naturalia (prout ea contra arbitraria distinguuntur) agunt propter finem. Et tamen

men finis non poteſt ab iis cognoſci. II. Si finis ſemper deberet eſſe cognitus, tum fatui & furioſi, & pueri non agerent propter finem. At hoc eſt abſurdum.

Nihilominus contraria ſententia vera eſt. Nam receptiſſima eſt ſententia, quòd ignoti nulla ſit cupido, unde argumentor: Quod eſt finis generet in agente ſui amorem, deſiderium, ſive cupidinem. Nam in iſta Metaphorica motione conſiſtit cauſalitas finis, ut poſtea dicetur. Sed ignoti nulla eſt cupido vel deſiderium, ut ex vulgata ſententia ſupponitur; Ergò nec ignotum poteſt eſſe finis. Similia habent *Auguſt. l. 10. de Trinit. cap. 1. 2. l. 15. c. 26. l. 3. de lib. arb. c. 25. Bernaſerm. 7. 8. 52. in Cantica. Ariſtot. 3 de an. c. 10.* Videtur inprimis *Suarez. diſp. 23. Metaph. ſ. 7.* 38

Ad primam objectionem reſpond. Cùm agentia naturalia agunt propter finem, illius actionis Finis non eſt ſimpliciter incognitus. Nam in quavis actione comprehendenda eſt adæquata illius cauſa, quæ non eſt ſola cauſa particularis, ſed ſimul etiam agens primum. Cùm igitur hoc ſit agens intellectivum, utique actio illa, quæ eſt ab agente naturali, non eſt è fine incognito. Hâc de re ſuprà ſatis dixi *n. 14. ſeqq.* Ad alteram dico: Cùm pueri, fatui, furioſi agunt propter finem, non agunt propter incognitum. Nam cognitio ad finaliſandum requiſita ſaltem debet eſſe apprehenſio alicujus bonitatis ſive convenientiæ in re aliqua, Bonitatis, inquam veræ, vel apparentis. Talis autem cognitio in iis eſſe poteſt, ut eſt evidens.

IV. Quæritur.

An non Ens poſſit eſſe finis

Reſp. Non Ens aliquando eſt appetibile. Ergò etiam aliquando habet rationem finis, illi enim qui patiuntur exquiſitas calamitates, optant ſe non eſſe. Et idem eſt de peccatore pœnitente, qui vellet, ſe nunquam genitum pro eo, quòd Deum offendit. Addendum tamen eſt: Solùm Ens per ſe eſſe finem. Non Ens autem ſolùm ex Accidenti, in quantum ſcilicet per non eſſe aufertur aliquod malum, quod habemus, Ablatio autem mali non appetitur, niſi quia malum removet aliquod eſſe in nobis. Adæquatum igitur objectum per ſe finalizans eſt Ens. Vide *Thom. 1. p. q. 5. art. 2. Soncin 9. Metaph. q. 16. Conimbr. 2. Phyſ. cap. 7. quæſt. 23.* 39

IV. An

IV. *An fines Cauſet in Eſſe reali, an in eſſe intentionali?*

Inprimis in omni fine tria conſiderari poſſunt. Ita faciemus in ſanitate, quæ finis eſt Medici. Ergò ſanitas poteſt primò conſiderari ſecundùm exiſtentiam, hoc eſt, prout producta eſt à cauſis ſuis, & actu eſt in aliquo, qui ægrotus fuit. Deinde ſecundùm eſſentiam ſolùm, hoc eſt, prout ea non exiſtit, ſed ſolùm poſſibilis eſt ut exiſtat. Denique prout ſanitas in mente eſt, & ab ea apprehenditur. Priores reſpectus loquuntur de ſanitate, & in genere, id eſt, de omni fine, ſecundùm eſſe reale. Alter eſt de eſſe intentionali, quod alii eſſe cognitum dicunt. Igitur finem cauſare ſecundùm eſſe intentionale exiſtimat *Soncinas* 5. *Metaph. quæſt* 3 Ideòque tribuitur *Thomæ* 1. *ſecundæ q.* 21. *art* 1. *Aviccennæ* 6. *Metaph. cap.* 5, Deinde alii dicunt. finem cauſare in eſſe reali. ut *Favellus Met. q.* 6. *Perer. l* 8. *Phil nat c.* 4 *Fonſe a* 5. *Met, c.* 2, *q.* 10 11. *Suar:* 23. *Met ſ* 8. *Colleg: Conimb: l.* 2. *Phyſ. c.* 7. *q.* 23. Alii tamen, ut *Fonſeca* & *Favellus* referunt, utramque ſententiam amplexi ſunt. Ajunt igitur finis iſta duo eſſe officia, unum, ut excitet deſiderium in agente. Alterum, ut quietet & ſedet deſiderium agentis. Prius igitur officium ajunt finem habere in eſſe cognito, poſterius in eſſe reali. Quid ſentiendum, breviter dicam per certas propoſitiones.

I. Finis non eſt Cauſa, prout actu exiſtit. Ita patet. Nam cum res exiſtit, tum eſt extra omnes ſuas cauſas producta, nec ampliùs latet in earum potentia. Unde conſequens eſt, nec tum finem cauſare poſſe, qui & ipſa cauſa eſt. Vel aliter cùm res actu exiſtit, tum habet etiam formam, Forma enim eſt id, quod intrinſecè rem actuat, At quod habet formam id hoc ipſo jam effectum eſt. Forma enim & effectum tempore ſimul ſunt. Eſſe autem effectum. Et tamen adhuc pendere à cauſa *(finali)* implicat. 41

II. Finis non eſt Cauſa in eſſe cognito vel intentionali. Ita patet. Nam finis eſt tale quid, ut propter illud res ſit, & ſic illud alliciat agens, & menſuret atque ordinet media. At propter illud eſſe intentionale *finis*, aut cognitionem finis non eſt res. Nec iſta allicit agens ad deſiderium, ſed potiùs res ipſa, quæ cogitatur vel ſperatur. Deinde finis eſt tale quid, ut ex parte ejus poſſit aliquándo eſſe fruſtratio, ita, ut aliquando non acquiratur. Nihil enim frequentius eſt in actibus humanis, quàm ut hæ fruſtrentur finibus ſuis. At illa fru- 42

ſtratio non habet locum, ſi finis ſit ægroti, verbi gratiâ, eſſe intentionale, vel cognitum ſanitatis Hanc enim omne agens habet; nec eâ fruſtratur unquam: At ipſâ re cognitâ fruſtratur quandoque. Ergò, ipſa res cognita potiùs eſt finis.

43 Rejicimus autem per hoc etiam alternatam ſententiam eorum, qui partem in eſſe intentionali, partim in eſſe reali finem dicebant eſſe cauſam, ut referebatur *n.* 40. Concludunt enim argumenta iſta nullo modo intentionale eſſe, poſſe eſſe finem. Ac iſtud quidem finis officium, quod eſt in movendo agente, menſurandis & ordinandis mediis, &c. poſſe omninò referre ad eſſe reale finis poſtea apparebit,

44 *III. Cognitio finis, aut eſſe intentionale ejus, eſt conditio requiſita ad finalizandum.* Ergò quemadmodum ſe habet approximatio, ſive contactus agentis ad patiens, ut poſſit aliquid cauſare effectivè, ita ſe habet cognitio rei finalizantis ad cauſalitatem finalem. Nam per hanc etiam res illa finalizans habet ad proximationem & contactum, quaſi ad cauſam agentem. Potéſtque ſecundùm hanc propoſitionem in bonum ſenſum trahi ſententia eorum, quia ajunt finem cauſare eſſe intentionali. Nempe ſenſus eſt poteſt: Rem illam, quæ finalizat, hoc eſt, finalem cauſalitatem exercet, non facere id, niſi ei accedat hæc conditio, ut cognoſcatur vel apprehendatur â mente agentis. Et ſic iſta res nihil habet incommodi.

45 *IV. Finis ſolùm cauſat in eſſe reali.* Hoc eſt, res illa, quæ objicitur intellectui, & apprehenditur ab eo, exercet omnem finalem cauſalitatem: Vel conceptus objectivus rei, non conceptus formalis, eſt finis rei, Ita patet 1. per argumenta facta ad ſecundam propoſitionem. Deinde omnia officia finalia conveniunt in eſſe reali finis, Ergò finis in eſſe reali eſt finis, Antecedens dubium eſſe videtur, quia hoc etiam ſit officium finale, excitare agens ad agendum, &c. Hoc enim non videtur convenire eſſe reali. At hoc etiàm maximè ei convenit. Nam omninò res ea, quæ apprehenditur, vel intenditur, vel cognoſcitur, eſt hoc ipſum quod excitat agens. Dico: Res *quæ apprehenditur, &c.* Nam ſemper ſuppono conditionem ad finem requiſitam eſſe hanc, ut cognitus ſit ab agente. Deinde ſemper hîc addendum eſt, eſſe illud reale, intelligendum non eſſe de præſenti exiſtente (ut antè oſtendi (ſed intelligendum de eſſe futuro, eòque, quod nondum eſt.

Dubium

Solvitur.

Dices:

46 *Aliud Dubium.*

Dices: Officium finis est etiam hoc: Excitare desiderium agentis, & ipsum quietare, quod non convenit in esse futuro, sed in esse præsenti, & acquisito.

Resp. Quietare causam efficientem non convenit fini purè & simpliciter ex causalitate finali; sed convenit fini, ut transit quasi in effectum sive fine acquisito. Finis, ut causa est, non est quietare, sed movere agens, & facere media amabilia. Quietare autem consequitur sui productionem sive acquisitionem, ait *Javellus* rectè, *l. 5. Met. q. 6.*

47 *Solvuntur obiectiones.*

Atque ex his satis solvi possunt contrariæ objectiones. Majoris perspicuitatis causâ tamen aliquas adjiciam.

I. Objicitur, Ut aliquid causet actu, requiritur, ut sit actu. Ergò & finis non potest causare, nisi sit actu. Aut ergò causabit, Cùm est actu productus finis. Atqui tunc est effectus. Aut causabit solùm, cùm est cognitus, aut habet actum quendam in mente. *Resp.* Finis nec causat finaliter, cùm est actu productus, ut dictum in prima propositione: nec causat in esse intentionali, ut dictum tertiâ propositione, sed causat secundùm esse reale, quod est possibile, & nondum est. 2. Advertendum hoc interesse, inter agens Physicè, & agens Metaphoricè, quòd istud requirit existentiam actualem, hoc non; sicut objecta scibilia etiam agunt cùm nondum sunt, in generando scilicet conceptum sui in animum præscientis. Hoc ergò modo finis etiam, qui solùm Metaphoricè agit, non requirit actualem sui existentiam, sed sufficit, si ejus futurum esse apprehendatur ab agente Hinc enim satis disponitur & actuatur agens ad agendum.

48

II. Obiicitur: Finis in esse reali est effectus, non causa. Item cùm finis est in esse reali cessat actio agentis, &c. Ergò finis non est causa in esse reali. *Resp.* Negando antecedens. Finis in esse reali (possibili & futuro, adeòque eo, quod nondum est) non potest esse effectus, nec per illud cessat actio agentis, sed eo ipso, quia illius esse solum possibile & futurum est, adhuc agit agens. Alioquin autem nec nos dicimus finem in esse reali *acquisito* esse causam. Ex his cætera argumenta etiam dijudicari possunt.

V. Quænam sit causalitas finis?

49

Hæc quæstio ex superioribus clara est, unde dico summatim: Causalitatem finis posse describi ex respectu ad duo. 1. Respectu efficientis, Causalitas finis est ipsum extimulare, & excitare ad agendum. 2. Respectu mediorum causalitas finis est,

est, ipsa præscribere, mensurare eorum numerum, dignitatem, ordinem, necessitatem. Eadem si amara sint dulcorare, & amabilia facere. Sic sanitas est finis ægroti & medici. Ergò ægrotus medicum consulit, & medicus curam adhibet & prout contra hunc vel istum morbum sanitas est introducenda, sic etiam diversa remedia præscribit, & ægroto sub spe finis amara & aspera media amabilia sunt. Atque hoc dico de fine agentis vel actionis. Causalitas autem finis respectu rei effectæ, est hæc ut propter eum res effecta dicatur esse.

PRIMÒ.

De divisionibus finis.

I. Finis est proximus vel remotus.

50 Hæc divisio sumitur ex *Aristot. 1. Metaph. cap. 2.* ubi fecit subordinationem finium: Ut deambulatio sanitatis causa est, *inquit*, illa verò felicitatis, felicitas verò alterius, ita semper aliud alterius gratiâ est. Sic ergò vel finem vocamus id, ad quod proximè & immediatè ordinatur actio vel res. Et sic est finis proximus, Vel vocamus id finem, in quod res refertur mediante alio. Et tunc est finis remotus. Quod si hic finis non referatur ad alium finem ulteriorem, dicitur finis ultimus. Sic verbi minister concionatur ad hunc finem, ut convertat homines. Hic est finis proximus, Remotus est, quòd per hoc vult manifestare gloriam Dei. Finis proximus Medici est in particulari, curare ægrotum. Finis remotus est hoc modo conservare Rempublicam. Et sic deinceps.

Observatio. Cæterùm hic observandum: Finem ultimum intelligi vel simpliciter, vel secundùm quid: Simpliciter ultimus est, qui prorsus non refertur ad alium; Talis est Dei gloria. Secundùm quid ultimus est, qui in certa aliqua re veluti arte, scientiâ negotio, &c. ultimus est.

Non immeritò tamen hic dubitari potest.

An bona sit ista divisio?

51 Quia de ratione finis videtur esse quòd sit ultimus. Unde esse finem, qui tamen non sit ultimus, videtur esse repugnantia. Et videtur id indicare *Aristot. 2. Metaph. 2.* ubi definiens finem, ait, finem esse tale quid, quod non est alterius gratiâ, sed ejus causâ cætera. Τὸ δ' οὗ ἕνεκα τέλος· τοῦτο γὰρ ὃ μὴ θέλει ἕνεκα ἄλλου τὰ δὲ ἄλλα ἕνεκα τούτου. Sic & *1. Ethic. cap. 7.* dicitur id esse finis, quod *ultimò* appetitur, & in quo sistentur.

omnia

omnia alia. Nihilominus quemadmodum in omnibus causis aliis, est aliqua earum subordinatio, ita nulla ratio est, cur & in finibus non sit subordinatio. Possèque adeò etiam finem proximum & subordinatum ad finem alium esse verè finem in suo genere patet clarissimè, quòd ipse etiam excitat agens ad agendum, & ordinat media.

Ad objectionem igitur dicendum: Quod generaliter dici possit: *nullum finem esse alterius gratiâ.* Et sic etiam fines subordinatos non esse alterius gratiâ, idque duplici sensu. *Prior* est, ut quicquid est finis, habeat in se aliquam bonitatem propter quam sit appetibile. Ergò non alterius gratiâ appeti est nihil aliud, quàm non appeti propter bonitatem, quæ sit extra id, quod finem dicimus. Atque sic finis subordinatus non appetitur alterius gratiâ, sed juæ ipsius bonitatis gratiâ. *Posterior* sensus est, si dicatur finem in ista conditione comparari solùm cum mediis. Ergò finis (omnis) non appetitur alterius gratiâ, hoc est, gratiâ mediorum, sed ad ipsum omnia alia (media) referuntur. Et sic finis subordinatus hoc sensu etiam non est alterius gratiâ. Neque enim sanitas, verbi gratiâ, est propter deambulationem vel propter usum medicamentorum, sed deambulatio & usus medicamentorum sunt propter sanitatem. Et tamen sanitas non est finis ultimus, sed subordinatur ad fines alios, veluti Reipublicæ salutem, Dei gloriam, &c. 52 *Nullus finis est alterius gratiâ*

II. *Finis est Cujus vel Cui.*

Hæc divisio sumitur ex *Aristot. 2. de an. c. 4. t. 37.* Αὐτῶν ὃ τοῦ ἕνεκα, τοῦτο, τίνος. Duplex est finis, alius Cujus, alius Cui. Idémque deducitur ex 2. *Phys. c. 2. t. 24. & c. 7. t. 7.* Ac finis Cujus quidem appellatur is, cujus consequendi gratiâ aliquid fit. Finis Cui autem appellatur is, cui adaptatur ille finis Cujus, vel in cujus gratiam aliquid fit. Sic sanitas Medici finis est. Finis, inquam, Cujus. Operatur enim Medicus hujus producendi gratiâ. Ægrotus autem, ejus finis Cui est. Cui enim adaptat vel recuperat sanitatem Medicus? Vel in cujus gratiam operatur? In gratiam *ægroti* operatur, ut ei adaptet sanitatem. 53

Cæterùm hæc divisio non uno modo accipitur à Philosophis. Alii igitur volunt esse solùm divisionem nominis ambigui, existimantes finem ὡς & τί non convenire in communi ratione causæ, sed solùm alterutrum esse causam, ubi rursus varietas est. Alii autem censent esse omnino divisionem rei, & 54 *Referuntur variæ sententiæ de hac divisione.*

& utrumque finem Cujus & cui, vere esse causam, vel finalem causam. Hæc igitur res, ut sit plana, aliquæ quæstiones solvendæ sunt.

I. QUÆRITUR:

An finis ὡ sit verè finis, sive finalis Causa?

55 *Argumenta negativæ partis.*

Negativa multorum est recentium Philosophorum, fuitque aliquorum vetustiorum etiam, ut *Occam* refert 2. *sent.* Isti ergo volunt finem ὡ non esse causam, sed subjectum. Probaturque hæc sententia: 1. quia passim *Aristoteles* finem definiens, definit per *cuius gratiâ*, unde etiam appellat ipsum finem τὸ ἕνεκα, *Cuius gratiâ* 1. *Aristoteles* Finem Cui, appellat finem quodammodo, 2. *Phys. cap.* 2. *t.* 24. *S*umus & nos *quodammodo* finis, Vox autem *quodammodo* indicat cum improprietate quadam finem Cui dici finem. Sicuti *Aristoteles* etiam privationem appellat passim εἶδος πῶς quodammodo speciem, hoc sensu, quòd sit species vel forma cum vocum harum improprietate.

59 *Finem Cui esse verè finem.*

Nihilominus meliùs dicitur cum aliis Philosophis (vide *Biel.* 2. *dist.* 1 *quæst.* 5. *Henr. quod l.* 2. *q.* 1. qui hac in re sequuntur *Occam Suarez dist.* 23. *Metaph. sect.* 2 *num.* 2. *seq. Fonsecam lib.* 5. *Metaph. cap.* 2. *quæst.* 10. (1.) quòd finis Cui revera sit finis vel finalis causa. Et id patet evidenter inde, quòd finis Cui mensurat etiam, & ordinat media, quæ officia non conveniunt fini, hoc est, finali causæ. Antecedens patet Nam Medius, verbi gratiâ, ex respectu ad finem Cui adhibet remedia pretiosa vel viliora, prout novit ægrotum esse divitem, vel pauperem. Item alia remedia facit molliora, alia aspetiora, prout videt ægrotum esse fortem vel debilem. Sic ex respectu ad finem Cui minister verbi mensurat suam concionem, per quam vult aliquem hominem convertere, nempe prout videt afflictum & contritum auditorem, vel partinacem & obstinatum peccatorem, concionatur vel ex lege, vel ex Evangelio. Et sic est in aliis. At cui conveniunt officium & causalitas finis, illud ipsum necessariò est verè finis.

57 *Quomodo dicatur subiectum.*

Quòd autem finis Cui subjectum, dicitur id dextrè explicandum est. Est enim diverso respectu subjectum & causa. Primò igitur potest finis Cui referri ad finem Cujus, & sic subjectum est τὸ finis Cujus. Finis autem Cujus est adjunctum illius, Veluti *sanitas*, quæ est finis Cujus, est adiunctum

ægrori,

ægroti, qui est finis Cui. Sic *iustitia, pietas, aut conversio* Auditoris, quæ est finis Cuius in prædicatione verbi est adiunctum futurum *auditoris*, vel peccatoris convertendi, qui est finis Cui. Et sic est in aliis. Deinde potest finis Cui referri ad agens & media, & sic non est subiectum, sed à nobis dicitur Causa. Satis autem est, si finis Cui sit finis respectu agentis & mediorum. Nam neque finis Cuius aliter causa est.

58 *Solvuntur objectiones*

Nunc facilis est superiorum obiectionum solutio. Nam 1. fini φ potest etiam vulgata appellatio finis (τὸ τέλος) accommodari, & ejus etiam gratiâ res dicitur esse. Ita *Arist.* locus relatus est suprà, *n.* 53. ubi finem appellat τὸ τέλος. Omninò etiam optimè dici potest, medicum operari *ægroti* gratiâ; Christum venisse in mundum hominum gratiâ, vel propter hominem. Hic tamen designantur fines φ. Vide superius dicta *ad n.* 7. *huic capitis.* 2. Quod *Aristoteles* ait finem φ esse quodammodo finem, Id non fit ad minuendam significationem vocis finis, sicut aliàs quidem *Aristoteles* eam vocem usurpat, sed hoc vult *Aristoteles*, Alium modum, (ab eo quo finis τέλος dicitur finis) esse eum quo finis φ dicitur finis. Vide aliam etiam expositionem apud *Fonsec.* 5. *Metaph.* c. 2. q. 10 *sect.* 1.

Quomodo finis Cui dicatur finis quodammodo?

II. Quæritur

An finis τέλος sit verè finis?

59

Solum finem φ esse verè & propriè finem ajunt *Occam, Gabriel,* & *Henricus* locis proximè citatis; Unde consequenter negant, Finem τέλος esse verè finem. Isti probant suam sententiam sic. Illud est propriè finis, ad quod cætera referuntur. Alia enim quæ aliò referuntur, non tam sunt finis, quàm media ducentia ad finem. Atqui tale quid simpliciter & solùm est finis φ, *cui*, Et non finis *cujus*. Nam ad finem *cujus* refertur actio, sed secundùm quod ista proportionatur, & est commoda fini *cui*. Atque sic finis *cujus* induit rationem medii. Hujus enim est, ut illúd referatur ad aliud, prout illud, est proportionatum, vel commodum ad finem.

60 *Finem τέλος verè esse finem.*

Hæc tamen sententia ab aliis ferè communiter impugnatur. Imprimis certè *Aristoteles* passim satis clarè finem *cuius* vocat *finem*. Sufficiunt ex multis loci suprà citati *num.* 53. Ubi cum dixisset de fine *cujus in* 2. *Phis. cap.* 2. quòd sit finis & causa, subjungit alio modo finem esse etiam nos, hoc est, finẽ *cui*. Neq; valida est ratio opposita. Nam 1. non est de

ratione

ratione finis, ut sit aliquid ultimum, hoc est, non subordinatum alteri, ut vidi ad priorem finis divisionem. Et sic ergò finis *cujus* referretur ad finem *cui*, tamen non desineret esse finis vel finalis Causa, sicut nec alii fines subordinati. 2. Quòd autem finis *cujus* remoto respectu ad finem *cui*, adhuc verè sit finis, patet, quia & ipse mensurat & ordinat media, & extimulat agens. Veluti sanitas appetitur, & extimulat medicum & ægrotum: ut agant ad sanitatem producendam, non solùm quia est commoda homini, sed etiam quia in se est amabilis & bona. Unde apparet discrimen inter finem *cujus* & medium. Nam medium quod solùm medium est, & non etiam finis: Aliquando enim coincidunt finis & medium) de se & in se non habet bonitatem vel amabilitatem, sed accipit solùm eam ex ordine ad finem, ut apparet in sectione & ustione, amarâ potione, quæ sunt media ducentia ad sanitatem.

61 *Qualis sit divisio finis in finem* cujus *&* cui.

Atque ex his relinquitur summatim & finem $\frac{2}{3}$, & finem $\frac{3}{2}$ esse verè causam finalem, ac proinde suprà positam divisionem non esse distinctionem nominis ambigui, sed esse divisionem rei. Solet porrò inquiri, quis potior sit finis, an finis *cujus*, an finis *cui*? De qua quæstione qui valet, videat *Suarez disp.* 13. *Metaph. s.* 2 *n.* 6. *seqq.*

III. *Finis est formalis, vel objectivus.*

62 *Finis formalis & objectivus unde dicantur?*

Finis objectivus est, qui possidetur. Finis formalis est actio quâ objectivus possidetur. Ita definiunt Conimbricenses *disp.* 2. *Ethic. q.* 2. *art.* 2. Si mavis, potest generaliùs dici finem objectivum esse istud objectum, ad quod ferimur, vel in quo occupamur, vel cui jungimur, &c. Finem autem formalem esse actum, vel formam, vel modum, quo in illum ferimur, vel in eo occupamur, vel ei jungimur. Atque sic etiam insinuatur ratio appellationum in istis finibus, cùm scilicet dicantur formalis vel objectivus. Alii finem formalem appellant finem *Quo*: Et finem objectivum appellant finem *Qui*: Exempla sunt. Deus est finis noster. Et etiam Dei visio est finis noster. Ille est finis objectivus. Hic est finis formalis. Ferimur enim ad Deum, sed possidemus eum per illius visionem vel intuitum. Sic finis architecti est ædificare. Et rursus finis ejus est domus, ad quam refert actionem suam. Ille est formalis, hic objectivus. Id enim quod objicitur architecto, ut illud concupiscat, est domus. Terminatur autem ejus concupiscentia in domo per ædificationem, vel occupatur.

Cæterum

Cæterùm etsi finis formalis & objectivus sunt res diversæ, quoad Entitates singulorum, ut jam visum est: tamen in ratione causandi ferè sunt una causa, ut *Thomas* habet 1. 2. *quæst.* 11. *art.* 3 Nam quia actus non potest fieri, nisi per objectum, & rursus etiam circa objectum occupari non possumus, nisi mediante aliquo actu vel formâ, idcircò actus & objectum isti actui accommodatum exercet finalem causalitatem, excitando sui desiderium per modum Unius. Coincidit autem divisio hæc cum ista, qua finis illius dicitur præexistere operationi agentis. Hic enim est finis objectivus. Et alius, qui per actionem efficitur. Et hic est finis formalis. 63 *Convenit unì ferè in ratione causandi:*

IV. Finis est indigentiæ vel assimilationis. 64

Hæc distinctio vulgò traditur de fine indistinctè, inde nos etiam sine adjectione vel determinatione diximus finem alium esse finem indigentiæ, alium assimulationis. Sed tamen non malè dicitur convenire divisionem fini non in genere generalissimo, sed in genere subalterno, nempe post divisionem in finem Cujus & Cui. Igitur finis Cui assimilationis vel indigentiæ. Ergò finis indigentiæ est, qui ad sui commodum indiget mediis illi fini destinatis. Sic homo est finis omnium rerum creatarum, quia omnibus indiget homo. Finis autem assimulationis (qui & finis perfectionis dicitur) est qui non indiget mediis illi destinatis. Ita omnia sunt propter Deum. Omnia Deus propter semetipsum operatus est, *Prov.* 16. *v.* 4. Istos fines distinguens, *Scalig. exerc.* 250. *sect.* 1. Ambigua, *inquit*, significatione sumitur ista propositio, cùm dicimus. Omnia sunt propter hominem, Et homo est propter Deum, quia homo ut esset, & ut benè esset, opus eis habuit. Deus autem non ita. Imò Deo opus habet homo, ut sit, & ut benè sit. *Maximè intelligitur hæc divisio de fine Cui*

Quæris hîc: *Quomodo Deus dicatur finis assimilationis respectu omnium.* Nam inter illa omnia comprehenduntur etiam Elementa, lapides, bestiæ. Ista autem quomodo assimilantur Deo? *Respond.* Solum hominem proximè assimilari Deo, & proinde Deus dicatur finis assimilationis potissimùm respectu hominis. Assimilatur autem homo Deo per justitiam & sanctitatem, per quam unitur cum suo ultimo fine, hoc est, Deo. Alia autem entia non assimilantur Deo in se & immediatè, sed mediante homine. Ad hominem enim omnia referuntur, & per hunc ad Deum. Satis ergò est, si homo Deo assimiletur, ut proinde 65

Deus

Deus dicatur finis assimilationis, sed tum porrò quæritur: *An omnia sint propter hominem?*

66 Affirmationem hujus suppono in prioribus, sed habet non nihil dubii. Est tamen pro me *Scalig. exerc.* 250. *sect.* 1. *Selneccerus in pædag. Christ. p.* 79. *&* 105. *art.* 2. Et *Arist. l.* 2. *Phys. c.* 2. *t.* 24. Nostri gratiâ, *inquit*, sunt omnia. Et idem docet 2 *Polit. c.* 5. ubi ait, etiam istas bestias meliores esse, quæ sub hominis imperio sunt.

67 *Objectiones* Ceterùm sententia ista non videtur carere difficultate. Nam 1. cœlum non videtur esse conditum propter hominem. Aliàs enim cœlum esset ignobilius homine, nam omnis finis est nobilior destinatis ad ipsum ex 3. *Top. c* 1. & *l.* 1. *mag: mor. c.* 2. At cœlum divinissimum corpus appellat *Aristot.* 1. *de cœl. c* 2. *t.* 13. Deinde quomodo propter hominem facta sunt ista, quæ venenosa sunt, veluti serpentes, scorpiones, basiliſci, &c. Itémque quæ molesta sunt aliàs homini, ut pulices, pediculi, mures, ranæ? Rursus quomodo conducit homini Leo, ursus & alia satis insignia animalia?

68 *An etiam cœlum sit propter hominem?* Quantum ad primum horum *Pererius* existimat ad tuendam dignitatem cœli supra hominem, solùm omnia (subcœlestia) esse facta propter hominem, non autem cœlum ipsum, *lib.* 2. *de Philos. Nat. cap.* 6. In oppositum tamen *Scal. exer.* 250. *sect.* 1. probat etiam cœlum factum esse propter hominem, ex operationibus cœli. Et *Selnecc. sup. cit. loc.* idem deducit ex ordine creationis, quòd scilicet homo ultimò conditus est, tanquam Dominus, propter quem omnia priora sint condita. Ergò dimissâ hâc Pererii responsione, dico primò: Videri cœlum etiam esse ignobilius homine, si absolutè loquamur. Operatio enim indicat essentiam. Ergò operatio nobilior indicat nobiliorem essentiam. In homine autem nobiliores sunt operationes, intellectionem puto, & volitionem, & recordationem, quàm sunt in cœlo. Imò secundùm *Augustinum lib. de vera relig. cap.* 28. *&* *de duabus animab. cap.* 4 quælibet viva substantia cuilibet non vivæ substantiæ, naturæ lege præponitur, unde infert, vel muscam Soli præferendam? Quod tamen in ea generalitate hic non disputo. Sunt enim aliqui graves Philosophi, qui admittunt vivum esse nobilius inanimato, excipientes tamen animalia imperfecta, & quæ ex putredine gignuntur, quæ de re si libet, vide *Colleg. Conimb.* 2. *de cœl. c.* 1. *q.* 2.

Cœlum ignobilius homine.

Relinquitur autem ex superioribus, Cœlum esse Corpus divinissimum.

Relinquitur autem ex ſuperioribus, Cœlum eſſe corpus diviniſſimum & nobiliſſimum. ſolùm quantum ad aliquas conditiones. Nihil autẽ repugnat, ut quod eſt nobiliſſimũ in uno tertio, ſit tamen ignobilius in tertio alio. Nobiliſſimum ergò erit cœlum, non conſiderando eſſentiam abſolutè, ſed conſiderando incorruptibilitatẽ inprimis. *Secundò* dico, Nobilitatem, quam finis habet ſuper media, non eſſe neceſſariò abſolutam, ſed ſolùm conſiſtit, & ſæpè in reſpectu. Nempe finis, in quantum finis, eſt nobilior deſtinatis. Aliàs tamen Entitate abſoluta, vel ſumendo finem pro re ſubſtrata, finis aliquando eſt ignobilior mediis. Sicut Angeli abſolutè ſunt nobiliores hominibus. Et tamen inter alios fines etiam diriguntur ad miniſterium hominum.

Quomodo ſit cœlum corpus nobiliſſimum? 69

Finis quomodo nobilior mediis?

Quantum ad alterum ſciendum eſt, Omnia quidem eſſe propter hominem, ſed tamen id non eſſe eodem modo, ſed aliter atque aliter. Ergò *primò* omnia ſunt propter hominem, ut inde ſumat materiam glorificandi Deum. Ita etiam cœlum eſt propter hominem, juxta *Pſalm.* 19. *ver.* 2. Cœli enarrant gloriam Dei. Ubi enarratio tribuitur cœlo, non cauſaliter, ſed occaſionaliter, quòd ſcilicet homo inde ſumat materiam, & occaſionem enarrandi gloriam Dei. Sic eleganter inquit *Chryſoſt. homil. 9. ad pop. Antiochen.* Quomodo enarrant cœli? per ipſum aſpectum. Cùm enim videris pulchritudinem, magnitudinem, celſitudinem, ſitum, formam, per tantum temporis permanere, tanquam vocem audiens, & ad aſpectum diſcens adores eum, qui tam pulchrum & amabile corpus creavit. Tacet cœlum, ſed ipſius effectus vocem tubâ clariorem emitti, per oculos, non per aures docens. Confer Clariſſim. *Schoderum in Opuſcul. Theologic. cap.* 2. *ſect.* 2. *quæſt.* 1. *pag.* 293. *Secundò*: Aliqua ſunt propter hominem quo ad eſſe aliorum, ut Elementa. *Tertiò*: Aliqua ſunt propter hominem ratione victûs, ut multa olerum, herbarum, leguminum, avium, quadrupedum, piſcium, &c genera. *Quartò*: Alia referuntur ad ipſius amictum, ut pelles vulpium, luporum, &c. *Quintò*: Alia referuntur ad medendum illi, vel per introſuſceptionem, vel per externam applicationem. Huc iterum pertinent multa genera herbarum, &c. Imò etiam venena, quæ alioquin primò pernicioſa ſunt homini, hic homini ſunt utilia. Veluti qui læſi ſunt veneno Scorpionum, non curantur niſi ſcorpionibus. Et Theriaca ſimiliter conficitur ex parte una, ex rebus venenoſis,

Omnia ſunt propter hominem, ſed diverſimodè. 69

sis, ut *Scaliger* tradit *exerc.* 33. *sect.* 22. Sic & superioribus annis innotuit pulvis serpentarius, qui præservat contra cujusvis generis venenæ, *Sexto.* Alia inserviunt homini, ad contractus, ut metalla, aurum, argentum. *Septimò:* Alia ad habenda ea, quibus proximè eget. Velut ea, quæ sunt pabula pecorum, equorum. *Octavò:* Alia sunt propter hominem, ut in iis contempletur exempla, vel imagines virtutum, ut hinc ad eas alliciatur, veluti intueri potest in Leone fortitudinem, in turture pudicitiam, in ciconia gratitudinem, in serpente prudentiam, in columba simplicitatem, &c. *Nonò:* Quòd si aliqua, primò molesta vel pernicioſa sunt, habet saltem hunc usum apud nos, ut per ea puniamur & exerceamur, ut quemadmodum *Augustinus* ait *lib.* 1. *de. Genes. contra Manich* non vitam istam multis laboribus subditam, sed aliam meliorem, ubi securitas summa est, diligamus & desideremus. Alia omitto. Quis enim omnes istos usus percensere possit? Apparent autem ex dictis duo 1. Omnino omnia creata esse propter hominem; quanquam diversimodè.

Scopus dictorum.

2. Hominem reverà esse finem indigentiæ, eò quòd homo istis ad diversos usus egeat,

V: Finis est principalis, vel minùs principalis.

70 Vulgatissima est hæc divisio. Possunt autem varii modi assignari, secundùm quos finis unus est altero principalior: I. Est id in subordinatione finium. Hic igitur finis ultimus principalior est subordinato, & quivis finis remotior fine propinquiori. Nam in ordine finium, quod est posterius, illud est aliis præstantius, aliaque priora sunt eligibilia propter ipsum. At quo magis aliquid bonum est & eligibile, eo magis agit finaliſando. Finis enim causat sub ratione boni. Ergò ubi est major ratio boni, ibi magis causabitur à fine. II. Est id in coordinatione finium, veluti cùm una res refertur ad plures distinctos fines non subordinatos ad invicem. Atque sic loquendo de rebus, iste finis principalis est alicujus rei, qui sumitur *ex natura* istius rei, aut ex voluntate & *arbitrio* instituentis. Nempe prout res sunt vel naturâ factæ ut homo, aurum, argentum, vel factæ ex instituto, ut coniugium, Sacramentum, Testamentu, &c. Ita hic finis est sumendus vel ex natura, vel ex arbitrio. Unde hic finis minus principalis erit, qui non primò pendet ex natura rei, vel voluntate, aut intentione instituentis, sed qui assumitur ab homine aliunde, sive iste sumatur congruè ad res istas, sive incongruè,

prout

prout ſcilicet contingit, ut pravi homines ad uſus & fines incongruos res quaſuis uſurpent. Loquendo autem de actionibus voluntariis in reſpectu ad agens voluntarium, ille eſt finis principalis, qui principaliter intenditur ab agente; minùs principalis, qui intenditur ſecundariò. Atque ex hoc deſcripſi etiam in theorematibus finem principalem, & minùs principalem. Inprimis quia ad res, quæ naturâ conſtant, poteſt etiam qualitercunque definitio talis accommodari. Veluti rei naturalis, ut cœli, herbarum, &c. Is erit finis, qui ab agente, hoc eſt, Deo iſta producente intenditur. Et ſic in proportione erit in iis, quæ arbitrio fiunt & voluntate. Nunc tamen ſpecialiùs placuit diſcernere res ipſas ab actionibus humanis, quæ circa res occupantur. Eſt ſuprà hæc omnia notandum, quòd etiam inter hos fines principales ſæpè unus alio ſit principalior, & ſic in minùs principalibus, unus aliò minùs principalior.

Sunt autem exempla horum finium quamplurima. Elementorum finis principalis eſt, ut *Scaliger* habet *exerc.* 11. *ſect.* 2. Primò, complere mundum, quod faciunt tum in ſuo ubi, tum in ubi alieno, veluti cùm vacuum prohibet aër intra cavitates terræ, aut in regione aëris. Deinde complere miſta, & ea conſtituere per modum materiæ. Alii fines ſunt minùs principales, quando adhibentur ad res artificioſas, aut à veneficis ad res veneficas, &c; Sacræ Cœnæ finis principalis eſt annunciatio ſive recordatio mortis Domini. 1 *Corinth.* 11. Minùs principalis eſt, ut ſit ſymbolum unitatis & charitatis, &c. Baptiſmi finis principalis eſt, ut ſit lavacrum, quo regeneremur & ſanctificemur. *Tit.* 3. Minùs principalis congruus tamen eſt, ut per eum Chriſtiani diſtinguuntur à quibusvis aliis, Judæis, Gentilibus, &c. Minùs principalis, iſque incongruus, ut ad dedicationem campanarum, &c. Conjugii finis principalis eſt, ut ſit adjutorium ad generationem, minùs principalis, ut ſit ſolatium vitæ, medela prò imperfectione & incontinentiâ. Studenti medicinam principalis finis (ex natura diſciplinæ) eſt, ut poſſit curare ægrotos, minùs principalis ut diteſcat. Ex intentione tamen diſcentis ſæpè principalis finis eſt (non curare ægrotos, ſed) ſolùm ſcire cauſas & remedia morborum, aut hac re diteſcere velle. Alia mitto.

71 *Elementorum duplex finis*

VI. Finis

VI. Finis est per se, vel per accidens. Externus vel internus.

Finis per se non dicitur hic, qui intenditur. Et per acci-
27 dens, qui non intenditur. Repugnat enim fini non intendi. Unde si quid non intendatur, ne quidem finis est. Neq; causare potest finis, ad producendam actionem, vel rem aliquam, nisi in quantum apprehensus est, & cognitus ab agente, ut inde bonitate ejus cognitâ agens agat ad finem consequendum. Atque sic diversa est usurpatio horum terminorum ab ea, quâ efficiens dicitur esse alia per se, alia per accidens.

73 Habito igitur quòd respectu agentis non dicatur finis vel per se, vel per accidens, dico nunc, istas denominationes sumi ex respectu ad rem finitam, sive eam rem, ad quam finis pertinet. Ergò finis, qui rei alicui finitæ congruit ex natura vel constitutione illius est finis per se: Qui autem illi convenit aliunde, & non ex natura sua, sed extrinsecâ destinatione, etsi circa istam rem intendatur ab hoc vel isto agente, ille finis rei est per accidens. Sic vestium Finis ex natura, & institutione ipsarum est, ut operiant nuditatem nostram, tegant pudorem, &c Ergô hic est finis per se vestium. Finis autem per accidens est, quando adhibentur ad superbiendum: sic finis per se Logicæ est, ad perficiendum intellectum in cognitione veritatis. Finis per accidens ejus est, si adhibeatur ad imponendum alii, vel sophisticandum. Templi finis per se est, ut in eo peragantur sacra, ministerium verbi & Sacramentorum, &c. Per accidens finis est, si adhibeatur ad sepeliendum.

47 *Declaratur divisio finis in Internum & Externum*

Eodémque sensu usurpari solet divisio in finem Externum vel Internum, ut per internum intelligatur finis per se, per externum finis per accidens. Non est tamen tacendum, quòd etiam alia sit horum terminorum usurpatio. Potest autem in summa esse triplex sensus hujus divisionis. *Primus*, secundùm quem finis Externus est idem, qui per accidens: Et finis internus idem qui finis per se. *Secundus* sensus est, ut per internum intelligatur quasi forma rei efficiendæ; per externum intelligatur usus per se resultans Sic finis internus Architectonicæ est domus, vel structura domûs. Finis externus autem est inhabitatio domûs ad quam domus comparatur. Et hoc modo in omnibus artibus distingui istos fines, Externum & Internum tradit *Zabar l. 1. de nat. Log. c. 25. Tertius*

sensus

sensus est, ut per internum finem intelligatur is, qui intra rem aliquam continetur, & ei convenit fine omni intrinseco assumendo. Externus autem sit is, qui convenit ei ex natura illius, sed tamen sicut ars (hoc enim veluti exemplo uti liceat) non obtineat illum ante accessum alicujus extrinseci. Ita finis internus Rhetoricæ, ex principiis artis illius unicè, & semper fluens τὸ benè dicere. Finis autem externus est persuadere. Is enim pendet quidem à Rhetorica, sed tamen non obtinetur solius hujus artis vi, sed etiam extra artem hanc opus est benevolentiâ auditoris, aliisque, ut persuadeatur. Et sic in aliis. Et hic ultimus modus valdè usitatus apud Philosophos pro constitutione finium in disciplinis.

VII. Finis est adæquatus, vel inadæquatus. Communis, vel proprius.

Adæquatio requirit adæquatam potentiam. Ea autem est in duobus: *Primò*; ut finis comprehendat totum finitum, hoc est, ut nihil sit in finito, quod non contineatur ab isto fine. *Secundò*: Ut nihil sit in fine, ad quod non referatur finitum. Hinc ergò inadæquatus finis erit etiam bifariam: 1. Si finis excedat finitum, veluti si finis hujus tribuatur etiam alii, 2. Si finitum excedat finem, veluti si finitum non exhauriatur à fine. Unde sic etiam finis inadæquatus est duplex, alter communis, qui excedit; alter partialis, qui exceditur. Sic ergò apparet, finem proprium & communem contineri sub divisione in finem adæquatum & inadæquatum. Ergò adæquatus est, qui est proprius vel totalis. Inadæquatus, qui est communis vel partialis. Sic finis adæquatus proprius & totalis Logicæ est tradere modum benè differendi; Finis inadæquatus partialis illis est, tradere modum Syllogisandi. Ejusdémque finis inadæquatus communis est perficere intellectum quod convenit etiam scientiis speculativis. Item finis ministerii Ecclesiastici adæquatus (totalis & proprius) est, ut salventur homines, *Roman.* 1. *vers.* 16. Finis inadæquatus & partialis est, erigere contritos. Finis inadæquatus communis est illustrare Dei gloriam. 75 *Adæquatio quid?*

Habet hæc distinctio celebrem usum in constitutione artium & scientiarum, quibus assignari debent fines adæquati, non partiales aut communes.

VIII. Finis est finis actionis vel rei factæ

Hæc divisio sumi solet ex *Aristot.* 1. *Eth. c. cap* 1. *l.* 1 *mag:* 76

*mag.mor.cap.*3 Deducunt etiam aliqui eam *exerc.* 1. *de gener. & corrup.cap.*7. *text.* 55. Veluti alius finis eſt ædificationis, qui eſt domus: Et alius finis eſt ipſius domûs, qui eſt inhabitatio. Et ſic in aliis. Actionum igitur fines ſunt quandoque formæ, ad quas tendunt ipſæ ſicut eſt in actionibus Phyſicis. Rerum autem actione factarum finis eſt uſus earum. Vide *Suarez diſp.* 23. *Metaph.ſect.*2.*num.* 10. ubi ait, finem rei factæ eſſe aliquam operationem, Ubi tamen per operationem non intelligit ſemper operationem propriè dictam, ſed per operationem intelligitur quivis uſus vel actus, ad quem res aliqua genita ordinatur. Sicut finis materiæ non eſt operatio propriè dicta, ſed ſuſtentatio formæ ejus uſus eſt, Et hæc dicitur operatio ejus latiſſimè. Sic enim domûs finis eſt inhabitatio vel conſervatio rerum noſtrarum, quæ etiam propriè non eſt operatio.

Unaquæq; res eſt propter operationeas ſuam. Declaratur.

Quintò
De Mediis.

77 Ad doctrinam finis revocatur doctrina mediorum. Hæc enim deſerviunt fini. Dicuntur aliàs deſtinata. Eſtque horum proprietas, ut per ea agens aſſequatur finem, ſic ſunt media, quæ deducunt ad ſanitatem, ad eruditionem, ad victoriam.

2. Sicut autem finis menſurat ipſam actionem agentis, ita etiam menſurat media, Ergò, prout fini impetrando neceſſarium eſt, adhibentur media, & conſideratur ex eo reſpectu, eorum utilitas vel neceſſitas, numerus, ordo.

3. Præterea, ſi aſpera ſint, à fine accipiunt dulcorem & amabilitatem. Sic obtentu & ſpe jucundi finis, veluti ſanitatis, admittitur prompto animo uſtio, vel ſectio, ebibitur amara potio. Sic ad conſequendam eruditionem multi amari & duri labores dulceſcunt.

Atque exinde ſequitur 4. ut finis ſit melior & nobilior mediis. Dant enim fines amabilitatem & bonitatem mediis. Illa tamen præſtantia intelligitur in fine & mediis, prout ſic ſumuntur, hoc eſt ſub ratione finis & mediorum. Alioquin enim extra hunc reſpectum conſiderando finem & media in Entitatibus abſolutis, quod medium eſt, poteſt aliquando eſſe nobilius fine, ut dictum *n.* 68.

78 *Finis & medium coincidere.* Eſt autem hîc obſervandum aliquando coincidere finem, & media in idem, ut eadem res ſit diverſo reſpectu finis & medium. Quacunque igitur res habet in ſe ſufficientem bonitatem,

bonitatem, unde possit elegi, & præterea unum saltem medium antegrediens, ea etiam potest esse finis. Ex quo sequitur, duo esse genera mediorum, quæ non possunt esse finis. 1. Ante quæ non sunt alia media. 2, Quæ in se non habent amabilitatem, ut est venæ sectio, ustio partis putrescentis, amara potio. & quæ sunt his similia. Vide *Fonsecam 5. Metaph. cap. 2. q. 2. 1. s. 1. in fine.*

CANONES.

1. *Omne agens agit propter finem.* Prolixè est expositum *in comment. n. 13. seqq.* 79

2, *Omnis finis est aliquid bonum.* Expositum est *in comm. n. 24. seqq* prolixè.

3, *Finis & bonum idem sunt.* Vide *n. 36.*

4. *Unaquæque res est propter actionem suam tanquam finem.* Est *in Thorem:* 0 Expositum autem est *n. 76.*

5. *Finis explet desiderium agentis.* Vide *n. 46.*

6. *Quod non est cognitum, non potest esse finis.* Vide *n. 37. 38.*

7. *Finis non est alterius gratia.* Vide *n 51.*

8. *Finis est nobilior mediis: Vide n. 67 & 77.*

9. *Finis dat mediis amabilitatem & ordinem.* Vide *n. 77.* 80

10. *Actiones distinguuntur finibus.* Vulgò dicitur. *Duo cùm faciunt idem, non est idem,* quia scilicet possunt agere diversis finibus. Sæpè quos similitudo facti conjungit, causæ dissimilitudo discernit. Ait *August. Epist. 48. ad Vincentium.* Et illustrat multis exemplis. Sic Deus filio non pepercit, sed tradidit ipsum pro nobis; Et filius tradidit semetipsum. Et Judas tradidit Christum. Cur in hac, inquit *Augustinus,* traditione Deus est pius & homo reus, nisi quia in re una, quam fecerunt, Causa non est una, qua fecerunt? Et ex hoc fundamento quòd actio non ex materiali suo, sed magis fine judicanda sit ait idem *Augustinus ibid.* Non omnis, qui parcit, amicus est, nec omnis, qui verberat, inimicus. Meliora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. Et qui phreneticum ligat, & qui Lethargicum excitat, ambobus molestus ambos amat. Confer etiam *Epist. 50* paulò post princip.

11. *Ut quisque est effectus, ita et finis videtur.* Est *Arist.* 81
3. *Ethic. c. 4.* Nihil significat aliud, quàm affectionem appetitûs esse in Causa, ut intellectus proponat voluntati, tanquam convertens, id quod fortasse extra eam affectionem constituto minimè conveniens videtur, ut explicant ex *Thom. Conim* 2.

de cæl: c. 3. q. 9. a. 1. Veluti qui perturbatur affectu iræ, illi bonum videtur esse, ad quod ira inclinat. Et qui libidinosus est, illi finis est explere libidinem. Qui misericors est, illi jucundum est subvenire miseris.



CAPUT. VII

De Effecto.

1: Effectum est id, quod à causis pendet: dicitur aliàs Causatum.

2. Respectu diversarum Causarum suscipit diversas appellationes.

3. Respectu efficienti: dicitur (speciali significatione) *effectum*; respectu materiæ, *materiatum*; Respectu formæ, *formatum*; Respectu finis, *finitum*.

4. De effectu intelligendæ sunt etiam divisiones Causarum mutatâ relatione.

COMMENTARIUS

1 *Effectum quatuor modis sumitur.*

Hac de re breves nos esse decet. Satis lucida enim est doctrina effecti, ex cognita doctrina Causarum. 1. *De voce Effecti.* Hæc vox quadrifariam sumitur. *Primò*: Effectum opponitur effectioni. Estque sic effectum non ipsa actio, sed aliquid ex actione resultans tanquam opus. Sic ædificatio est effectio, Domus autem est effectum, sive res effecta. Et hoc quidem loco effectum sic non sumitur. Nam ipsa etiam effectio, quia fluit à causa, debet dici effectum, sive causatum, ut disputatum suprà *cap. . in comm. n. 6, 8. Secundò.* Effectum opponitur efficienti. Et sic effectum adæquatè non notat causatum, sed significat causatum cum connotatione specialis alicujus respectûs, ejus scilicet, qui est ad causam efficientem, sicut materiatum significat causatum connotando respectum ad materiam. Unde ita specialiter hæc vox *effecti* sumitur, cùm contradistinguitur à materiato, formato, & finito, ut factum est, *Theor. 5. hujus capitis. Tertio:* Effectum opponitur causæ, & idem est, quod causatum. Unde sic non distinguitur effectum à materiato, formato & finito, sed hi respectus comprehenduntur etiam voce *effecti*. Et sic effectum intelligitur per Synecdochen speciei. Impositio enim ad significâdum causatum est sumpta à speciali causa, hoc est, efficiente. Atque hæc ultima significatio est hujus loci. *Quarto:* Est supra has alia ἀ'κωλόγ☞, & Catachrestica significatio, secundùm quam

effectus

effectus opponitur principio, juxta quod causa & principium etiam quandóque æquivalent. Ita quemadmodum privatio dicitur causa (quæ tamen solùm est principium) motûs, sic etiam motus posset dici effectus, hoc est, principiatum ptivationis. Atque hoc modo loquendo, Patres filium (in Trinitate) dicunt effectum patris, quemadmodum Patrem dicunt causam, cùm tamen nec iste effectum, neç hiç causa sit dicenda, si accuratè loquamur. De quo satis dictum *sup. cap. 1. in comm. n. 5.*

2 *Causatum.*

Altera vox æquipollens effecto est causatum. Atque hoc adæquatè opponitur causæ, sicut apud *Græcos* αἴτια vel αἰτιατὸν & αἰτιᾶσθαι.

3

Circa hæc quæritur:

Utra melior vox sit an vox causati, an vox effecti?

Resp. Perinde esse, quænam harum usurpetur. Sunt enim ex utraque incommoda, quæ declinantur per alterutram: 1. Vox *Causati* barbara est, vox *Effecti* non; Ergò sic potior est appellatio effecti, quàm causati. 2. vox *effecti* autem hoc incommodum habet, quod est Synecdochica. Et sumpta est solùm à causa efficiente. Unde rursus etiam insinuari videtur posse erronea opinio Stoicorum existimantium, solùm efficientem esse causam (ut suprà *cap. 2. quæst. 3. num: 1.* audivimus ex *Seneca lib. 7. Epistol. 66.*) Si enim causatum idem est cũ effecto, videtur etiam insinuari quasi causa idem sit, quod efficiens. Unde propter istam terminorum æquipollentiam, quod non efficiens, id nec causa erit. Hoc autem incommodum declinatur voce *causati*. E quibus apparet pares esse voces *causati* & *effecti*.

4 *Utraque vox retineri potest.* ὀνοματοποιεῖν *quid sit?*

Est autem porrò observandum, pro utraque retinenda, Artificibus concessum esse jus τὸ ὀνοματοποιεῖν, hoc est, faciendi nova vocabula. Cæterùm illud ὀνοματοποιεῖν consistit in duobus: 1. Si fingantur pro meliori declaratione, nova vocabula, quæ hoc ipso, quia nova sunt, sunt barbara. Hoc jure *Aristoteles* usus est in voce ἐντελεχίας, per quam definivit animam, tanquam novo vocabulo, *lib. 2. de anim. c. 1. t. 6.* 2. Si vocabula jamdum extantia, accipiant novam significationem angustiorem vel latiorem. Hoc jure usus est *Ramus*, quando vocem contrariorum amplicavit, ad significandum idem, quod *Aristotelicis* opposita significant. Ex quibus apparet, per priorem modum τὸ ὀνοματοποιεῖν, defendi posse vocem

vocem *causati*, per posteriorem vocem *effecti*.

Declarantur quædam specialia vocabula.

5 Nunc etiam specialia vocabula effectorum sunt declaranda. Talia sunt πρᾶξις actio, ποίησις effectio, ἐνέργεια operatio, ἐνέργημα opus, ἀποτέλεσμα motus, filius, &c.

6 Πρᾶξις. Πρᾶξις *est actio.* Hæc vox (cùm opponitur τῇ ποιήσει, hoc est, effectioni, & τῷ ἐνεργήματι hoc est, operi) significat ipsum influxum agentis, sive ipsam actionem, quæ tamē non refertur ad opus. Tales actiones, sunt actiones secundum virtutes morales, ut actiones fortis, actio justa, actio sobria, casti, &c.

7 Ποίησις. Ποίησις *est effectio* Hæc vox significat influxum agentis, per quam producit opus, ut sumitur ex *Aristot. 6. Ethic cap.* 4. Per opus autem intelligitur res post operationem remanens, sive sit materialis, sive immaterialis, corporea vel incorporea. Ita ædificatio est ποίησις, quia post hanc relinquitur opus, hoc est, domus. Curatio est ποίησις, quia post hanc relinquitur sanitas. Item ἄκουσις est ποίησις, post quam relinquitur opus in mente, veluti Syllogismus, &c.

8 Ἐνέργεια. Ἐνέργεια est generalius vocabulum. Et est idem quod operatio. Unde est, veluti genus ad ποίησιν & πρᾶξιν. Et per hoc operatio erit, sive producatur opus, sive non. Vide *Armand.* de Bello Visu *l. 2. Term c.* 193. *Damascenus* ἐνέργειαν vertit actionem, & distinguens eam ἀπὸ τοῦ ἐνεργήματος, ait ἐνέργειαν esse efficacem & substantialem Naturæ motum, *lib. 3. de Orthod. fid. c.* 15. Ex hoc vocabulo intelligitur vulgarum axioma *Cessante Causâ cessat effectus.* Declaratur. effectus nempe qui est ἐνέργεια. Non autem cessat effectus, qui est ἐνέργημα, sive opus.

9 Ἐνέργημα igitur est *opus*. *Damascenus citato loco*, vertit actum. Et definit ἐνέργημα, quod sit actionis absolutio, & res ipsa gesta, vel ἐνέργημα sive opus est aliquid post ἐνέργειαν, hoc est, operationem vel actionem remanens, ut antè dixi. Sic ἐνέργημα est generatio, ἐνέργημα autem sive opus post istam remanens est filius. Creatio est ἐνέργεια; Res creata post actionem remanens, est opus sive ἐνέργημα. Ædificatio est ἐνέργεια; Domus est ἐνέργημα. Et sic in cæteris.

10 Ἀποτέλεσμα. Hæc vox non eodem modo accipitur. Apud Medicos est idem quod προγνωστικὸν, sive prædictio de eventu, effectu, aut exitu morbi, ut tradit *Cœl. Aurelianus lib. 2. Chron. c.* 12. Atque hoc modo *Gal. ad lib. Hipp. de insomniis*,

somniis, sectiones *Hippocratis* vocat ἀποτελέσματα. Hæc significatio non est hujus loci. Deinde ἀποτέλεσμα significat consumationem, apud *Ambros. l. 8. epist. 73.* Præter ea ἀποτέλεσμα significat in genere effectum. Dniquee famosissima significatio apud Theologos est, ut ἀποτέλεσμα sit idem, quod effectus duarum aut plurimum causarum. Sic liberatio humani generis est ἀποτέλεσμα: Ad hanc enim concurrit divina & humana Christi natura, cum alterius communicatione, ut habet Canon *Concil. Chalced.* Est autem circo hoc observandum ἀποτελέσματα duorum ordinum esse. *Alia* concipiuntur sic, ut quæ ἀποτελέσματα dicuntur, possint attribui singulis causis. Sic liberare humanum genus est ἀποτέλεσμα, ubi dici potest, & humanam naturam liberare genus humanum, & divinam liberare genus humanum. Utramque tamen cum communicatione. *Alia* autem concipiuntur sic, ut connotetur specialis proprietas naturæ alterutrius, secundùm quam quasi influit ad productionem istius ἀποτελέσματος, Sic ἀποτέλεσμα est, cùm dico: *Christi livore sumus sanati.* Item: *Christus mortuus est pro mundi vita, &c.* Hic enim effectus communis, ad quem singulæ naturæ concurrunt, est sanatio nostri, vel vivificatio mundi. Proprietates autem naturæ humanæ significantur voce *livoris* & *mortis.* Quod autem hæc posterioris generis ἀποτελέσματα verè sint ἀποτελέσματα, apparet, quia ratio ἀποτελέσματος absolvitur in eo, ut sit effectus resultans ex influxu distinctarum causarum, quod non minus est, connotando proprietatem naturæ, ac eam omittendo. De quo vide Dn *D. Menzerum, tom. 1. dist. Theol. Giess. thes. 83. seqq* contra *Sturmium* id negantem.

Theologia quid Apotelesma?

Ἀποτελεσμάτων duo genera.

11 *Motus* etiam effectum significat. Proficiscitur enim & efficitur à movente. Ex quo colligere licet: Motum referri vel ad movens, vel ad mobile. Illo modo est effectus; hoc modo est adjunctum mobilis.

Motus quomodo effectus?

12 *Filius* etiam est nomen effectum significans. Neque tamen omnis effectus appellatur filius suæ causæ. Estque adeò, solùm speciale nomen effecti. Unde omitti potuisset. Sed placet, quia sæpè occurrit, & illud hic exponere, cùm versor in Commentario. Annotanda igitur sunt requisita effecti, quod filius debet dici. Duo scilicet sunt ista: 1. Si effectus & causa sint intra naturam intellectualem Et sic calceus non dicitur filius sutoris. 2. Si causa communicet effecto suam naturam

Duo requiruntur, ut aliquid di-

catur filius. Christus cur non sit filius Spiritûs Sancti.

ram & essentiam. Et sic à Patribus dicitur, Christum non dici Filium Spiritûs Sancti, qui etsi conceptus sit de Spiritu Sancto, tamen id non est per generationem aut communicationem essentiæ, sed est solùm per potentiam; non est γεννητῶς, sed δημιουργικῶς, inquit *Damascen. lib: 3. de Orthod. fid. cap. 2.* Vide *Ambros. l. 2. de Spir. Sanct. c. 5. August. in Enchirid. c. 37. 38. 39. Lombard. l. 3. d. 4. B. C. Pelarg. in Damasc. d. lib Armand.* de Bello Visu *l. 2. Term. c. 55. Taurell. de rer. ætern. p. 292.*

13 Atquo hæc quidem specialia vocabula effectorum hactenus declarata intelliguntur de effecto efficientis. Nunc etiam dicendum est de cæteris, quæ sunt materiatum, formatum, & finitum.

14 *Materiatum* dicitur effectus respectu materiæ. Hîc tamen quæritur: *An aliquid sit materiatum respectu productionis, quòd scilicet ex materia productum est: An respectu Compositionis, quòd scilicet ex materia constat?* Ac *Timplerus* quidem *lib 4. Metaph. 5. in Theor: & q. 18. 20.* Materiatum definit solùm ex productione. Unde infert cœlum & terram non esse materiata, quia non sint ex materia, sed ex nihilo producta. Sed tamen insulsa est sententia; Nam nec fingi aut cogitari potest ratio, cùm materiatum dicat respectum ad materiam, cur non æquè, si non magis materiatum debet dici respectu compositionis, ac respectu productionis. Neque enim materia solùm influit causaliter ad fieri rei, sed etiam ad esse sive compositionem rei. Et confirmatur: Quemadmodum formatum dicimus aliquid, in quantum intrinsecè componitur ex forma: Ita etiam materiatum dicemus unumquodque, in quantum intrinsecè componitur ex materia. Egi hac de re etiam suprà aliquid *c. 4. in comm. n. 36.*

Materiatum. Quæstio. Sententia Timpleri. Refutatur

15 *Formatum* dicitur respectu formæ. Unde in proportione, sicut ambiguè dicebatur forma. Ita nunc ambiguè dici intelligetur formatum. Duæ sunt tamen tantùm celebres significationes hujus vocis: 1. Formatum est idem quod effigiatum. Sicut & forma sumitur quandoque pro effigie, hoc est, exteriori formâ. Hoc modo intelligitur vox *formati*, cùm fœtus distinguitur in fœtum formatum & informem, *locus Exod. 21. de fœtu formato.* 32. *quæst. 2. cap: quod verò ex Augustin. q. 80. in Exod.* Supposito enim quòd anima actu sit in semine, fœtus semper est formatus, hoc est, semper habet formam substantialem.

Formatum. Explicatur

Dicitur

Dicitur igitur fœtus ſolùm formatus & informis, hoc eſt, habens effigiem humanam, vel eâ carens; ſicut Græcus textus (unde iſta diſtinctio ſumitur) clarè loquitur, *Exod.* 21. *v.* 22. ubi diſtinguitur inter παιδίον ἐξεικονισμένον καὶ μὴ ἐξεικονισμένον. Εἰκὼν autem nunquam ſignificat formam ſubſtantialem, ſed ſolùm ſignificat formam, hoc eſt, effigiem. Unde probari non poteſt, quòd in dictæ 32. *Cauſæ quæſt.* 2. *Moyſis*, ex iſto textu Græco infertur diſtinctio inter fœtum animatum & inanimatum. 2. Sumitur formatum pro cauſato formæ ſubſtantialis. Atque ſic formatum dicitur, quod ex forma ſubſtantiali eſt compoſitum. Et hæc eſt ſignificatio hujus loci.

16 *Finitum.*

Finitum dicitur reſpectu cauſæ finalis. Aliàs quidem ambiguè dicimus finitum, pro eo, quod habet fines eſſentiæ, fines virtutis, finitum numerum, durationem, quantitatem, &c. Sed hic ſpecialiter finitum dicitur reſpectu finis, hoc eſt, finalis cauſæ. E. ſic finitum eſt, quod eſt propter finem, vel quod eſt alicujus gratiâ. Nunc aliqua porrò inquirenda ſunt.

I. Qualis ſit diſtributio cauſati in effectum, materiatum formatum, & finitum?

17

Reſpondeo breviter: Diviſionem illam non eſſe in ſpecies, loquendo de re ſubſtrata. Nam eadem res, quæ eſt effectum, eſt etiam materiatum, & formatum, & finitum. At non poteſt una eadémque res habere differentes differentias ſpecificas, ſolùm ſub diverſis reſpectibus. Sicut impoſſibile eſt, unam eamdémque rem eſſe diverſo reſpectu ſolùm, hominem ſimul & beſtiam, Item unum idémque metallum eſſe diverſo reſpectu aurum, & argentum, & cuprum. Dicendum eſt ergò: Diviſionem hanc eſſe in accidentia, ut ſit ſenſus, Cauſatum dici ſecundùm quatuor reſpectus, ſcilicet vel ſecundùm reſpectum ad Efficiens, & ſic eſt effectum; Vel ſecundùm reſpectum ad materiam, & ſic eſt materiatum, vel ſecundùm reſpectum ad formam, & ſic eſt formatum; vel ſecundùm reſpectum ad finem, & ſic eſt finitum.

Diviſionem eſſe ſecundùm accidentia.

18 *Objectio.*

Dices: Sunt quatuor ſpecie diſtinctæ cauſæ, Efficiens, materia, forma, & finis. Ergò etiam ſunt quatuor ſpecie diſtincta effecta ſingulis cauſis reſpondentia. *Reſp.* Negando conſequentiam propter rationem diverſitatis. Quia cauſæ ſingulæ habent ſingulares & proprias Entitatis, unde ſufficienter & ſpecificè diſtingui poſſunt. At non producunt diverſas Entitates, ſed unam eadémque. Neque enim alia atque

alia

alia res est, quæ est ab efficiente, & quæ est à forma, & à materia, & à fine. Sed quæ pendet ab efficiente, eadem etiam secundum alium respectum pendet à forma, & cæteris. At una eademque res à se ipsa realiter & specificè distingui non potest.

II. An omnis res effecta sit etiam materiata, & formata, & finita?

19 Hæc quæstio explicanda est, ut intelligamus, quando & quomodo, & quousque concurrant istæ causæ ad unius rei productionem. Statuo certas propositiones.

I. *Quæcunque res est effecta, ea etiam est finita.* Hoc est: Quæcunque res habet efficientem, ea etiam habet causam finalem. Ita apparet. Nam impossibile est, ut agens agat, antequam actuetur quasi, cùm antequam agat sit solùm agens potentiâ. Sed agens aliter non actuatur, quam per apprehensionem finis. Objici hic solet de agentibus naturalibus, quòd illa non agant propter finem, cùm tamen omninò sint agentia. Sed hanc rem satis expolui *sup. cap 6. in Comm n. 14*
20 *seq.* unde petatur.

II. Quæcunque res est materiata, ea etiam est formata, & effecta, & finita. Hoc est, res quæ habent materiam, habent etiam formam, & efficientem, & finem. Id ita esse apparet. Nam 1. Materia de se est aliquid potentiale, unde per se solam non potest ullam speciem absolvere. Ergò præter eam requiritur aliquid actuans, quod quidem est forma. Deinde forma adjuncta materiæ facit compositionem. At compositio non est, nisi à componente. quod quidem est efficiens. Ergò sic res materiata requirit efficientem. Efficienti autem connexa est causa finalis, ut dictum priori propositione. Potest autem similis propositio fieri *de re formata*. Nam forma secundum se non potest absolvere speciem. Ergò ad constituendam speciem præterea requirit materiam. Unde resultat Compositio, & sic consequitur necessitas efficientis, & proinde etiam causæ finalis.

III. Quæ est res effecta, non necessariò est etiam formata & finita.
21 Ita patet. Nam potest aliquando effici Ens aliquod incorporeum, ut Angelus. Tale ens autem caret materia & forma. Et idem patet de materia & forma, quæ efficiuntur. Et tamen formam & materiam non habent.

Quæ 1.

Quæritur III

An Motus doctrina pertineat ad Logicam.

22 Hanc quæſtionem hic tractabo propter *Ramæos*, qui affirmativum tenent, ut videre eſt apud *Douna. lib. 1. Comment. Dial. c. 9 p. 171. 172. Fridericum Beurhuſium in Pæd. Log. fol. 637. ſeqq.* Illi adducuntur hoc argumento inprimis: Quicquid eſt generale, hoc eſt, omnium Entium, & non Entium, id pertinet ad Logicam. At tale quid eſt motus. Ergò motus pertinet ad Logicam. Aſſumptum probant ex *Ariſtot 8. Phys. 5.* Scientiæ & operationes omnes utuntur motu. Deinde *Douam:* addit etiam ipſum *Ariſtot.* agere in Logicis de motu, nempe in libro *Categoriarum* agit de actione, quæ eſt idem quod motus. Et ibidem in Poſtprædicamentis agit de ſpeciebus motûs. *Objectio Ramæorum.*

23 Non autem quæritur in præſenti: An motus ſit exemplum effecti, quod ipſum & nos conceſſimus, *n. 11. hujus capitis*, ſed eſt ſermo de ipſa doctrina, hoc eſt, An motus in Logicis de finiri debeat, atque adeò, an ſit argumentum motûs. Atq; hoc eſt, quod negatur. Et patet à poſteriori. An aliquid ſit locus Dialecticus apparet inde, ſi aliqua propoſitio in iſtum reſolvatur, aut aliquis Syllogiſmus inde petat medium concludendi. At tale quid non eſt motus. Quis enim reſolvens aliquam propoſitionem, dicit eſſe in ea diſpoſitionem motûs & moventis, ut dicimus eſſe in ea diſpoſitionem contrariorum, aut ſimilium, aut definiti & definitionis, &c. Sic in Analyſi Syllogiſticâ quid dicit, hunc vel illum Syllogiſmum ſumere conſequentiam ab argumento motûs, ut dicimus ſumere eum conſequentiam, & medium ex loco diſparatorum vel contrariorum, vel definitionis, &c.

24 Ante ſolutionem autem ſuperiorum objectionum, conſiderandi ſunt duo fontes, ex quibus iſta erronea opinio fluxit. *Primus* eſt, quòd negant Metaphyſicam. Metaphyſicæ enim eſt tradere iſtas affectiones, quæ omnibus Entibus conveniunt, ut apparet ex doctrina tranſcendentium, veluti unitatis veritatis, bonitatis. Ex quo ſequitur, ſi in ſimili motus conveniat omni Enti, quòd tum etiam motus debeat tractari in Metaphyſica, *Secundus* eſt quod *Ramus* dicit *lib. 1. Dial. cap. 9.* ad effectum pertinere motum, & rem motu factam. Quod illi intelligunt de doctrina motûs, cùm tamen apertiſſimè loquatur ibi de motu, ut eſt exemplum effectûs. *Duo fontes erroris apud Ramæos.*

Alioquin

Alioquin enim etiam res motu factæ essent docendæ in Logicis, veluti sunt omnia corpora naturalia, quæ producuntur per motum. At hoc nondum in mentem venit *Ramæis*.

Nunc respondeo ad primam objectionem: 1. Admitti
25 potest, si generaliter loquamur, motum convenire quibusvis Entibus, hoc est, omnia Entia esse moventia aut mobilia. Quanquam si propriè loquamur, motus solùm dicitur esse rei naturalis, sive corporis Physici. 2. Specialiùs respond. Convenire motum omni Enti, potest intelligi vel causaliter, vel subjectivè, vel objectivè. Sic ergò motus vel convenit omni Enti, quia omne Ens potest movere: vel convenit omni Enti, quia omne Ens est mobile, sive habet in se motum: vel convenit omni Enti, quia motus occupatur in omni Ente, tanquam sit motus forma aliqua Logica, seu, ut *Barbari* loquuntur, passio quædam intentionalis, quæ introducatur in quodvis Ens. Ex quibus dico, priores duos sensus, si maximè veri essent, non tamen efficere, ut motus sit aliquid Logicum. Alioquin & aliæ generales proprietates Entium pertinerent ad Logicam, veluti sunt duratio, unitas, veritas incomplexa, bonitas, existentia; esse actu, vel potestate; Esse permanens, sive successivum; esse reale, vel aliquid rationis; & sic deinceps de cæteris Transcendentalibus proprietatibus, & secundum eas distributionibus. At hoc est absurdum. Nam ad Logicam non pertinent, nisi quæ pertinent ad differendi modos, quales non sunt ista modò relata. Alius autem sensus non probatur à *Ramæis*, sed quoties illi dicunt, motum convenire omni Enti, intelligunt eum convenire omni Enti, quia omne Ens est mobile, aut quia omne Ens movet.

26 Ad alterum de Testimonio *Aristotelis* respond. 1 Cùm *Aristoteles* agit *in lib. Categ.* de actione (esto quòd actio & motus idem sint) non vult dicere, actionem esse argumentum Logicum, sed agit ibi de actione, quæ est Ens reale ac proinde agit de ea tanquam de objecto, in quo occupentur argumenta Logica, quale quid non est solùm actio in genere sed etiam actio in specie, ut creatio, generatio viventis, calefactio, quæ tamen *Ramæi* non dicent esse argumenta Logica. 2. In Postprædicamentis autem quod agit *Aristoteles* de motu, ad illud sciendum est, quòd postprædicamenta non tractentur ab *Aristotele*, tanquam res Logicæ, sed solùm tanquam res pertinentes ad declarationem eorum, quæ in

prædi-

prædicamentis docuerat; ut communiter docent Interp. At talia, quæ declarent doctrinam prædicamentalem, possunt omnino esse Entia etiam reali, & non Logica.

CANONES hic non addo, quia generales facilè sumuntur *ex cap. 6.* & speciales jam declarati sunt, *num.* 19. 20.

CAPUT VIII.

De Subiecto & Adiuncto.

11. Inter consentanea est subjectum & adjunctum.

2. *Subiectum* est, cui aliquid adjungitur. Sic Nix est subiectum albedinis.

3. *Adiunctum* est, cui aliquid subiicitur. Sic albedo est adiunctum nivis.

4 Eorum variæ sunt divisiones.

5 I Subiectorum modi sunt tres: 1. est *Subiectum inhæsionis*, cui adiunctum inhæret, vel quod adiunctum recipit in se, sic homo est subiectum doctrinæ, pulchritudinis, fortitudinis, coloris, &c.

6. 2. *Est subiectum adhæsionis*, cui adiunctum est extrinsecum, veluti, quod adiunctum recipit ad vel circa se. Sic locus est subiectum rei locatæ. Homo est subiectum sui vestitus, divitiarum.

7. 3. Est *obiectum* sive subiectum occupans, circa quod adiunctum occupatur. Sic sensilia sunt obiecta sensuum. Physicæ obiectum est corpus naturale. Logicæ obiectum sunt omnia Entia; Et sic aliarum disciplinarum, sua sunt obiecta.

8 II. Subiectum dividitur in *subiectum commune*, & *proprium*.

9 Commune est, cuius adiunctum æqualiter tribuitur pluribus. Sic Cygnus est commune subiectum albedinis, quia illa etiam reperitur in nive, panno, papyro.

10. Subiectum proprium est, cuius adiunctum ei convenit soli, & omni, & primo, & semper, ac per se. Sic homo est subiectum proprium risibilitatis, Ignis caloris, Magnes virtutis trahendi ferrum.

11 III. Subiectum est *subiectum informationis, vel denominationis*.

12. Subiectum informationis est pars aliqua totius, quæ primo afficitur ab aliquo adiuncto. Sic anima est subiectum

ctum doctrinæ, vel potentiarum vitalium. Dicitur etiam subjectum inhęsionis.

13. Subjectum denominationis est totum, cui tribuitur adjunctum partis. Sic homo est subjectum doctrinæ. Animal est subjectum potentiarum vitalem.

14. IV. Adjunctum est *separabile, vel inseparabile.*

15. Adjunctum separabile est, quod potest abesse à subjecto. Sic albedo est adjunctum parietis.

16. Adjunctum inseparabile est, sine quo nõn est subjectum. Sic albedo Cygni, risibilitas hominis, est adjunctum inseparabile.

Divisiones objectorum.

17. Præterea annotandæ sunt divisiones objectorum.

1. Objectum est totale, vel partiale.

18. Totale est, quod adæquatur suo adjuncto. Sic totale objectum Physicæ est corpus naturale.

19. Partiale, quod est pars subjecti totalis. Sic Physicæ objectum partiale sunt Elementa, quæ sub corpore naturali continentur.

20. Huc 2. pertinet distinctio subjecti in subjectum adæquationis & perfectionis.

21. Ubi subjectum adęquationis est subjectum totale. Subjectum perfectionis est nobilior pars subjecti totalis. Sic objectum adæquatum Metaphysicæ est Ens abstractum à materia secundùm rem & rationem. Objectum perfectionis est Deus.

22. 3. Objectum est per se, vel per accidens.

23. Objectum per se est, in quo adjunctum per se occupatur. Sic objectum intellectus per se est verum, voluntatis bonum.

24. Objectum per accidens est, in quo adjunctum per accidens, & eventualiter occupatur. Sic objectum intellectus est falsum, & voluntatis malum.

25. 4. Objectum est commune, vel proprium.

26. Commune, in quo plura adiuncta occupantur. Sic motus, quantitas, &c. sunt objectum commune sensuum.

27. Proprium, in quo unum adjunctum occupatur. Sic objectum proprium visus est color; Auditus, sonus, &c.

COMMENTARIUS.

Omnis doctrina & disciplina fit ex præcognitione secundùm *Aristot. 1. poster. c. 1. §. 1.* Ista autem præcognitio est, ut sciatur, tum an sit, tum quid sit (loquendo de quid nominis) ut habetur

habetur *ibid.* §. 4. Ergò hac in doctrina etiam *primò* est præcognoscendum aliquid, de voce *subjecti & adjuncti*, & tum *secundò*: An subjectum sit argumentum Logicum? Præterea *tertiò*, de Definitione subjecti & adjuncti. *Quartò*: Quænam res possint esse subjecta vel adjuncta? Et *quintò*, de specialibus divisionibus subiectorum & adiunctorum, & quæ ad istas pertinent. Et inter eas *sextò* de obiectis.

De voce subjecti *&* adjuncti *& æquipollentibus.*

1. Subjectum est idem quod subditum, & sic sumitur adjective. Sic *Cic. de Nat. Deor.* nulla naturæ est obediens & subjectus Deus. Et *Virg. l. 6. Æneid.* 2

Tur regere imperio populos Romane memento
Parcere subjectis, & debellare superbos.

Atque hæc significatio est popularis. Alia significationes sunt Philosophicæ. Ergò II. Subjectum est idem quod substantia. Sicut & substantia est idem quod subiectum, de quo dixi *in introd. Log. cap. 5 de substantia, n. 1.* III. Subiectum est prior pars propositionis, & opponitur prædicato. *Græcè* dicuntur ὑποκείμενον & κατηγορούμενον. IV. Subjectum opponitur adiuncto. Et sic subiectum est, cui aliquid adiungitur de quo agitur hoc loco.

Pro subiecto aliàs dicitur Materia. Materia autem trifariàm dicitur, pro materia ex qua, in qua & circa quam. Ex quibus ista est materialis causa. Ista est subiectum inhærentiæ. Hæc est subiectum occupans sive obiectum. Alius sensus istius divisionis non est ad propositum, secundùm quem putatur sic dividi materia, secundùm diversa officia. De quo dixi *sup. c. 4, in comm. n. 2. 3.* 3. *Materia.*

Adiunctum. Hæc vox aliquando sumitur populariter, & id quidem adiectivè, & est idem quod associatum, vel additum, vel coniunctum alii. Sic differentia adiungitur generi. Socius adiunctus est socio, &c. Aliquando sumitur substantivè, insignificatione Philosophicâ, & sic opponitur subiecto, estque tum id, quod alteri adiungitur. Adiungi autem dicitur sic, quod alii inhæret, vel ei adhæret, vel ei circumstat, aut circumstitit, aut in alio occupatur. Et hæc significatio est huius loci. 4

Apud Peripateticos pro voce *Adiuncti* usurpatur vox *Accidentis*. Ista autem vox satis explicata est *in tract. de prædic. c. 6. n. 1.* Unde habere potest, secundùm quam significationem accidens & adiunctum dicantur æquipollenter. 5. *Accidens. Attipens.*

II. *An subiectum sit argumentum Logicum?*

6 Hunc locum veteres non habent. Et hinc *Perionius* reprehendit *Ramum* quòd eum posuit inter argumenta Logica. Multa tamen ostendunt loci illius necessitatem. I. Est resolutio axiomatum & Syllogismorum. Omnia axiomata & Syllogismi resolvuntur in argumenta Logica solùm. Atqui ista non resolvuntur quandoque aliter, quàm in subiectum (& adiunctum.) Ergò subiectum (& adiunctum) sunt loci Dialectici. Exempla sunt in propositionibus, hæc: Homo est doctus, sapiens, albus, formosus, risibilis, &c. In Syllogismis sunt hæc: Pygmæi sunt homines, Ergò sunt risibiles & capaces disciplinæ. Infantes habent animam rationalem. Ergò sunt immortales. Hi Syllogismi non aliundè procedunt, quàm ex loco Subiecti, quòd scilicet posito subiecto pōantur etiam adiuncta. II. Idem confirmatur, quòd in Locis Dialecticis numerantur propria, communiter accidentia, & sic in genere adiuncta. Hinc sic colligo. Omne argumentum Logicum dicitur relativè ad aliud argumentum. At adiuncti correlatum non potest esse aliud, quàm subiectum. III. Accedit, quòd *Porphyrius* exprimens relatum accidentis *in Isag. cap.* 5. nominavit subiectum. Accidens est, *inquit*, quod adest & abest ἄνευ τοῦ ὑποκειμένου, sine *Subiecti* interitu. Et *Aristo. lib. Categor. cap.* 2 respectum quem accidens habet ad substantiam, prout ei inhæret, exprimit per esse *in subiecto*.

7 *Videtur subiectum reduci posse ad Totum. Refutatur.*

Cæterùm hic tria sunt, quæ respondeti & contra propositam quæstionem obiici possunt; I. Posse subiectum reduci ad totum. Ita enim respondet *Perionius*. At contrà 1. Si ista reductio facit, ut subiectum non sit Locus Dialecticus, Ergò simliter adiunctum erit reducendum ad locum partium, ut proinde nec adiunctum sit Locus Dialecticus. Nam, ut *Aristoteles* habet 2 *Top cap.* 8. §. 4. Relatorum directa est consecutio. Si triplum est multiplex, subtriplum erit submultiplex. Ita eodem modo, si subiectum refertur ad adiunctum, tum si subiectum est Locus Dialecticus per reductionem, etiam adiunctum est locus per reductionem. At absurdum est id dicere de adiuncto, fatente *Perionio*, & aliis Peripatetic's. Et apparet satis Catachresis, si dicatur risibilitas, aut doctrina esse pars hominis,

8 *An possit*

II. Videtur subiectum posse referri ad speciem. Et confirmatur. Quòd *Porphyrius*, cùm exprimere debuit relatum

proprii,

proprii, nominavit ſpeciem. Sic *in Iſag. cap.* 4. Proprium eſt quod uni ſoli *ſpeciei* accidit, &c. *Reſp.* 1. Illam etiam reductionem referri, quòd ſic reducendum ſit adiunctum ad Genus, Ex vi prioris rationis. Neque enim negari poteſt ſubiectum & adiunctum relativè dici. *Inquiens*: Speciem relationem habere ad genus, & adiuncta. At & hoc abſurdum eſt. Nam relata continentur ſub contrariis. Contrariorum autem unum uni ſolùm contrarium, per *Ariſt.* 10. *Met. cap.* 4. Eſſe autem id verum de contrariis, latè ſumendo vocem, infrà videbitur. 2 *Reſpond* Poſſe ſpeciem conſiderari bifariàm: 1. Materialiter, hoc eſt, pro re ſubſtratâ, (ut vocatur) hoc eſt, pro re, quæ ſuſcipit relationem ſpeciei, quale quid eſt animal, quod eſt ſpecies corporis naturalis. 2 Poteſt conſiderari formaliter, hoc eſt, in quantum eſt ſpecies. Ex quibus admitti poteſt, proprium referri ad ſpeciem, hoc eſt, proprium recipi in ea re, quæ ſuſcipit relationem ſpeciei. Sic riſibilitas recipitur in homine, qui eſt ſpecies animalis. Sed exinde non ſequitur, ſubiectum reducendum ad ſpeciem, ſi res quæ ſuſcipit relationem ſpeciei, ſuſcipiat etiam relationem ſubiecti. Nam eadem res poteſt etiam ſuſcipere relationem cauſæ, vel effecti, vel definiti, &c, veluti idem homo, in reſpectu ad operationes ſuas, ad parentes ſuos, ad hoc prædicatum, animal rationale. Neque tamen propterea dicetur ſubiectum referri ad cauſam, vel effectum, vel definitum. Quòd autem ſpecies formaliter ſumpta ſubiectum non contineat, patet, quia ut ſic, hoc eſt, in quantum eſt ſpecies, abſolvitur formalitas eius in reſpectu ad genus, ut expreſſit *Porphyr. Iſag. cap.* 2. Species, *inquit*, eſt, quæ ſubjicitur generi.

referri ad ſpeciem.

Species non habet relationem ad adiunctum.

III. Videtur reduci poſſe ad materiam. Sub materia enim continetur materia in qua. *Reſpond.* Materia in qua dicitur materia ſolùm æquivocè, & ſolùm quoad communitatem nominis. At in æquivocatione nulla poteſt fundari reductio. Et redit prior ratio, quòd ſic adiunctum reducendum eſſet ad effectum materiatum, non autem maneret locus peculiaris.

An ſubiectum poſſit referri ad locum materiæ.

De Definitione Subiecti & Adiuncti.

Bifariàm iſta definiri ſolent: 1. Nominaliter, veluti ſubiectum eſt, quòd alicui ſubiicitur. Et adiunctum eſt, quod alicui adiungitur. Deinde magis realiter. Subiectum eſt, cui aliquid adiungitur; Et adiunctum eſt, cui aliquid ſubiicitur. *Dounam. in commen. Log. l. 1. c. 10. p.* 181. relicit priores defi-

nitiones, quia non exprimatur in iis relatio, quam unumquodque eorum habet ad alterum. Cùm tamen omnia argumenta ex sua relatione sint definienda, ut à nobis etiam positum est suprà cap. 1. num. 44. Sed illa causa nulla est. Nam in prioribus definitionibus, correlatum subiecti, etsi non significatur voce *Adiungitur*, (quæ ibi non est) tamen significatur satis voce *Alicui*, quę ibi idem est, quod adiuncto. Et idem est in definitione Adiuncti.

11 Aliàs posteriores definitiones præferendæ sunt prioribus, quia hæ magis sunt reales, priores autē non tam definitiones sunt, quàm Etymologiæ vel Notationes.

12 Ergò *Aliud* in definitione subiecti, notat eius correlatum. Nempe adiunctum. Et vicissim in definitione adiuncti, *aliud* notat subiectum. Adiungi autem complectitur duo: 1. Esse posterius, 2. Aliud prius extra essentialiter afficere, vel denominare. Ergò quicquid aliud se prius extra essentialiter afficit, id omne illius adiunctum est. Et proinde, quod ab alio afficitur, id huic *subiici* dicitur. Ex quo sic patet, subiici aliter hic sumi, & aliter in doctrina propositionum. Ibi enim subiici dicitur omne illud, quod in axiomate præponitur. Hic autem subiici est nihil aliud, quàm substare alii, sc à posteriori vel extra essentialiter afficienti.

IV. Quænam res possint esse subiecta vel adiuncta?

13 Hæc res quæ consistit in particularium quæstionum Explicatione, explicanda est, ut intelligi possit latitudo huius loci Dialectici. Ergò quæritur,

I. An Substantiæ possint esse Adiuncta?

Videtur quòd non. Nam secundùm *Aristot. lib. Categ. cap.* 5. Substantiæ non sunt in subiecto. At si non sunt in subiecto, non sunt adiuncta. Deinde adiuncta *Aristotelicis* dicuntur accidentia. At absurdum est, Substantiam esse accidens. Nam accidens & Substantia opponuntur contradictoriè.

14 Nihilominùs in oppositum dicendum est. Substantias omninò posse esse adiuncta, ut patet *primò*. Ex habitibus, qui sunt adiuncta rerum habituatarum. Et tamen connotant substantiam. Sic arma sunt adiunctum militis, vestis adiunctum hominis, aurum adiunctum rei inauratæ. *Deinde* patet ex forma, quę substantia est, & tamen est adiunctum materiæ, quæ proinde communissimè solet dici subiectum, receptaculum δοχεῖον, & formatum. *Tertiò* habetur idem ex re-

rebus

rebus locatis, quæ sunt adiuncta locorum. Et tamen istæ sunt substantiæ. Et hoc confirmatur, quòd in resolutione talium propositionum non possunt termini aliò referri, quàm ad subjectum & adjunctum, ut adjunctum sit Substantia. Tales propositiones sunt: *Miles est armatus. Homo est vestitus. Forma est in materia. Anima est in corpore. Aqua est in spongia. Piscis est in aqua, &c.* Quarto posse substantias esse adiuncta occupata clarum est, quòd multæ substantiæ occupantur in objectis

Instantia. Responderi potest: Cùm habitus enunciatur de re habituata, tunc in habitu connotari duo: 1. Corpus adiacens: 2. Ipsam adiacentiam. Et hanc solùm esse adiunctum, non illud, prout quidem de habitu sentiunt *Colonien. in Hispan: tract. 3. Cop: Log. fol. 151.* Resp. 1. Celebres Doctores existimant, habitum esse, non adiacentiam, sed ipsum corpus adiacens, nempe *Thomas Opusc. 48. Ægid. Roman. lib. 5. Met. c. 15. quæst. unic. Colleg: conimbr: lib Categ: cap. 9. quæst. 3. art. 2: Suarez, disp. 53. Metaph. num. 3.* aliique, Unde secundùm istos clarum est etiam substantiam posse esse adiunctum vel accidens. Eam tamen opinionem satis confutavi *in doctrina prædicam. c. 15. n. 6. seqq.* Ergò 2. Resp. Non idem esse, adiunctum & accidens, quantum ad omnem significationem: Et per hoc habitum quidem non esse accidens, nisi prout significat adiacentiam. Esse tamen posse adiunctum, prout (non solùm adiacentiam, sed etiam) ipsum corpus adiacens significat. Id ex Coniugatis confirmatur. Ipsa substantia vel ipsum corpus adiacens adiungitur. Ergò est adiunctum.

16 Igitur ad superiores obiectiones, Resp. 1. Ad posteriorem, quâ dicitur idem esse accidens & adiunctum. Accidens diversimodè sumitur, ut satis declaratum *in doctrina prædicam: cap. 8. n. 1.* Substantia & accidens opponuntur contradictoriè, quatenus accidens absolutè sumitur, & prædicamentaliter, quòdque cum substantia dividit Ens. Ita ea vox hîc non sumitur. At quando accidens sumitur, ut sic dicam topicè, & intelligitur relativè, opponiturque subiecto, tum substantia & accidens non opponuntur contradictoriè, sed sic Substantia potest esse accidens, hoc est, adiunctum, ut superiora exempla ostendunt.

17 Ad priorem objectionem, Resp. 1. Si maximè nulla substantia esset in subiecto, tamen adhuc posset esse adiunctum: Nam adiunctum non necessariò est in subiecto, sufficit si *Solvuntur obiectiones*

sit ad vel circa subjectum. 2. In subjecto esse bifariàm sumitur. Latè notat qualemcunque inexistentiam in altero. Et sic substantiæ sunt in subjecto, veluti aqua in spongia. Visis in aquas. Strictè autem notat inexistentiam talem, quæ opponitur τῇ ἀνυπαρξίᾳ, substantiæ per se, & solet aliàs dici inhærentia. Et hoc sensu intelligit *Aristoteles* substantias non esse in subjecto.

An substantiæ sint in subjecto, rigorosè loquendo?

Porrò hîc dubium est: Si in subjecto esse dicatur propriè, an tum adhuc in subiecto esse, possit convenire substantiis.

18 *In subiecto esse quid sit?*

Igitur sic in subiecto esse dicitur, quod cùm insit, non est pars rei, & omninò esse non potest, nisi in illa re, ut *Aristot.* definit, *l. Categ. cap. 2.* ἐν ὑποκειμένῳ δέ λέγω, ὃ ἐν τινι μὲν ὡς μέρος ὑπάρχον, ἀδύνατον χωρὶς εἶναι τοῦ ἔστιν. Et secundum hanc significationem ejus, quod est in subjecto, *Aristoteles* negat substantias esse in subjecto, *l. Categ: c. 5. §. 12.* Et meritò: Si enim substantiæ sic essent in subiecto, essent accidentia.

19 *Modi essendi in alio.*

In contrarium autem videtur esse: 1. Esse in alio non videtur aliud esse, quàm esse in subiecto, Nam cùm accidens definitur, Ens subsistens in alio, nihil aliud intelligitur esse, quàm Ens subsistens in subiecto. At esse in alio potest convenire substantiæ. Ita pater, recensendo modos, quibus Entia sunt in alio, quorum aliqui competunt substantiis Illi autem apud *Aristot: lib. 4. Phys: cap. 3.* sunt hi: 1. Dicitur aliquid in alio, ut pars in toto, sicut digitus est in manu. 2. Sicut totum in partibus. Neque enim totum est præter partes. 3. Ut species in genere, ut homo in animali. 4. Ut genus in specie, ut animal in homine. 5. Ut in materia forma. Veluti anima in corpore (quæ est forma substantialis;) vel calor (qui est forma accidentalis) in igne. 6. Ut effectus in causa; Ut res est in suo fine. 7. Ut locatum in loco, quemadmodum *Aristoteles* propriissimum vocat. Hi omnes modi inclusi sunt vulgatis versiculis,

In sunt pars, totum, species, genus, utraque forma,
Et quod productum est, finitumque atque locatum.

Ammonius & Simplicius nonum addunt modum, quo aliquid est in tempore 10 *Arman:* de Bell. Visu *tract: cap.* 254. addit modum quo divinarum personarum una est in alia. Et secundùm singulos hos modos apparet, substantias esse in alio.

20 Et confirmatur secundò, quòd aliqui istorum modorum continentur sub definitione eius, quod est in subiecto, ante traditâ-

traditâ Nam in illa definitione in summa tria requiruntur. 1. Ut quod est in subjecto, id sit in aliquo (quæ conditio est generalis) 2. Ut id non sit pars. 3. Ut non possit esse nisi in illa re. At hæ omnes conditiones conveniunt *primò* modò, quo totum est in partibus. Item *secundo* modo, quo species sunt in genere. Item *Quinto*, quo forma substantialis est in materia. Item *sexto* modo, quo effectus (materialis & adæquatus) est in causa. Item *septimo* modo, quo res finita est in suo fine, inprimis si loquamur de fine ultimo. Item *Octavo* modo, quo locatum est in loco. Idémque dicendum est de *Nono* & *Decimo*.

Nihilominus *Aristotelica* sententia tenenda est, quæ satis clarè antè confirmata est, quòd scilicet substantiæ non sint in subjecto. 21

Solvuntur obiectiones.

Unde ad *primum* respondeo, quòd esse in alio (in omni significatione sui) non dicatur æquipollenter ad esse in subjecto. Proculdubiò enim aliud est esse in alio, ut in genere, vel specie, vel causâ, ab eo, quod est esse in alio, ut subjecto; omninò sicut etiam ipsum genus, species, causa, &c. aliud sunt, quàm subjectum. 2. Famosè tamen *in alio* esse intelligitur de inhærentia accidentibus propriâ, quo sensu etiam usurpatur in definitione accidentis, ut ad definitionem substantiæ exposui *in tract. de prædic. cap. 5. n. 3 seqq.*

Declaratur definitio in subiecto esse. 22

Ad *Alterum*, ut respondeatur declaranda est definitio *Aristotelica* ejus, quod est in subjecto. I. Dicitur: In subjecto id esse dico: *quòd cùm insit ὡς ἐν τῷ μορίῳ ἐν τινι*. Hæc Phrasis in præsenti notat modum existendi, proprium (non Metaphoricum vel Catechresticum) & Physicum sive naturalem, ut benè docent *Conimbricenses l. Categ. c. 1. q. 2. a. 3.*

II. Dicitur *non est pars*. Hæc periphrasis amplianda est sic, ut intelligatur, neque pars essentialis eius in quo est, neque pars essentialis alterius cum eo, in quo est. Quòdque hoc modo intelligendum sit, apparet. Nam 1. quòd per partem intelligatur hic pars essentialis, clarum est ex eo, quòd alioquin accidentia, quæ sine dubio sunt in subiecto, sunt etiam partes, sed accidentales. Dicimus enim aliquid compositum ex subiecto & accidente. At termini componentes latè dicuntur partes rei compositæ. 2. Quòd intelligatur non solùm pars illa, quæ est pars eius, in quo est, sed etiam pars illa, quæ cum eo, in quo est, est pars essentialis alterius, itidem clarum est. Nam quod alterius

pars

pars essentialis est, cum eo, in quo est, hoc eo ipso indicatur esse ejusdem naturæ generis cum eo in quo est. Nam Entia diversorum generum non possunt concurrere, ad constituendum unum per se, sed semper faciunt Ens per accidens. At quod constituunt partes essentiales, id est Ens per se.

3. Dicitur: *Et non potest esse nisi in illa re.* Hæc particula bifariam intelligi potest. *Primò*, ut illud *in illa re* intelligatur confusè, hoc sensu; ut quod est in subjecto, non possit esse, nisi in aliqua re. Et sic hac particula requiritur, ut quod est in subjecto, non possit non esse in subjecto, vel ut non possit per se subsistere. *Secundò*, potest intelligi distinctè, hoc sensu, ut quod est in aliquo subjecto, non possit alibi esse, quàm in illo subjecto, cui semel convenit, quomodo calor ignis non potest esse extra ignem, figura hujus rei non potest esse extra hanc rem, &c. Et perinde quidem est, quinam sensus horum acceptetur, solùm, si ad posteriorem sensum intelligatur, addendum est, quod est in aliquo subjecto, non posse extra illud esse *idem numero*, Si enim loquamur de eodem specie aut genere secus est.

23 His expositis dico ad *secundam* objectionem, Primum, Secundum, Sextum, & Septimum modum, quibus Entia sunt in alio, Catachrestice contineri sub modis essendi in. Et per hoc excluduntur à definitione ejus, quod est in subiecto per primam particulam. 2. Rursus primus, secundus, & tertius modus excluduntur per secundam particulam. Nam singula horum partes sunt. 3. Ille modus, quo una persona divina est in alia, excluditur per primam particulam, in quantum ea requirit naturalem existentiam. 4. Locatum in loco, & res in tempore existens excluditur, quòd locatum potest non esse in loco. & res in tempore. Illud quidem: si Deus sistat aliquod corpus, & conservet in vacuo, quod non minùs facere potest, ac conservare hominem in aqua, vel piscem in aëre. Hoc verò: si Deus quiescere faciat cœlum. Nam cùm res dicuntur esse in tempore, tum id intelligitur de tempore extrinseco. Nam loquentes de tempore intrinseco, non dicimus res esse in tempore, sed esse temporales, hoc est, durare successivè, &c. Aliàs notavi ex Latina versione, Locatum excludi per hoc, quod dicitur *in se*. Nam Locatum non inest loco. Sed Græcus textus habet ἐν τινι, existens in aliquo, quod sit locato convenit.

II. An Accidentia possint esse subiecta?

Non

Non quæritur nunc de subiecto occupante. Id enim dubium non est, quòd accidentia possint esse obiecta, quomodo sonus obijcitur auditui, color visui, aliæque qualitates tactûs obiecta sunt. Sed inprimis quæritur *de subiecto inhæsionis*. An scilicet in accidentibus possit inhærere aliud accidens, unde removetur etiam ab hac quæstione exemplum de loco, qui accidens est, & tamen est locati subiectum. Atque sic (loquendo de subiecto inhærentiæ) videtur *Aristoteles* dixisse, accidentis non est accidens, ὃ μὴ συμβεβηκὸς & συμβεβηκὸς, 4. *Metaphys. textu* 13. 14. Addit autem *Aristoteles* εἰ μὴ ἄμφω συμβέβηκε τοῦτο τῷ, *nisi ambo accidant eidem*. Ex quo primum sequitur: accidentia posse esse subiecta aliorum accidentium, cùm scilicet utraque horum accidant eidem substantiæ. Sic superficiei (quæ est quantitas, & sic accidens) accidit, ut sit alba vel nigra, qui colores sunt accidentia: sed illa superficies, & illi colores accidunt eidem corpori. 24 *Formatur status.*

Cæterùm hæc inprimis quæstio est: *An cùm accidens convenit substantiæ, mediante alio accidente, an tum illud accidens etiam inhæreat huic accidenti, sic, ut hoc verè sit subiectum inhærentiæ an verò solùm sit dispositio substantiæ, propter quam intervenientem substantia recipiat illud accidens?* Veluti color non dicatur in hærere in superficie, tanquam subiecto, sed ut solum superficies, vel quantitas substantiæ sit conditio, cuius interventu corpus sit coloratum, ubi in utramque partem variæ sunt sententiæ, ut videre est apud *Suarez disput. Metaphys. 14. s. 4.* 25 *Sensus quæstionis.*

Igitur dicendum est pro resolutione quæstionis: *Possa omninò etiam accidens recipere in sese accidentia alia, ut hæc in eo hæreant.* Id ita esse apparet I. de superficie & colore. Nam quòd color revera inhæreat in quantitate, & quantitas non solùm sit dispositio substantiæ, qua mediante recipiat colorem, apparet, quia colori convenit extensio. Sed extensio non potest cuiquam competere, nisi vel sit ipsa quantitas, vel habeat quantitatem, quomodo corpora habent extensionem. II. Idem probatur de habitibus, qui necessariò recipiuntur proximè in potentiis, & non in forma, vel substantia. Nam iuvant potentias ad operandum, id autem non faciunt, nisi per seipsas. Ergò informant ipsas potentias, adeóque in iis recipiuntur. Qua ratione etiam *Suarez* utitur *disp. 14. s. 4. n. 7.* 26 *Decisio quæstionis.*

Duo

27 *Obiectiones.* Duo videntur hic obiici posse. I. Quòd accidentis possit esse accidens, etiam cùm non ambo accidunt eidem. Veluti est de quantitate Mathematica. Hæc etiam abstracta est à subiecto, sive materiâ, & tamen habet accidentia, veluti æqualitatem, inæqualitatem, &c. *II.* Si accidentia possunt in se recipere accidentia, Ergò sic substant accidentibus. At substare accidentibus convenit substantiæ, imò substantiam facit. Dicitur enim à substando (accidentibus) Unde per hæc non remanebit discrimen substantiæ & accidentis.

28 *Solvuntur.* Respondeo *ad primum* bifariam. *Primò* dici potest intelligi illud (*Accidentis non est accidens, nisi ambo accidant eidem*) de Physica inhærentia, qualis scilicet revera est in mundo & naturâ. Ut accidens verè non possit hærere in alio accidente, nisi ambo accidant eidem. Tale quid autem non est in quantitate Mathematica. Nam quantitas Mathematica, ut sic, hoc est cum tali abstractione, non est in rerum natura. Sed cùm est in rerum natura semper hæret in materia sensibili. *Secundò* addi potest, etiam quantitatem Mathematicam non posse abstrahi à materia, vel subiecto omni, sed solùm à materia sensili. Materia autem intelligibilis, à qua quantitas Mathematica non abstrahitur, sufficit ad hoc ut accidentis non sit accidens, nisi ambo accidant eidem. Sic enim quantitati convenit æqualitas, & inæqualitas, & utraque eidem materiæ intelligibili.

29 *Ad secundum*, Respondeo: Cùm accidens alii accidenti inhæret, tum tamen illud accidens non est subiectum primum. Primum igitur subiectum semper est substantia. Et per hoc satis differt Accidens à substantia, quod substantia potest ultimò substare accidentibus, accidens autem nequaquam. Cæterùm notario illa substantiæ (ut dicatur à substando) non est adæquata. Unde sunt aliquæ substantiæ, quæ accidentibus non substant, & hinc in genere à notatione non solet duci necessarium argumentum.

III. An non ens possit esse alterius subiectum vel adiunctum?

30 Vulgata est propositio: *Non Entis nulla sunt accidentia, nullæ qualitates, nullæ operationes.* Ea vera est. Nam non possumus apprehendere rationem subiecti, vel adiuncti, aliter ac sub ratione Entis. Subiectum videlicet apprehendimus tanquam alii substans. Adiunctum, tanquam formam, quæ

det

det aliquod esse (accidentale) subiecto. Atque sic implicatio videtur esse, si subiectum aut adiunctum aliquod dicatur non ens, cùm ex dictis appareat, subiectum & adiunctum esse differentias Entis solùm: sunt tamen aliqua observanda, quòd fiet, si solvamus obiectiones ponendas.

I. Obiectum comprehenditur sub subiecto. At illud potest esse non Ens. Sic intellectus occupatur in cognoscendis privationibus & negationibus, quæ sunt non Entia. Logica etiam occupatur in omni Ente, & non Ente. *II.* Argumentor hinc specialiùs. Cùm Logica dicitur occupari in omni Ente, & non-Ente, tum id non intelligitur aliter, quàm quòd formæ, sive notiones Logicæ, possint applicari omni Enti & non Enti, vel quòd istis istæ formæ indui possint. Consequens ergò est, ut hoc ipso etiam subiectum & adiunctum; quæ notiones Logicæ sunt, sint applicabilia non Enti. *III.* Quæ finguntur non sunt; Logicè enim differunt fingi & esse: Et tamen quæ finguntur, habent accidentia; Sic Chimæra, quæ fingitur, habet quantitatem & figuram, & actiones, ut *Homerus Iliad. 7.* ait:

Hoc est:

Πρὸ δὲ λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,
Δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς ἰδὲ αἰθομένοιο.

Ante Leo, post autem Draco, media autem Capra, magnam spiraus ignis vim ardentis. Et sic in aliis.

IV. Res futuræ, ut Eclipses sequentes anni, nondum sunt, & tamen iam dum habent adiuncta, & operationes etiam, hoc ipso, quòd efficiunt sui notitiam in mente prævidentis, & sic in aliis.

V. Privationes sunt non Entia. Et tamen sunt adiuncta eorum, quibus naturâ convenit habitus. Quod si adiuncta non sunt, quæro, quale sit axioma, cùm dicitur: *Bartimæus est cæcus, Irus est pauper &c.* Hæc argumenta, si solvantur, plana erit quæstio proposita.

Est autem præsciendum, quòd differenter loquendum sit de subiecto occupante, sive obiecto; & de subiectis cæteris. Ergò non-Ens non potest esse obiectum primariò scilicet & per se; potest tamen per accidens, & secundariò esse obiectum; nempe, ut per iuxta positionem ad Ens intelligatur, per remotionem Entitatis. Atque hoc sensu posteriori intellectus, & Logica occupantur in Non ente, & Logica Non enti induit formas suas, per similitudineu videlicet ad Entia, Atque

Obiectiones.

Observanda.

Non Ens quomodo possit esse obiectum.

sic

sic in summa absurdum non est, aliquod non Ens esse subiectum vel obiectum secundarium, & per accidens. De subiectis cæteris autem alia limitatio facienda est.

34 *De rebus fictis.*

Igitur de rerum fictarum adiunctis respondeo bifariam: 1. Si in rigore loquamur, res illæ non habent adiuncta. Sicut enim ipsæ non sunt, sed finguntur solùm, ita enim non habent adiuncta, sed finguntur habere. 2. Si tamen ἐν πλάτει loquendo, admitterentur habere adiuncta, tunc etiam admittenda est hæc proportio: Quod est verè non Ens, eius etiam verè non est subiectum vel adiunctum. Rursus, quod quidem est non Ens, sed tamen fictum ut Ens, huius etiam fictum subiectum & adiunctum est.

35 *Ens bifariam sumitur.*

Ad quartum respondeo, accuratè loquendo res futuras non esse non Entia. Hic tamen advertendum, Ens bifariam sumi: Aliquando intelligitur participaliter, & tum, (sicut alia participia connotant actum; ut currens est, qui actu currit, scribens, qui actu scribit; dicens, qui actu dicit; sic etiam) Ens connotat actum. Estque sic Ens, quod habet actum essendi, vel est idem, quod existens. Et hoc significatu res futuræ non sunt Entia. Aliter Ens sumitur nominaliter, quæ transcendentalis eius significatio est. Et sic Ens abstrahit ab eo, quod est actu vel potestate. Estque adeò Ens non solùm id, quod nunc actu consistit, sed etiam quod est possibile. Est autem possibile id, quod est & latet suis causis. Ex dictis patet, adiuncta rerum futurarum non esse adiuncta Non-Entium.

36

Ad quintum dico: Privationes esse adiuncta per ἀναλογίαν, & similitudinem ad habitus. Est enim privatio εἶδός πως, quodammodo habitus per *Arist. lib. 1. Phys. cap. 8. text. 75. & lib. 5. Metaph. 17.* Et propter hanc ἀναλογίαν Logicus etiam dicit privationes esse adjuncta.

IV. An Deus sit subiectum?

37

Quæritur: An Deus possit esse exemplum subjecti, subjecti, inquam (non occupantis, sed) inhærentiæ vel inhæsionis. Quæro autem de duobus: 1. An eorum attributorum, quæ idem sunt cum essentia divina, adhuc tamen Deus possit dici subjectum, veluti omnipotentiæ, omniscientiæ, & cæterorum. Deinde: An sit subjectum Deus, vel filius Dei, respectu humanitatis assumptæ? De singulis videndum.

1. An Deus sit subiectum attributorum, quæ realiter eadem sunt cum ipso?

Suppono

Suppono inprimis ex Metaphysicis Deo nõ convenire acci- 38
dentia, quæ in eo sint, sed attributa, quæ in Deo dicantur identificari cum essentia divina. Igitur hæc quæstio resolvenda est sic, sicut illa: An Ens habeat effectiones? Vel: An Ens sit subjectum suorum attributorum? Nam & hæc attributa ab Ente realiter non differunt, differunt solùm, quòd connotant aliquem respectum vel negationem, quæ non indicantur voce *Entis*. Sic Ens & bonum realiter idem sunt, solùm differunt, quòd bonum implicat respectum ad appetitum vel voluntatem, qui primò non significatur voce *Entis*. Sic & unum realiter idem est cum Ente, & solùm differunt, quòd unum implicat negationem, hoc est, indivisionem, quæ primò non significatur voce *Entis*. Ad eum modum est etiam in divinis attributis. Hæc realiter eadem sunt cum ipso Deo, differunt tamen, quòd hæc etiam connotant aliquid expresse non significatum voce *Dei*. Sic omnipotentia significat essentiam divinam, sed cum hoc respectu, quatenus scilicet refertur ad objectum possibile vel factibile; Omniscientia, quatenus respicit objectum cognoscibile, & sic in cæteris.

Igitur Logicè Deum dici posse attributorum suorum sub- 39 *Decisio.*
jectum, & Ens suarum effectionum, patere potest ex aliquibus signis: 1. Quia attributa isto de Deo, sicut affectiones Transcendentes de Ente *demonstrantur*. At quod demonstratur, non concipitur aliter quàm subjectum, nec de quo fit demonstratio, concipitur aliter quàm subjectum. Antecedens patet. Nam de Deo demonstramus, quòd sit immortalis, Ens perfectissimum, immensus, & sic in cæteris. 2. Quia axiomata, quæ ex hac materia sunt, non possunt aliter resolvi, quàm ex subjecto & adjuncto. Veluti Deus est omnipotens, est immensus. Quorum argumentorum hæc dispositio, si non est dispositio subjecti & adjuncti? Alia mitto.

Duo sunt quæ *obstici* possunt. 1. De ratione adjuncti est, 40 ut subjectum sit extra essentiam ejus, quemadmodum risibilitas non est homo, & mobilitas non est corpus. Ita patet, quia adjunctum definiunt mentione subjecti solùm ex *Divisione*, per additionem vel oppositionem alicujus extranei, vel extra essentialis, ut *Aristoteles* docet *lib. 7. Metaph. c. 5. 18. & 1. post. cap. 18. text. 35.* At talia non sunt attributa divina. Sunt enim realiter eadem cum ipsa divina essentia, ut nunc suppono. *Objectio.*

2. Si Deus esset subjectum suorum attributorum, tunc

Deus

Deus esset compositus, nempe ex subiecto & adiuncto. At hoc est absurdum.

42 *Solutiones.* *Ad primum* respond: Aliud esse, esse verum Accidens, vel affectionem propriè dictam; & aliud concipi vel explicari per modum adiuncti vel affectionis, ut in attributis Entis notavit *Suarez disp. 3. Metaph: sect. 1. n. 5.* Igitur quod verè est accidens vel adjunctum, extra eius rationem debet esse subjectum. At secus est in iis, quæ solum explicantur per modum adjuncti, sicut affectiones Entis etiam implicant Ens, ut prius dictum, & tamen explicantur per modum affectionum & adjunctorum.

43 *Ad secundum* dico: Etsi Deus sit subiectum suorum attributorum, non tamen hinc fit in eo compositio ex subiecto, & adjuncto, vel accidente. Hoc ipso, quia illa attributa, sunt realiter eadem cum Deo. At termini componentes debent esse termini realiter distincti. Rursus simile est exemplum de affectionibus Entis. Nam neque hæc faciunt compositionem cum vel in Ente, quia illud realiter includunt. Si enim faciant compositionem in Ente transcendente sumpto, erit simplicissimum non posset dici Ens. Ens enim involueret compositionem, simplicissimum autem removet omnem compositionem.

3. *An Deus sit subiectum humanitatis?*

44 Intelligitur hæc quæstio de persona Christi. Estque ante omnia animadvertendum, vocem Dei hic bifariam intelligi posse; vel enim intelligitur, ut Concretum personæ, estque idem quod Christus vel Messias, quod est nomen significans duas naturas, ut docet *Damasc. lib. 3. de Orthod. fid. cap. 3.* Et *August. in Psal. 44.* vel intelligitur ut Concretum divinæ naturæ, veluti, cum Dicimus, Christus est Deus & homo. Et hoc posteriori modo aliqui dicunt Deum esse subjectum humanitatis. Et rursus: Deum, hoc est, Christum, vel suppositum personale est totum (non subjectum) cuius pars sit humana natura. De utroque videndum.

45 *Naturæ partes sunt personæ.* *I. Natura divina & humana possunt quodammodo partes dici personæ τῦ λόγυ.* Ita communiter nostri docent, qui distinguunt inter λόγον ἀπλῶς, & ὑφεστῶτα, Simplicem & Compositum. Simplicem ante incarnationem, Compositum post incarnationem. At Compositum non est, quod partes non habet. Partes ergò erunt naturæ distinctæ τῦ λόγυ. Deinde facit huc similitudo, qua Patres utuntur ad

describendam

describendam unionem personalem, quæ sumpta est ab anima & corpore, quæ partes sunt compositi. Sic *Justinus Martyr. in expos. fid. tom.* 3. *f:* 18. Congruens exemplum dicit, quod sumitur ab anima & corpore, ad illustrandam unionem personalem. Et *Athanas: in Dial: in Trin: & in Symbolo*, sicut anima rationalis & caro, unus est homo. Ita Deus & homo unus est Christus. Vide etiam *August. Epist.* 57. Imò apertissimè naturas istas partes dicit *Damasc lib.* 3. *de Orthod. fide. cap.* 4. Sic & Patres alii. Et *Fonseca lib:* 5. *Metaphys. cap.* 8. *art.* 7. *sect.* 2. *fol.* 560. *Thomas part. quæst.* 2. *art.* 4. *Lombard. lib.* 3. *d.* 6 Philosophi & Theologi alii.

Dixi autem *Quodammodo*, quia sunt aliquæ imperfectiones, quæ significantur voce *partium*, quæ naturis istis Christi non conveniunt. Veluti, quòd omnis pars est aliquid incompletum & imperfectum, item quòd partes habent distinctionem à toto. Et cum hac conditione intelligendus est etiam *Damascenus*, Duas naturas, inquit *Clichtophæus* Commentator *Damasceni, l.* 3. *de Orthod. fid. cap.* 4. vocat *Damascenus* partes ἀναλογία, quòd quemadmodum partes inter se diversæ uniuntur in toto, ita hujusmodi duæ naturæ in uno supposito. Illarum tamen naturarum non est compositio in Tertio, sed simplicissima unio. 46

Hanc tamen sententiam oppugnat *Goclenius part.* 3. *Misc. cell. Theolog. pag.* 206. *seqq. & disp.* 6. *Colleg. Theolog. confect.* 4 & inprimis *Goslavius Antitrinitarius, lib.* 3. *contra Keckerm.* (qui duas naturas partes posse dici Christi tradit *lib.* 3. *System. Theolog. cap.* 2. *pag.* 311. Et *System: Log. lib:* 1 *c. p.* 32.) *cap.* 5. *pag.* 145. Sexcenta, *inquit*, argumenta sunt, quibus hic error tollatur. Ponit autem solum duo. 1. Sequitur, *inquit*, Christum personam non necessariò habuisse humanâ naturâ non assumpta. Totum enim non est, nisi partibus constitutis & positis. 2. Homo de Christo non prædicabitur, ut nec Deus. Pars enim non prædicatur de toto. Hac posteriori ratione utitur etiam *Goclenius citato loco.* Additque *Goclenius tertiò*, si humanitas esset pars personæ Christi, esset pars Verbi. Item 4. Summè simplex (ut Deus) non potest cum alio subire compositionem & constitutionem. Atque hanc quartam rationem etiam usurpat *Beza. Resp.* 1. *ad Colloq. Mompelg. pag.* 119. Ubi tamen postea fatetur posse naturas partes vocari ἀναλογία, verbis suppressis nomine 47 *Goslavii Antitrini. tariiobiecti.*

nomine descriptis ex *Clichtophæo*, quæ antè relata sunt.

48 Ad *primum* respondeo negando consequentiam. Sæpe enim contingit, ut pars sit, quod toti constituto additur. Sic dens est pars animalis, qui accedit vel adnascitur animali producto. Sic & cornua, pili, plumæ in animalibus. Et in summa, quicquid acquiritur in accretione, veluti est pars superior arboris, id pars est, & tamen accidit arbori habenti esse. Facitque huc similitudo veterum, qui hanc rem declarabant similitudine sumptâ à surculo vel ramo, qui inseritur vel implantatur stipiti. Iste est pars totius arboris post insitionem, quæ tamen antè habebat etiam esse.

Solvuntur obiectiones

49 *Ad secundum* respondeo. Negando quòd partes nunquam possint enunciari de toto. Fallitque in universum de partibus, quæ extra unionem faciunt peculiaria supposita vel personas, ut differeri saltem non debet *Goclenius*. *Carolstadius* enim istam propositionem, Christus est homo, comparavit cum illa, Minotaurus est homo. Nempe in hoc uniuntur natura humana & taurina. Hinc ergò dico: Minotaurus est taurus, & Minotaurus est homo. Sic in *Tragelapho* uniuntur natura cervi & hirci. Et inde dicimus, *Tragelaphus* est cervus, *Tragelaphus* est hircus. Hæc exempla non ideò affero, quasi propositionem personalem velim his æquare, sed solùm, ut appareat, partem quandoque enunciari nomine substantivo de toto. Semper autem recogitandum est, solùm naturos vocari partes *quodammodo*.

50 *Ad tertium* resp: Negando consequentiam. Alia enim relatio est humanæ naturæ ad Deitatem, alia ad personam: Alioquin etiam inferam, si humana natura est adjunctum divinæ naturæ, est etiam adjunctum personæ; Absurdum.

51 *Ad quartum*, similiter respondeo solùm quodammodo partes vocari naturas Christi. Quòd autem ad hoc, ut quodammodo pars sit, Dei simplicitas non obstet, patet ex hoc ipso, quia eo non obstante unitur personaliter cum alio. At hoc ipsum (uniri cum alio personaliter) indicat naturam divinam esse alterum terminum unitorum, unde involvitur qualiscunque ratio partis.

52 *II. Natura humana in Christo non debet dici divinæ naturæ adjunctum.* Hæc propositio consideratur naturas Christi ad invicem, intenditurque nunc declaratio illius, quod principaliter quæritur. Et est ea propositio contra *Goclenium*, qui adjunctum vocat *part. 1. problem. quæst. 41. to. part. 3. Controv.*

Controvers. Theologic. 1. 2. n. 228. ex Scheckio in Collegio Theolog. disp. 6.

Contrarium autem tenet Dn. D. Menzerus *d. 2. tem. 2.* 53
Giess. th. 71. Dn. D. Meinerus *Philos. sobr. sect. 1. quæst. 4. q. 113.* Chemn. *lib. de duabus naturis in Christo cap. 6. p. 38.* Rationes *Col. 2.* adde Thomam *3. part. quæst. 2. art. 6.* Sunt que hujus illius sententiæ. negationis fundamenta firmissima. 1. Si humanitas esset adjunctum λόγου, cum λόγος non posset dici homo, sed humanus. Adjunctum enim non prædicatur de subjecto nomine substantivo. Indeque exposita sententia sequitur θεοτης Nestoriana, quam rem non solum nostri Theologi urgent, sed etiam Thomas *citato loco.* Alia opinio, inquit, incidit in 52
errorem Nestorii, quantum ad hoc, quod posuit unionem accidentalem. Non enim differt dicere, quod verbum Dei unitum est homini Christo, secundum inhabitationem, sicut in templo suo, quod dicebat Nestorius: & dicere, quod unitum fuit verbum Dei homini, secundum indultionem, sicut vestimento.

2. Si humanitas est adjunctum λόγου. Ergo vel inhæret, vel 54
adhæret ei. Alius enim modus adjuncti dici non potest ulla specie. At non inhæret. Nam hic modus adjunctionis convenit solis accidentibus, non substantiis. Ergo erit adjunctum adhærens. Id autem non potest aliter declarari, quam exemplo vestis, armorum, & similium, quæ adhærent homini. At in his est παρίστασις vel διαχώρησις, nulla περιχώρησις. Ergo aut dicendum est inter naturas Christi, nullam esse περιχώρησιν, quod absurdum est, aut non esse alteram alterius adjunctum adhærens. Et proinde nec adjunctum adhærens. Et proinde nec adjunctum ullo modo.

3. Subjectum non est in suo adjuncto. At λόγος est in 55
carne. Ergo λόγος non est subjectum carnis. Propositio patet. Nam esse IN circumscribit relationem, quam adjunctum habet ad subjectum, non quam subjectum habet ad adjunctum. Ass. patet, multis textibus scripturæ. *Col. 1. v. 19.* 81
Col. 2. v. 9. IN ipso habitat omnis plenitudo Deitatis. Item *1. Johan. 4. vers. 3.* Jesus Christus venit EN σαρκι. Item Deus manifestatus IN carne. Et propter has locutiones carnem Patres vocarunt δοχειον (quæ res valdè vicina est nomini subjecti. Ita enim dicimus materiam esse δοχειον sive receptaculum, seu subjectum formæ) τῦ λόγου. *Epiphan. in Ancorato.* vocat δοχειον σοφιας & θεότητος. Et *Cyrillus* hoc sensu ait

in Epist. Synodica. Verbum in natura humana talem sibi habitationem fecit, qualem & anima hominis habere creditur ad proprium corpus.

Nunc solvendæ sunt *objectiones*: *Goclenius* sic argumentatur *part. 1. problem. 4.* Caro est adjunctum λόγῳ, quia accessit λόγῳ. *Respond.*: Negando consequentiam. Multa enim accedunt aliis præexistentibus, quæ adjuncta non sunt. Sic guttula, vel totus fluvius accedit ad nostrum Lanum. Et tamen ista vel iste hujus adjunctum non sunt. Faciunt huc etiam exempla allata in solutione primi argumenti *Goslaviani.*

56 *Objectiones solvuntur.*

57 *Axioma: Quod advenit Enti in actu, id est accidēs.* Explicatur

Instas: Quod advenit Enti in actu est accidens. Atqui natura humana advenit λόγῳ in actu existenti. Ergò est accidens. *Respond.* 1. per *accidens*, in ista regula non intelligitur accidens Topicum (ut sic loquamur) hoc est, adjunctum, sed accidens prædicamentale, quale quid fortasse nemo dicet esse humanam naturam. Unde regula ista non est ad propositum. 2. Illa regula, non caret exceptionibus Anima accedit corpori misto. Et tamen non est accidens, sic & in exemplis aliis in hac quæstione recensitis. Limitatur autem bifariam: 1. Quod convenit Enti in actu, est accidens, nisi illud Ens actuale aptum sit, ut perficiatur alio actu perfectiori. Et sic anima accidens corpori misto non est accidens. Vide *Perer. lib. 7. de natura. 22. & Fonseca: lib. 5. Metaph. cap. 8. quæst. 6. sect. 5. pag. 554.* 2. Quod advenit enti in actu est accidens, nisi trahatur in communionem illius esse. Sic ergò verbo Dei, quod ab æterno habuit esse completum secundùm hypostasin, advenit humana natura, sicut corpus assumitur ad esse animæ, sed tanquam ad unum esse, prout est hypostasis. Et sic humana natura non est accidens λόγου. Vide *Thom. 3. p. q. 2. a. 6.*

58 *Deinde* objicitur: Quòd Patres dicunt λόγον *induisse* se carna. Et carnem esse veluti *vestem* λόγου. Item quod *in Epist. ad Hebr. 10. vers. 20.* Caro Salvatoris appellatur *velamen. Respond.* 1. De Loco ad Hebræos diversæ sunt sententiæ. Scio aliquos carnem vocare velamen respectu divinitatis. Alii tamen interpretantur velamen dici per Metaphoram, quia est illud velum, per quod licet ingredi in sancta sanctorum, hoc est, ad vitam æternam, factâ similitudine ad velum Veteris Testamenti. Sed hoc in re non moror. 2. Igitur resp: Carnem vocari velamen, aut vestem divinitatis

per

per similitudinem. Similitudo autem non efficit, ut verè humana natura habeat relationem hanc ad divinam naturam, ut sit adjunctum adhærens. Vocatur igitur vestis & velamen, quia divina natura in se inconspicua, tegitur est humano corpore visibili.

V An Locus sit subjectum rei locatæ? 59

Ramus ait, locum esse subjectum rei locatæ, *lib. 1. Dial. cap. 10*, Quod aliis non placet. *Aristoteles* enim *in lib. Phys.* numerat locum inter affectiones corporis naturalis. Affectiones autem sunt adjuncta. Locus igitur erit adjunctum corporis naturalis. Mihi inprimis observandum videtur hic nomen loci, ut sic, non prædicari de re locata, sed sub nomine alio. Dicimus ergò *Corpus est locale*. Item: *Corpus est locatum*. Item: *Corpus est in loco*. Hæ locutiones non sunt omnes eiusdem generis, quantum ad præsentem quæstionem attinet.

Ergò hæc prædicatio; *Corpus est locale*, facit locum adiunctum corporis. Et id quidem internum sive inhærens. 69
Nam localitas est nihil aliud, quàm aptitudo, ut aliquid locetur. Illa autem aptitudo est adiunctum quantitatis, sicut & aptitudo ut aliquid dividatur, vel, ut proxime aliquid alicui sit æquale aut inæquale. Proveniunt enim hæ omnes quantitatis affectiones ex extensione, quam formaliter causat quantitas.

Deinde hæc prædicatio: *Corpus est locatum*, itidem facit 61
locum adiunctum corporis. Et id quidem Externum. Nam locatum dicit talem denominationem ad corpus, qualem denominationem dicit habitus ad rem habituatem. Ergò similes sunt locutiones: Corpus est locatum, Homo est animatus: Homo est vestitus. Poculum est inauratum, ut ostendi *in Introduct. Logic. cap. 7. num. 27. in comment.* Habitus autem est aliquid extrinsecum. Ergò & Locus est aliquid extrinsecum, hoc est, utrumque est adiunctum Externum.

Deinde hæc prædicatio, *Corpus est in loco*, Potest ha- 62
bere duplicem sensum. *Primò*, ut corpus sit in loco, in quantum locus est aliquid circumdans corpus. Et hoc sensu idem valet ista propositio cum ista: *Corpus est locatum*. Et proinde vc adhuc locus est aliquod Extrinsecum adiunctum corporis. *Secundò*, ut corpus sit in loco, quatenus locus aut corpus locans, aut superficies ambientis (rem locatâ) recipit rem locatã

id se. Et sic apparet locum esse subiectum. Subjecti enim est recipere aliud ad se.

V. Tempus sive Subiectum an adiunctum?

63 Tempora Poëtis & Oratoribus solet efficientia tribuere ad res producendas. Unde consequenter illis tempus est efficiens. Id tamen nunc non quærimus. An accurate dictum sit, sed quærimus totum de respectu temporis, quem habet ad res non producendas, sed ubi, ut ita dicam, coexistentes. Mihi videtur hic distinguendum esse. Tempus aliud est extrinsecum, aliud intrinsecum. Illud est cujusque corporis durationi quam haberet etiam quiescente, aut non existente Sole. Hoc igitur tempus est adjunctum rei durantis. Extrinsecum autem est motus Cœli, qui mensuræ durationes intrinsecas rerum, unde ex proportione ad istum, dicitur aliqua res diurna, menstrua, annua, &c. nempe diurna, quæ durat Sole semel ad idem punctum cœli reverso. Menstrua, quæ durat Sole peragrante omnes gradus alicujus signi Zodiaci. Annua, quæ durat sole peragrante omnia signa Zodiaci. Ergò cum sic res dicuntur esse in tempore, respiciendo ad tempus extrinsecum, dicendum est idem, quod dicebatur de eo: *Corpus est in loco*, nempe, secundum diversos sensus, in tempore esse, dei tribui, vel adjunctum, vel subjectum.

64 *Alia Quæstio.*

Solet hic inquiri, An Loci & Temporis doctrina in Logica, quæ judicari potest ex alia simili de motu superius tractata, *cap. 7. n. 22.*

VI. De subiecti & adiuncti divisionibus, & pertinentibus ad eas.

65 Primo: *Subiectum est inhæsionis, adhæsionis, vel occupans.*

66 Ad intelligendum quid sit subjectum inhæsionis iterendum est, Inhæsionem tripliciter dici. 1. Inhæsio opponitur τῷ καθ' ὑπόστασιν per se subsistentiæ. Sic accidens definitur Ens inhærens in alio. Ubi voce *inhærendi* distinguitur accidens a substantia, cui attribuitur per se subsistere. Inhærere autem hic late sumitur, ut in doctrina accidentis expolui, estque idem, quod substantiam extraessentialiter afficere, sive id hac (specialiter sumendo vocem) inhærendo, sive adhærendo, seu quocunque modo alio. Accidens enim comprehendit etiam habitum & actionem, quibus aliàs specialius dicta inhærentia non convenit. Unde hæc significatio non

Quod subiectum in hæsionis.

non est hujus loci. 2. Subjectum inhæsionis opponitur subjecto denominationis. Estque tum subjectum inhæsionis idem, quod subjectum informationis. Proindeque est nihil aliud quàm pars compositi alicujus, cui primò convenit aliquod adjunctum, ejusque causâ convenit compositio, quod (compositum tum vocatur subjectum denominationis. Ita anima est subjectum inhæsionis respectu doctrinæ. Homo autem est subjectum denominationis. Et hæc significatio etiam non pertinet ad superiorem definitionem. Nam subjectum denominationis, quod vocatur, est etiam subjectum inhæsionis, ut hic sumimus eam vocem. Nam doctrinam etiam ad hominem (& non solùm ad animam) referendo, inhæret ei, non adhæret. 3. Igitur subjectum inhæsionis opponimus subjecto adhæsionis. Et sic subjectum inhæsionis appellamus, quod recipit adjunctum intra se, ut quasi substantiam suam permeet. Indeque tale adjunctum intrinsecè conjungitur cum subjecto, illudque informat, & proindè rectè potest dici adjunctum *internum*.

66 *Subjectum adhæsionis.*

Ex his clarum est, quid subjectum adhæsionis dici debebat, nempe illud, cui intrinsecè conjungitur adjunctum, ut est Homo respectu vestium, armorum. Sunt hic duo observanda. I. Cùm adhærens dicimus, non intelligi illud solùm, quod secundùm sensum, & apparenter extrinsecùs cum subjecto conjungitur, sed intelligi generatim, omne illud, quod quâvis ratione extrinsecùs alii conjungitur. Sic adjunctum adhærens officio Magistratûs, sunt onera, invidia, obtrectationes, &c. II. Observandum est: Aliquos distinguere adjuncta adhærentia à circumstantibus. Et adjunctis circumstantibus annumerant tempus. Nihilominùs commodè sub uno vocabulo adhæsionis etiam circumstans intelligi potest, ut patuit.

67 *Subjectum occupans*

Denique subjectum occupans sive objectum vocatur, in quo occupatur adjunctum. Sic studiosi objectum sunt artes & libri; visûs objectum sunt colores; auditûs objectum sunt soni, & sic in aliis exemplis, quæ in Theorematibus posita sunt. Unum hic explicandum est.

An objectum rectè referatur ad locum Subjecti?

68

Videtur quod non: Videturque potiùs causa esse. Convenit enim objectis causalitas: eo ipso dum dicuntur, verbi gratiâ, objecta sensilia, *movere* sensus. Et *Aristot: lib:* 2 *de*

anima 2. *de anim.* 97. ait Sensum pati & alterari à sensibili. Et hinc aliqui potentiam sensitivam dixerunt solùm esse passivam, transcribentes omnem operationē objectis sensibilibus. Ita sensit *Venetus in summ. de anim. cap* 10. *Niphus in lib de sens. agente*, aliique plurimi. Consule scriptores *de anim.*, & *Interpp. Aristot. ad* 2. *de anim. c.* 5, 6.

70 Hac in re dicendum est per distinctionem: Objecta potentiarum activarum, secus enim est de obiectis dicipinarum, quæ activitatem non videntur habere) posse dici causas, & etiam esse subiecta. Habent enim talia obiecta duo officia. 1 Excitare potentias activas ad actus. Hoc respectu sunt causæ, ut recte collectum est in prioribus. 2. Terminare actus istarum potentiarum. Et sic non sunt causæ. Terminare enim aliquid non sufficit ad rationem causæ, ut suprà *de five*, diximus. Atque hoc ultimum officium convenit obiecto, ut est tale & simpliciter. Et proinde reperitur in omni obiecto Dicitúrque secundùm hoc obiectum esse subiectum.

II. *Subiectum est Proprium vel Commune. Et, Adiunctum est Proprium vel Commune.*

71 Quia mentio horum terminorum frequentiùs occurrit, ut iuncti sint voci *adiuncti*, quàm ut voci *subiecti*, idcircò hæc in re loquemur potiùs de adiunctis, possúntque tractanda in proportione intelligi de subiectis.

I. *De voce* Proprii.

Vox *Proprii* multifariam accipitur. 1. Proprium accipitur
72 pro quovis non communi; & secundùm hunc sensum cum
Proprium multis modis dicitur. variis rebus complicatur, ut Propria causa, Proprius finis, Propria definitio, Proprius effectus, &c. Huc pertinet significatio, secundùm quam *Aristoteles* etiam differentias & definitiones essentiales proprias dicit. Sic 1. *Top. cap* 3. §. 7. Dicit Proprium hominis esse animal habens animam. Et *ibid. cap*, 1. §. 4 hominis proprium dicit esse animal mortale, & capax disciplinæ II. Proprium opponitur figurato. Et sic dividit vocem vel vocabulum. Estque tum proprium id quod usurpatur in nativa sua significatione. Hoc sensu dicitur, verba in definitionibus debere esse propria, (non figurata.)

III. Specialiter sumitur proprium pro adiuncto. Vocatur à Græcis ἴδιωμα, vel ἴδιον, ἴδιος. Et opponitur accidenti in prædicabilibus, aliàs adiuncto communi.

73 Cæterùm huius proprii quatuor sunt modi, ut *Porphyr.*
Quatuor *annotat Isag. c.* 4. Est illud: ὃ μόνῳ τινὶ εἶδει συμβέβηκεν, εἰ καὶ

κατὰ παντὸς hoc est, *quod uni speciei convenit, etsi non soli*, ut homini mederi, vel Geometram. II. Illud: ὃ πάντῃ συμβέβηκε τινὶ καὶ ἐπὶ πλείω, ἀλλ' οὐ μόνῳ, *quod omni speciei convenit, etsi non soli*, ut homini esse bipedem. III. Illud: ὃ πάντῃ, καὶ παντὶ, καὶ μόνῳ, hoc est, *quod soli, & omni, & alio modo*, non autem semper convenit. Ut homini canescere in senectute. IV. Illud: ἐφ' ᾧ συνέβαινε τῷ μόνῳ, καὶ παντὶ, καὶ ἀεὶ, *in quo concurrunt, in omni, & soli, & semper*, ut homini risibilitas. Estque hoc ultimum proprium κατ' ἐξοχὴν proprium & requirit, ut subjecto suo soli conveniat, & ut subjecto semper conveniat. Circa istam vocis distinctionem valdè usitatam, inquirendum est: modi Propii. 73

An benè vox Proprii *dividatur in quatuor modos?*

Multa desiderari solent in hac divisione proprii, quæ videri possunt apud Interpp. *ad Isag. Porphyr. c. 4.* Duo sunt principalia: 1. Secundus modus proprii non videtur contineri sub diviso. Nam quod soli non convenit, id est commune. At commune opponitur *Proprio*. Et sic etiam *Aristot. 1. Top. cap 5.* Nemo id proprium vocat, quod etiam aliis convenire potest. 2. Primus modus proprii etiam non videtur contineri sub diviso. Nam proprium debet prædicari in secundo modo dicendi per se. At quod sic prædicatur, prædicatur etiam καθ' παντὸς, hoc est, de Omni & Universaliter. Siquidem gradus necessitatis posterior includit priorem. Nihilominùs tenenda est supradicta divisio, ut communiter approbata. 74 75

Estque observandum: I. Esse illam distinctionem proprii non tàm realem, quàm animalem solùm, hoc est, resolutionem ambigui. Unde hoc infertur, quòd isti, quatuor modi non debeant convenire in communi aliqua definitione, & essentiâ, non omnibus proprii conditionibus. Decisio.

II. Observandum, etiam secundùm *Aristotelem*, Proprium non dici eodem modo. Facit ergò *in 5. Top. cap. 1.* Aliud proprium absolutè, aliud proprium per comparationem. Et hoc quidem dicitur id, quod cum absolutè proprium non sit aliquo tamen respectu est proprium. Unde in hoc comparato proprio deficient aliquæ conditiones proprii absolutè dictæ. 76

His positis respond. ad utramque objectionem suprà relatum. Nempe proprium (non in tota sua latitudine, sed) quarti 77 Solvuntur objectiones

quarto modi, quod famosè intelligitur voce proprii, intelligit *Aristot.* cùm dicit: proprium non dici, quod aliis convenire potest, sicut de eodem intelligitur, quod dicitur, proprium prædicari in secundo modo dicendi per se. Et per hoc facere cum subjecto propositionem universalem, non autem de proprio generalissimè sumpto, id est intelligendum.

II. De definitione Proprii.

78 Proprium, de quo nunc loquimur, est proprium κατ' ἐξοχὴν, quòdque *Porphyrius* fecit proprium quarto modi, *in Isag. c. 5.* & *Aristot. 5. Top. c. 1.* vocat proprium *absolutè*. Hoc ergò proprium circumscribimus particulis quatuor, quarum tres priores sumptæ sunt ex *Porphyrio eit. loc.* Sunt autem istæ, *Omni, Soli, Semper,* & *Primò*, seu *Per se*. Ergò adjunctum proprium est, quod convenit subjecto, *omni, soli, semper, primo,* & *per se*. Singula sunt videnda.

I. Axioma.

Proprium uni soli subjecto convenit.

79 Hoc sumitur ex *Porphyr. in Isag. c. 5.* ut suprà relatum est, & *Aristot. Top. c. 5. §. 5.* ἴδιον ἔστιν ὁτιοῦν ὑπάρχον μόνῳ καὶ ἀντιστρέφει πρὸς τὸ πρᾶγμα. *Proprium est, quod soli inest, & cum re reciprocatur.* Et postea *ibid.* εἰδέναι δὲ δεῖ, ἴδιον λέγειν τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλῳ ὑπάρχειν οἷον τὸ ἄνθρωπον εἶναι ἀνθρώπου. *Nemo sibi dicit proprium, quod potest alteri inesse, ut dormire homini.*

80 Ut hoc explicemus, notemus objectiones: I. In contra-
Objectiones rium est, quòd *Porphyr.* inter quatuor modos proprii, enumeret etiam illud, quod convenit omni non etiam soli, quod directè est contra positum axioma. II. Proprium ignis est calor; Et tamen non soli igni convenit calor, sed etiam aëri, aquæ, mistis. III. Si proprium uni soli subjecto convenit, Ergò non est communicabile. Nam si quod communicetur, duobus subjectis conveniet, nempe illi, quod communicat, & isti, cui communicatur. At nihilominus communicantur Propria, exemplo animæ communicantis potentias vitales corpori, & exemplo ignis communicantis calorem & lucem ferro. IV. Denique si proprium uni soli convenit, tunc non erit prædicabile. Nam prædicabile est idem quod Universale. At omne Universale est aptum, ut de pluribus prædicetur, & sic etiam, ut pluribus conveniat. Ista autem sunt pugnantia: Uni soli convenire, & tamen de pluribus prædicari.

Ad-

Ad primum resp. Cum proprium dicitur illud solummodo convenire, quod in superioribus dictum est, intelligitur de Proprio quarto modo, quod est *Secundum quid* proprium est. At quod est proprium secundo modo non est proprium, nisi comparatè & quodammodo. De quo loquens *Aristot.* 1. *Top.* c. 5. ait: Si quis etiam tale quid (quod solummodo convenit) vocaverit proprium, non simpliciter, sed aliquando, aut per relationem ad aliquid appellabitur proprium. Ita bipedem esse est proprium hominis per comparationem, nempe per relationem ad equum & talem. 81 Solvuntur obiectiones

Ad secundum resp. Proprium dicitur convenire suo subjecto primò, & id quidem in gradu excellenti. Unde quod proprium est, potest nihilominus alii rei convenire secundariò, & per participationem, & in gradu remisso. Ergò cùm dicitur, calorem convenire igni, ut proprium; & sic ei soli. Intelligitur ei soli convenire *primò & excellenter*. Cætera autem habent eum secundariò & remissè. 82

Ad tertium miror, quomodo quibus in mentem venire possit, per communicabilitatem tolli proprietatem, inprimis, quia sic sequitur, omnem communicationem destruere proprietatem. At hoc alterum est. Nam genus communicat suas proprietates, & tamen ejus proprietates, sunt proprietates, Item Elementa suas proprietates communicant mistis. Et tamen eorum proprietates, sunt eorum proprietates. Cæterum quod communicatio non tollat proprietatem patet, quia per communicationem non fit, ut aliquid æquè primò conveniat pluribus, quod sic demum repugnaret proprio. Facit autem communicatio solum, ut quod est proprium unius competat alteri secundariò, & per participationem. Ita potentiæ vitales soli animæ primò conveniunt, corpori autem non primò, sed secundariò, quemadmodum visum est in superioribus esse etiam in calore. Duoque sunt hæc in re accurate tenenda. 1. Proprium unius non potest esse proprium alterius. 2. Proprium unius secundariò potest convenire alteri. 83 Communicabilitas non tollit proprietatem.

Ad quartum dico. Proprium speciei posse ad duo referri 1. ad speciem. 2. ad Individua illius speciei. Igitur respectu horum est prædicabile & Universale, & de pluribus prædicatur, veluti risibilitas hominis de *Socrate*, *Senecâ*, &c. Respectu speciei autem est Proprium. Et de ista sola intelligitur prædicari. 84

Summa-

85 Summatim igitur axioma intelligitur 1. De adjuncto pro-
Summa. prio quarti modi. 2. Illud suo subjecto soli convenit primo, & in gradu excellenti. 3. Per subjectum proprii non sunt intelligenda individua speciei, sed species ipsa. Adde quod illud primum subjectum proprii aliquando sit ἀνώνυμον. Sic nomine careat subjectum, cui primo conveniat lux (quæ convenit stellis & igni) vis relpirandi quæ convenit ἀμφιστόις, & terrestribus animalibus.

II. Proprium convenit omni subjecto.

86 Hæc secunda est conditio requisita in proprio. Estque illius sensus, quod cum subjecto debeat facere axioma generale. Ita si risibilitas est affectio propria hominis, vera erit hæc. Omnis homo est risibilis. Unde consequens, ut quod est proprium speciei conveniat omnibus individuis illius speciei, & quod est proprium generis, conveniat omnibus speciebus & individuis, sicut *Aristot.* docet 5. *Top.* cap. 4. §. 8. Τῶν γὰρ τοῦ εἶναι, παντὶ ἀεὶ καὶ ἐν ἅπασιν ὑπάρχει, *Quæ sunt speciei, illorum semper idem speciei proprium est.* Ut nostrum hanc rem explicare.

87 *Objicitur Porphyrium in Isag. cap. 5.* recenset etiam modum
Objectiones proprii cum, quo aliquid soli convenit, sed non omni; quod directe est contra positum axioma. Ita proprium hominis est esse Geometram, Medicum, &c. *Respond.* Axioma intelligitur de proprio famose sumpto, quale est illud solum, quod quarti modi proprium dicitur. Unde per defectum istius conditionis (de convenire omni) superior modus censetur improprius esse. Significat hoc *Aristoteles*, quando istam conditionem non enunciat de quovis proprio, sed quod est absolute & per se proprium. 5. *Top.* c. 1. §. 1. ὅτι δὲ τὸ καθ' αὑτὸ ὑπάρχον ὁ ποτὲ ἐστὶ παντὶ καθ' αὑτοῦ) *Est per se proprium, quod ad omnia datur.*

Objicitur. II. Motus ab *Aristot. in lib. Phys.* recenseur
88 inter proprias affectiones corporis naturalis. Et tamen non convenit omni corpori naturali. Neque enim convenit terræ. Præterea paritas numeri, rectitudo lineæ propriæ-tates sunt. Et tamen paritas curvis numero non convenit, nec cuivis lineæ rectitudo. *Resp.* Proprium duo sunt ge-
Proprio-rum duo genera nera, ut colligitur ex *Aristot.* 1. *post.* §. 1. 31. Et ibi *Philo-pon.* 1. *de propos. necess. cap.* 12. *tract.* 2. *theorem.* Alia propria sunt simplicia; alia συμπεπλεγμένα, vel complicata. Ista sunt disjunctione reciprocantur cum subjecto suo, ut risibilitas in homine,

homine, quantitas cum corpore. Hæc verò reciprocantur demum cum disiunctione: ut, Numerus est Par VEL Impar. Linea est recta VEL Curva. Ens est potentiâ VEL Actu. Ens est singulare VEL Universale. Ex quibus intelligitur: Proprium convenire omni subiecto, sed differenter. Alia enim conveniunt omni, simpliciter, ut: Omnis homo est risibilis: Alia autem cum disiunctione, ut dictum est. Neque enim ex coniunctis propriis alterum seorsim proprium est, sed est solùm proprium cum suo opposito complicatum, ut satis sit, si alterutrum eorum conveniat rei alicui sub genere aut specie contentæ.

89 *Motum an sit proprium complexum corporis?*

Atque hoc videtur etiam dici debere de Motu, quòd scilicet non sit proprium simplex, sed coniunctum aut disiunctum cum quiete, sicut *Aristoteles* videtur indicare, 1. *Phys. cap* 2 *t.* 71. Supponatur, *inquit*, ea quæ sunt à natura omnia, *aut* quædam moveri. Sic & *Scal* 8. *de Col. c.* 152. Omne Corpus *aut* movetur, *aut* quiescit. Est tamen advertendum, Vocem *Motus*, posse sumi bifariàm: primò, pro actu, sive motione; deinde pro potentia, sive mobilitate. Ac quantum ad motionem attinet, verum est, non omni corpori convenire semper motionem. Sed id non officit nostro axiomati. Nam motio non est adiunctum proprium, sed est effectus principii moventis. De mobilitate verò dicendum est, nullum corpus esse, quod non sit mobile, etiam terra ipsa est mobilis. Etsi actu nunc non moveatur. Ita patet à duobus: I. Quia moveretur terra, si extra locum suum esset, non secus ac cætera naturalia moventur, cùm extrà suum locum sunt, secus enim & hæc non moventur. II. Quia mixta aliqua moventur, non nisi ad motum terræ, ut lapis, & alia gravia. Ergò signum est, terram esse mobilem, hoc est, talem, quæ moveri possit, si extra locum sit.

Terram esse mobilē probatur.

Obiicitur *tertiò*: de potentiis animæ. Istæ sunt proprietates rerum animatarum. Et tamen non conveniunt omni rei animatæ. Ita patet de facultate generativa, quæ non est in animalibus natis ex putri materia, aut ex diversis sexibus. Idem est de visu in Talpis, &c. *Dicendum* hic est: Istas potentias naturales esse in quâvis re animatâ. In quibusdam tamen animalibus non est actus illarum facultatum, hoc est, generatio, visio, & sic in cæteris. Explosa autem est ab *Aristot. in Metaph. Megarensium* opinio, qui negabantesse potentiam, ubi non erat actus.

90 *Potentiæ animæ aut conveniant omni animato.*

Dicatur

91 Dicatur summatim: Proprium 1. quarti modi convenit suo subjecto generaliter; 2. Aliquando divisim, aliquando simpliciter. 3. Intelligendo id de adjuncto proprio, non autem de effectu.

III. *Proprium convenit suo subjecto semper.*

92 Hæc tertia conditio proprii est, & intelligitur, ut priores de proprio quarti modi. *Τῶν ἰδίων δὲ τὰ κατὰ μηδενὸς μὲν ἄλλου, ἀεὶ δὲ καὶ ὅλῳ ἑκάστῳ ὑπάρχει. Ea sunt maximè Logica propria, quæ sunt per se & semper*, inquit *Aristot. libr. 5. Top. cap. 1. §. 6.* Cæterùm *semper* idem est, quod secundùm omnes differentias temporis, *τὸ δὲ ἀεὶ κατὰ πάντα χρόνον ἀληθεύεται, καὶ μὴ ποτὲ μὲν ἀληθεύειν*). *Semper est, quod verum est omni tempore, & nunquam amittitur*, inquit *Aristot. ibid. §. 4.* Porrò temporis differentiæ sunt: Præsens, Præteritum, & Futurum. Ergo quod est adjunctum proprium, semper convenit suo subjecto. Alii tamen vocem *semper* existimant, hic non significare collectionem omnium temporum, sed esse idem quod necessariò. Inducuntur ad hoc aliquæ probationes quas, quia faciunt ad explicationem nostri axiomatis, huc afferam: 1. Cygno semper convenit albedo, & Corvo nigredo. Et tamen illa non sunt propria. Ridere est proprium, & tamen homini non convenit semper. 2. Frigiditas & humiditas sunt propria aquæ. Et tamen aquæ non conveniunt semper.

93 *Ad primum* resp. Cùm proprium dicitur convenire semper; Non est idem reciprocum. Neque enim proprium dicendum est omne, quod alteri convenit semper. Ergò quod albedo Cygni, & nigredo Corvi propria non sunt, est per defectum conditionis alterius proprii, nempe quòd proprium soli subjecto convenit.

94 *Ad alterum* dico: Ridere, quantum ad vim vocis attinet, non notat adjunctum, sed effectum, significat enim actum risibilitatis. Et ridere hâc significatione omninò non est proprium (loquimur enim de proprio, quod adjunctum est.) Et permittitur sic ridere non semper convenire homini. At si ridere sumatur pro potentia ridendi, sive risibilitate, prout aliàs etiam non est infrequens, ut nomina actuum ponantur pro potentiis, sic ridere semper convenit homini, etsi non semper actu rideat. Neque enim potentia auferetur per ablationem actûs. Homo etsi non semper ridet, est tamen

semper

semper risibilis est *in Isag. Porphyr. cap. 4.* Risibilis enim dicitur non ex eo, quia semper rideat, sed quia aptus est ad ridendum.

Additur Conimbricenses cap. 4. in Porphyr. q. 1. art. 2. in fine existimant qualitates Elementares (quæ sunt Elementorum proprietates) posse bifariàm intelligi, vel secundùm existentiam, vel secundum convenientiam. Aliúdque esse semper existere in Elementis, & aliud semper convenire subjectis. Propria ergò colligo semper convenire subjectis, vel deberi illis. Sed tamen non semper existere in illis. Melius tamen forrasse dicitur. Aquam etiam calidissimam non esse calidissimam, hoc est, aquam, cùm habeat calorem summum, quem habere potest, non habere tamen calorem summum absolutè possibilem, & tantum, quantus in igne esse potest & solet. Is enim gradus caloris, qui in igne est, est gradus caloris summus. Quia ergò istum gradum nunquam assequitur aqua, relinquitur, quòd nunquam deponat omnem frigiditatem. Et per hoc frigiditas semper aquæ convenit, sed pro diversitate statuum, id est intensius vel remissiùs. 91 *Qualitates Elementares quomodo semper insint?*

IV. Proprium sua subjecto convenit primò & per se.

Voces hæ *primo & per se*, hic idem sunt, sicut in definitione naturæ apud *Aristot. 2. Phys. cap. 1. t. 3.* idémque est, si dicatur convenire subjecto *immediatè*. Nam & primum, & immediatum idem sunt, ut apud *Aristot. 1. post. cap 2. t. 9.* docet *Zabarella. cap. 2. §. 6.* Maximè Logica sunt propria, quæ per se conveniunt. Est autem observandum primitatem esse duplicem. Alia est primitas subjectiva, alia primitas causæ. Hic ergò primitas subjecti intelligitur, ut sensus sit, proprium subjecto isti cujus est proprium convenire primò, hoc est, non esse subjectum, cui prius conveniat. Alioquin autem adjuncta propria non necessariò habent primitatem causæ. Sic proprium hominis est risibilitas, cujus tamen causa non est homo, sed anima. Ergo quòd subjecto suo convenit secundariò, & per participationem, id huius proprium non est ex defectu huius conditionis. Et in his quatuor conditionibus consistit ferè tota definitio propriorum. 96 *Primitas duplex.* 101

Ad intelligendam plenius propriorum doctrinam alia etiam addamus axiomata. Quæ autem latiùs erunt tractanda, tractabo per modum quæstionis. 97

V. Cui

V. Cui tribuitur proprium ei etiam convenit essentia, cuius illud proprium est proprium.

Veluti cui convenit risibilitas, illud etiam est homo. Cui convenit æternitas, id est, Deus & sic in aliis. Obiervandum tamen est, id axioma intelligendum esse cum reduplicatione, de proprio, quâ proprium est. Nam si quod proprium est, alii tribuatur, non tamen ut huius proprium, sed ut huic secundariò conveniens, non etiam illi convenit essentia. Sic mixto convenit calor, qui est proprium ignis. Et tamen mixtum non est ignis. Neque enim ei convenit calor, ut huius proprium, sed secundariò calor tribuitur mixto.

98 *Observatio*

Secundò: Cui convenit proprium, &c. Intellige propriè, & absque Metaphora. Nam si maximè stomacho, aut rabulæ tribuatur latratus, qui est proprium canis, non tamen stomachus aut rabula est canis. Et sic in aliis.

99

Tertiò Etiam proprium intelligimus, non in quantum secundùm similitudinem dicitur. Sicut Picæ, & Merulæ, & Psittaco, & aliis avibus tribuitur vis loquendi, quæ est proprietas hominis. Neque tamen istæ aves homines sunt, quia ista vis non convenit eis, nisi per similitudinem.

VI. De quo negatur proprium, de eo etiam negatur essentia.

100 Veluti equus non est risibilis Ergò non est homo. Plantæ non habent vim sentiendi. Ergò non sunt animalia. Lapides non habent vim nutritivam & generativam. Ergò non sunt res animatæ. Intelligitur autem axioma nostrum de adiuncto proprio, non de effecto proprio. De multis enim negamus proprios actus, de quibus tamen non negatur essentia. De Gravi, ut securi *Elisæi*, negatur gravitatio, sive descensio, & tamen non desinebat esse res gravis, eo ipso, quia manebat securis, hoc est, res ex terra Elemento gravi mixtâ. Ignis non desinebat esse ignis, qui non urebat pueros in *Babylonica* fornace. Et sic in aliis. De hoc plenius dicam in quæstione.

VII. Quæritur.

An adiuncta propria possint separari a subiecto?

101 Κοινὸν τοῦ ἴδιου καὶ τοῦ συμβεβηκότος, τὸ ἀπ' αὐτῶν μὴ δύνασθαι ἀναιρεῖν, ἐφ' ὧν θεωροῦνται, hoc est, commune est proprio, & accidenti inseparabile, sine his non consistere, in quibus spectantur, apud *Porphyr. in Isagog. c. 2.* Ergò si proprium est inseparabile ab essentia,

Est

Est autem sensus hujus propositionis, quòd nec essentia (hoc est, subjectum proprium) possit esse sine suo proprio; nec proprium possit esse sine suo subjecto. Habentur his similia alibi passim: ὁ τῶν φύσεων ὄρος τῶν φύσεων ἐστὶ καὶ τῶν ἰδιωμάτων. *Negatio proprietatum est negatio & sublatio naturarum. Theodoret. Dial. 3. Vigilius l. 5. contra Eutychen; & in Epist. contra Monotheletas.*

Sunt autem hæc in re ista observanda. I. Separationem esse duplicem; alia est separatio mentalis, quæ vulgò dicitur *abstractio*; alia est separatio realis, quæ est divulsio unius ab alio: Sive illa divulsio fiat remanente utroque unitorum, quomodo separatur cortex ab arbore; sive sit cum alterius interitu, quomodo in dealbatione parietis separatur, & divellitur à pariete nigredo. Ex quibus dico: Intelligi in hac propositione separationem realem. Nam quantum ad separationem sive abstractionem mentalem potest omnino proprium separari ab essentia, sicut fit, cùm subjectum proprium definitur essentialiter; tunc enim solùm attenduntur essentialia subjecti. 102 *Separatio duplex.*

II. Observandum est: Aliud esse actum proprii, & aliud potentiam; verbi gratiâ, aliud est potentia ridendi, sive risibilitas, & aliud est actus sive effectus illius potentiæ, hoc est, risus, & sic in cæteris. Ex hoc dico: Etiam naturaliter propter impedimentum aliquod fieri posse, ut actus sive effectus proprii absit ab essentia. Ut de facto apparet in multis hominibus, qui non rident, neque lachrymantur. Et *in Fucatana & Cozumella, aliisque insulis, habentur canes alilei ad vescendum: quos negant ullum edere latratum*, ut refert *Scalig. exerc. 202. §. 3.* De proprio ergò ut potentiam significat, sive aptitudinem, intelligitur, quod dicit, quid non posse separari ad essentia. 103

III. Observandum est: Aliud esse, si loquamur de ordinario naturæ cursu, & impedimentis, quæ ex natura ponuntur; Et rursus aliud esse, si loquamur de extraordinaria Dei potentiâ, & impedimento, quod Deus potest ponere supra naturam. Et utroque modo *Calviniani* existimant impossibile esse, etiam Deo extraordinariè agenti, ut proprium sit sine subjecto. Recte tamen dicitur: *Divinâ potentiâ* separare posse adjunctum proprium à suo subjecto, hoc est, subjectum proprium carere posse suo adjuncto proprio, veluti ignem calore, hominem risibilitate. Id patet, quia Deus, 104

cùm sit agens liberrimum, potest pro voluntate sua influere, vel non influere, & suspendere influxum suum ad rem porrò conservandam. Ergo sic influere potest ad conservandum esse, verbi gratiâ, ignis; Et tamen non minùs suspendere influxum à conservando calore. Ergò sic calor interbit. Nulla enim res permanere potest, quam Deus non conserver. Ignis autem manebit. Neque enim res aliqua potest non esse, quam Deus influxu suo conservat. Ergò sic separatus relinquitur calor ab igne: Et confirmatur ab actu propriorum. Hunc non aliter quandoque Deus inhibet (veluti cùm impedimentum prohibens non est in natura) quam inhibendo aut retrahendo influxum suum Cur igitur non possit Deus eodem modo inhibere influxum suum ad conservandum proprium in subjecto?

Inquis: Eodem discursu confirmari potest: Posse hominem conservari sine anima, veluti si Deus influat ad conservandum hominem, non influat autem ad conservandam animam, *Resp.* Id impossibile est. Nam quia anima est de essentia hominis, non potest Deus influere ad hominem conservandum, quin eâdem actione etiam influat ad conservandam animam, At tale nihil est in igne & calore, Hæc enim suas seorsim habent essentias, nec unum in essentia alterius includitur.

105 *An naturaliter propria possint auferri à subiectis.*

Cæterùm tria sunt, quæ videntur suadere proprias etiam potentias auferri posse à subjectis. 1. Dici solet vulgatissimè, gravi in suo loco non esse grave. At gravitas est potentia naturalis, *Resp.* Grave bifariàm sumitur: Aliquando sumitur pro potentia tendendi deorsum, aliquando autem sumitur pro actuali tendentia deorsum, potestque melius dici *gravitatio*. His positis dico grave in suo loco non esse grave, hoc est, non gravitare, sive amplius deorsum tendere. Vide *Zabar. l. 1. de mot. grav. & lev. c. 17.*

106

II. Obiicitur. Ab aqua naturaliter, hoc est, per causas naturales separatur frigiditas & humiditas, quæ sunt illius proprietates. Ergò propria sunt naturaliter separabilia. *Resp.* 1. De *frigore* jam satis dictum in superioribus, *n. 95.* quòd. nunquam abesse ab aqua, quantum ad omnes gradus; Neque enim unquam aqua ita incalescere potest, ut habeat omnes gradus caloris, qui ex parte caloris possibiles sunt, id est, nunquam habet calorem igneum. At omnis remissio in qualitatibus Elementaribus, est cum admissione contrarii,

traria. Ergò si aqua nunquam est excellentissimè calida, semper retinebit aliquem gradum frigoris. 2. De *Humiditate. Respondeo*, cùm ea ab aqua tollitur, tunc non manet prorsùs ulla illius essentia. Tunc enim fit glacies. Glacies autem non est purè aqua, sed habet admixtum aliquid terræ 101
Ideoque glacies non est per omnia mensuranda ex natura aquæ, sed ex parte etiam ex natura terræ, unde glacies contrahit siccitatem. Alii valdè laborant hâc in re, sed prædicta solutio sufficiens mihi videtur.

III. Objicitur: Ab aëre tollitur (in media regione) calor, & tamen calor est aëris proprietas. Antecedens patet. 107
Nam aër mediæ regionis dicitur frigidus. Et esse eum talem ostendunt Meteora, quæ ibi gignuntur frigidissima, ut Nix, & similia. *Resp.* Aër in media regione etiam non est frigidissimus absolutè, quasi scilicet deposuerit omnem calorem, ut comprobatur experientia eorum, qui in summis montibus, cùm essent supra regionem nubium, non tantùm experti sunt tantum frigus. Unde relinquitur, calorem non esse prorsùs ibi separatum ab aëre. 2. Ergò istius regionis aër frigidus est solùm, comparatus ad qualitates aëris, in extremis regionibus, ubi est calidior. Omninò quomodo cunque aër dicitur frigidus (refrigerat enim nos in respiratione in comparatione ad colorem vitalem. 3. Frigidissima autem hæc meteora generantur ibi, non quia frigidissimus sit aër, sed quia cùm frigidus sit aër illius regionis, imprimit exhalationibus eò pervenientibus aliquem gradum frigoris, quo accepto, invalescunt quasi in seipsis, seque porrò reducunt ad naturalem statum, hoc est, frigiditatem sibi convenientem, cuius rei alia sunt exempla in Natura. Vide *Zabarellæ de regionibus, cap. 7.*

108
Perstringitur crassa Philosophia Calvinianorum.

Pro Coronide non possum, quin perstringam crassam Philosophiam *Calvinianorum*: Qui argumentantur, Corpus Christi non esse in Cœna, quia proprietates corporis sint palpari & videri, quæ ibi non conveniunt corpori Christi. Et supponunt propria esse inseparabilia. At palpari & videri non sunt, nisi proprii actus (potentiarum palpabilitatis & visibilitatis.) At actus propriè possunt vel à naturalibus causis tolli & impediri, adeò non connectuntur ἀχωρίστως cum essentia. Illud apparet in actu sentiendi, videndi, audiendi, loquendi, aliisque. Et alioquin etiam corpus Christi secundum est ἀόρατον invisibile. Plura, qui de hac quæstione volet,

vide *Schrod. in lib. de commun: prop. th: 596. seqq. Finck. part. 1. Scediasm. Meisner. Phil. s: Sob. s. 1. Victorem. l. 2. præscript. c. 17. aliósque.*

109 Negatio quæstionis sumitur ex *Porphyr. c. 17. §. 16.* Τῶν μὲν ἰδίων ἐπίσης μετοχή, τῶν δὲ συμβεβηκότων ἡ μὲν μᾶλλον, ἡ δὲ ἧττον, hoc est, *Propriorum est æqualis participatio, accidentium autem est magis aut minus.* Sic & *Damasc: in Dial: c. 28. Accidens magis & minus suscipit, proprium verò nequaquam.* Sic & *Scalig. exerc. 12 s. 2. Si proprium intenderetur, intenderetur etiam ipsa essentia; Est enim accidens proprium æquale essentiæ.* Et rursus, *exerc. 101. sect. 19. Affectus proprius partitionem patitur nullam.* Eadem cum *Scaligero* sententia & ratio est *Zabarellæ, l. 2. de mot. grav. & lev. c. 15. Formâ substantiale integrâ manente, necesse est proprietates quoque eam consequentes servari integras.* Vide eundem etiam, *l. de mistione, c. 3. in primo argumento.*

110 *Fonsecæ sententia.* At *Fonseca. lib. 5. Metaph. cap. 28. 19. s. 4. ad quartum* existimat: solùm qualecunque discrimen hoc esse, quòd ex susceptione & magis & minus sumitur inter accidens & proprium, habereq; solùm hunc sensum, quòd ut plurimum, accidentia intendantur & remittantur, propria autem nequaquam. Alioquin enim etiam quædam accidentia non intendi, & quædam propria intendi. Et addit exempla, quæ ostendunt propria intendi: 1. Qualitates Elementorum primæ, si absolutè sumantur, intensionem & remissionem patiuntur. 2. Etiam plurimæ naturales potentiæ materiales, ut sensitivæ & motivæ, quæ deficiunt paulatim in senibus, & in plerisque penitùs tolluntur. 3. Sed esse extensum, quod proprium est substantiæ corporeæ, magis & minus accipit. Non illo quidem modo, quo corpora additione novæ materiæ, quantitatísque accrescunt, & detractione decrescunt; verùm illo, quo eadem quantitas sit major & minor, cùm in rarefactione corporum majorem locum occupet, in condensatione minorem. Hæc *Fonseca. Suarez disp. 46. Met. s. 2. num. 10. seqq.* ait: Qualitates secundæ & quartæ speciei (hoc est, potentias naturales & figuram) non suscipere magis & minus. At qualitates primæ speciei, hoc est, habitus, & speciei tertiæ, hoc est, qualitates patibiles, ait suscipere magis & minus. Ex quibus relinquitur: Aliqua propria suscipere magis & minus, nempe quæ sunt qualitates Elementorum.

De propriorum intensione. Exempla Fonsecæ.

Mihi

Mihi hâc in re distinguendum videtur sic. Aliqua propria unicè & solùm, & adæquatè pendent ab essentia subjecti; Aliqua verò pendent in fieri, aut conservari etiam ab alia causa, vel prorsùs extrinsecâ (ut multi existimant esse in qualitatibus Elementaribus) vel saltem proprii subjecti dispositionibus, ut multi volunt esse in proprietatibus herbarum, quæ pro diversitate dispositionum (hoc est, prout sunt virentes, vel aridæ) alias atque alias proprietates habere existimantur; *Rursus* differunt etiam propria sic, ut alia habeant positivum contrarium, alia non habeant. Ista igitur prioris generis propria magis & minus non suscipiunt. Et, si ista intenderentur, intenderetur etiam ipsa essentia. Hæc autem omninò intendi possunt, quæ posterioris sunt generis, prout & causæ eorum intenduntur & remittuntur, aut intensius & remissiùs operantur, producendo aut conservando ea; omninò quemadmodum habitus intensiores aut remissiores sunt, prout intensiùs aut remissius operatur agens istos producens. 111 *Distingitur.*

Nunc specialiter videamus de objectionibus *Fonsecæ*, quæ non sunt omnes ejusdem ordinis.

I. De qualitatibus Elementorum. *Resp.* 1. Secundùm *Scaligerum*, istas qualitates non intendi, sed extendi solùm *exerc.* 12. *sect.* 2. Hæc tamen opinio meritò improbatur, ut manifestum erit, si solùm referamus distinctionem inter intensionem & extensionem. *Extensio* igitur est qualitatis diffusio ad plures partes quantitatis, vel aliquid simile istis. Sic extenditur calor, cùm qui est in quantitate pueruli, diffunditur ad quantitatem virilem. Dico etiam *aliquid simile partibus quantitatis* propter habitus, nam & his convenit augmentum extensivum, qui tamen propriè non habent partes quantitativas, nec primò recipiuntur in habente quantitatem. Extenduntur tamen isti per diffusionem ad plura objecta, sicut augetur habitus physicus, cum cognitioni Elementorum additur cognitio plantarum, & utrique animalium. *Intensio* autem fit per radicationem & firmiorem existentiam qualitatis in eadem parte quantitatis, aut aliquo huic simili. Sic intensio est, cum in aqua retinente eandem quantitatem, plures gradus caloris superaggregantur. Sic intenditur habitus physicus, cùm idem objectum (veluti Elementa) aut cognitum, porrò cognoscitur solidiùs. Ex quibus evidens est in Elementorum qualitatibus 112 *Solvuntur Fonsecæ objectiones.* *Extensio quid?* *Intensio quid?*

non dari ſolùm extenſionem, ſed etiam invenſionem.

113 *Propria ſolutio.*

Propria igitur reſponſio de qualitatibus Elementaribus eſt hæc; quòd illæ non dependeant adæquatè à Naturis Elementorum, ſed etiam dependeant (ſaltem in obſervatione) à cauſis extrinſecis. Talia autem propria augeri, dixi etiam per intenſionem. Aut ſi ita mavis, dic qualitates Elementares habere poſitiva contraria, unde imminui poſſint.

114 *De Naturalibus potentiis.*

II. De naturalibus potentiis ut ſenſitiva, motiva, &c. *Reſp* 1. Videre poſſe, non dependere eas adæquatè ab eſſentia, ſed & ab ea, & à ſubjecti diſpoſitionibus. *Sed* tamen melius dicitur; eas dependere ſolùm ab eſſentia. Unde conſequenter dico, nec eas intendi aut remitti. Nam quòd experientia oſtendit eas augeri & minui, id non convincit, quaſi ipſæ potentiæ in ſe intendantur & remittantur, ſed ſaltem quod id contingat in actibus earum. Actus autem illi intendi poſſunt, & remitti, quia non dependent adæquatè à potentia, ſed etiam juvantur certis diſpoſitionibus organorum, aut aliarum materialium diſpoſitionum, quæ ſunt variabiles. Vide *Suarez diſp. 46 ſ. 2. num. 11.*

115 *De quantitatis intenſione.*

III. De Extenſione ſive quantitate, *Reſp.* Eam non ſuſcipere magis & minùs, ut docet *Ariſtot. lib. Categ. cap.* 6. §. 25 Nequè contrarium convincit rarefactio & condenſatio. Nam in intenſione & remiſſione admittuntur plures vel pauciores ejuſdem formæ gradus in eodem ſubjecto: at in rarefactione & condenſatione id non fit, ſed ſolùm partes ad majores vel minores terminos extenduntur vel contrahuntur. Tale quid eſt in calore vitali, qui ſe modò in majores terminos extendit, modo in minores, cùm pars aliqua amputatur. Et inde tamen amputato aliquo non eſt intenſior in altero. Vide *Soucin. l. 8. Met. q. 27. ad 1.*

Proprium eſt poſterius ſubjecto.

116 Habetur apud *Porphyrium in Iſag. c. 9.* διαφέρει (τὸ γένος καὶ ἴδιον) ὅτι τὸ μὲν γένος πρότερον καὶ ὑστερον ὂν τὸ ἴδιον. *Differunt genus & proprium, quòd genus eſt prius ſpecie. Proprium autem eſt poſterius ſub eſſe.* Idem eſt *cap.* 15 §. 5. Intelligitur autem id de poſterioritate non temporis (ſic enim ſubjectum & adjunctum proprium ſimul ſunt) ſed de poſterioritate naturæ. Eſt autem adiunctum proprium poſterius naturâ ſubiecto proprio, quia hoc ab illo fluit, & dependet. Dependens autem eſt poſterius eo, à quo dependet.

Ex hoc axiomate duo efficiuntur: 1. Propria non esse eadem cum subjectis, ut *Duns* sive *Scotus* voluit. Sic *Scalig. l. 2. de plant pag. 436. Potentia seu potestas, sive facultas seu vis, aptitudo ve posterior est naturâ. Etiamsi*, ut vult *Duns, in eodem sit prædicamento, atque idem cum ipsa.* 117

II. Efficitur exinde: nullum proprium posse esse formam essentialem sui subjecti; Atque sic, in specie, qualitates Elementares non posse esse formas Elementorum. Omnis enim forma naturâ prior est formato, At omne proprium est naturâ posterius essentiâ. 118

X. *Proprium reciprocatur cum essentia.*

Τὸ ἴδιον ἀντιστρέφεται πρὸς τὸ οὗ ἐστὶν ἴδιον. Proprium convertitur cum eo, cujus est proprium, *in Isag Porph. r, cap. 9 § 6. & cap 13. §. 8. & cap. 15. §. 1.* Est autem ἀντιστροφὴ, seu conversio aut reciprocatio, cùm prædicatum commutatur in locum subjecti, manente quantitate universali. Unde ad reciprocationem in summa quatuor requiruntur. 1. Ut axioma reciprocum sit universale. 2. Ut sit essentiale. 3. Ut prædicatum conveniat subjecto, quâ est tale. 4. Ut prædicatum sit universale, hoc est, ut ei in conversione possit apponi nota universalis. Hæc ergò quatuor requiruntur hoc axiomate in adjuncto proprio. (Ita enim proprium sumitur non pro quovis proprio adjuncto) 1. Ut conveniat omni speciei. 2. Ut essentiam ejus consequatur. 3. Ut conveni t subiecto, quà tale est; & 4. Ut ei possit opponi nota universalis (omnis) in conversione, Sic risibile est proprium Ergò 1. Omnis homo est risibilis 2 Risibilitas sequitur essentiam hominis. 3. Convenit homini, quâ est homo. Et 4. Omne risibile est homo. Proximè autem conversio sive reciprocatio fit bifariàm 1. Simpliciter. Ut omnis homo est risibilis. Et: Omne risibile est homo. 3. Per contrapositionem, per quam manente quantitate Universali. mutatur affirmatio terminorum in negationem, ut omnis homo est risibilis, Et quicquid non est risibile, non est homo. 119 *Reciprocatio quatuor requirit.*

XI. *Proprium unius non potest esse proprium alterius.*

Ἴδιον ἀλλοτρίου ἴδιον ἀδύνατον, Proprium impossibile est esse aliorum proprium. *In Isag. cap 15 § 4* Sic & *Zabar. l. post. ad t. 58.* Quæ *huic subiecto assumibilia sunt, ea alii subiecto per se inhærere non possunt.* Ut patet. Nam proprium 120

convenit uni ſoli. Solent *Calviniani* hoc opponere communicationi propriorum; ſed quomodo hæc non evertatur ex hoc axiomate, patuit in ſuperioribus, ex eo ſcilicet, quòd per communicationem non fit, ut unum ſit duorum proprium, ſed tantùm, ut uni conveniat primariò, & alteri ſecundariò. Nos firmiter tenemus hanc regulam; quòd unius naturæ proprietas, nunquam fieri poſſit etiam alterius proprietas. Vide *Chemnit: de duabus naturis in Chriſto, c. 22 p. 139.*

XII. Proprium unius poteſt alii convenire ſecundario, & per participationem.

321 Hoc axioma defendit communicationem idiomatum, ſive propriorum, ab accuſatione, quâ dicitur, eam tollere proprietates, ut ſatis patet. Accipitur autem illud à *Goclenio in Prodrom: Lexic: Philoſ: Can. 129. & Inſtit. Log. cap. 8. pag. 258.* Sic & *Scalig. exerc. 10.* Nihil accidentaliter ineſt alicui, quod ſecundùm eſſentiam non inſit alii primò & per ſe. Et *exerc 51. pag. 195.* Omne effectum primò quopiam in corpore eſſe neceſſe eſt, quod per certam formam conſtituatur à qua fluat illud accidens. Sic & *Zabar. lib. de prim. mut. cap. 11. pag. 161.* Omne tale per aliud, reducitur ad aliud per ſe tale. Et illud eſt per ſe tale, per quod alia ſunt alia. Et rurſus *lib 1. de viſu, cap. 2. pag. 861.* Quod alicui competit per participationem, debet alii competere per eſſentiam.

322 Igitur exempla illius propoſitionis ſunt. Calor eſt proprium ignis, qui ſecundariò convenit mixtis, ferro, &c. is ſentiendi eſt propria animalis, quæ ſecundariò convenit homini Potentia vitalis eſt propria animæ, quæ ſecundariò convenit corpori. Item omnis poteſtas vel potentia eſt propria τῦ λόγυ, quæ per communicationem & ſecundariò convenit humanitati τῦ λόγυ.

XIII. Proprium generis æqualiter convenit ſpeciebus.

323 Ita habet *Porphyrius in Iſag: cap. 9.* ὅτι ὡς κατηγορεῖται τὸ ἴδιον τοῦ ἀτόμου, οὕτως καὶ ὄντων ἀτόμων. Ἐπὶ ὡς γὰρ ὁ Ἄνυτος καὶ ὁ Μέλιτος γελαστικοί. Hoc eſt. *Æqualiter prædicatur proprium de individuis ipſum participantibus. Æqualiter enim Anytus & Melitus ſunt riſibiles.* Idem habetur etiam *cap. 13. ibid. §. 1.* Advertendum autem, intelligi id de genere & ſpecie univocis. Ergò propria generis univoci prædicantur æqua-

liter

liter de speciebus: Analogi autem generis propriè non prædicantur æqualiter, sed per magis & minùs. Proprium enim proportionatur ad essentiam. Ergò sicut essentia generis quandoque prædicatur ἀναλόγως, ita etiam proprietas ejusdem.

XIV. Sublato proprio non tollitur genus.

Τὰ ἴδια ἀναιρούμενα οὐ συναναιρεῖ γένη. Propria sublata non tollunt simul ipsa genera. Habetur *ibid.* § 8. Intelligitur autem de propriis speciei. Ergò sublatis propriis speciei non tolluntur genera. Nam sicut ipsa species & differentia sunt contingentia generi. Ita etiam propria quæ adhærent speciei, sunt contingentia speciei. Ita non sequitur: Hæc res non est risibilis; Ergo non est animal, Item: Hæc res non potest latrare, Ergò non est bestia, &c. 124

XV. An propria possint communicari?

Hanc quæstionem placet hic tractare, sed tamen breviter, quia satis communicationem propriorum evicêrunt *Schôderus in peculiari lib. de commun. prop. Finck in Schediasm. 1. p. Meisn. in Phil. sob. Johan. Regius in exercitationibus Logicis. Vietor in præscriptionibus Buscerus & Hesselbeinius in Anti-Goclenianis*, aliique plurimi. 125

Oppugnant autem eam *Calviniani*, inprimis *Keckerman in Syst. Log. l. 1. c. 21. & l. 2. Gymnas. Log. c. 7. Goclenius* passim *in lib. suis. Timplerus l. 3. Met. c. 3. quæst. 13. aliique.* 126

Ego, quandoquidem veritas satis ostensa est à superiùs citatis Dd. nolo hic prolixus esse; sed tantùm ostendam proprium posse communicari, nec communicationem pugnare cum natura proprii, nec facere migrationem accidentis de subjecto in subjectum, adeóque nec dualitatem attributi, ut unum sit in subjecto, à quo sit communicatio & alterum in subjecto, ad quod sit communicatio. Suppono autem, quòd si communicatio, ut sic, ista inferret, quòd inferret ista omnis communicatio. *A quatenus ipsum* ad *de omni* valet consequentia. 127

I. Proprium generis communicatur speciei, ut nemo negat. Ergò quoddam proprium est communicabile Ergò falsum est nullum proprium esse communicabile. Ergò falsum est repugnare proprio communicabilitatem. Ergo falsum est communicationem tollere proprietatem. Ergò falsum est, si propria communicentur, propria non distinguere. Hæc omnia sunt manifestissima & clarissima. Rursus in ista communicatione non est transitus de subiecto in subjectum: 128

Nam

Nam, verbi gratiâ, facultas sensitiva quæ est animalis (quod genus est hominis) proprietas, cùm communicatur homini (qui est species animalis) non transit ex animali, & incipit esse in homine. Unde sic nec duplex est potentia sensitiva, alia in animali, alia in homine. Et tamen hæc vera est communicatio. Hinc infero: falsam esse propositionem. Si proprium communicetur, migrare accidens de subjecto ad subjectum, & fieri sic duo accidentia.

119 *Instantia.* Excipient: exemplum esse heterogeneum, quia genus & species sint subjecta non realiter diversa: Nunc autem quæri de communicatione, quæ sit inter subjecta realiter diversa. *Respond.* 1. Aliquos Philosophos dicere, quod genus & differentia sive species distinguantur realiter, ut indicat *Arduus 2. Metaph. qu. 9.* Tenetúrque idem sentire, qui existimant, hos gradus, genericum & specificum sumi à formis realiter distinctis, de judicio *Suarez in disp. 6 Metaph. sect 9. num. 6.* De eo tamen non contendo, nec facit ad propositum. 2. Igitur exemplum istud non adduxi alio fine, quàm ut ostenderem, quid communicatio, ut sic inferat, quidque proprium, ut sic, pati possit. Si enim repugnat proprio, quà proprium est, communicari, tunc nullo eventu & casu potest communicari: & si communicatio, ut sic, tollit proprietatem Ergò nulla communicatio stare potest cum proprietate Quia ut dictum, à *quatenus ipsum* ad *de Omni* V. C.

130 Sic ergò adhuc tolluntur ista Timpleriana: *Proprium non est communicabile, quia omnis proprietas essentialis à Deo, & natura determinata est ad certum subiectum, cui, soli, & semper inest.* Item: *quia manifesta sit implicatio Contradictionis statuere aliquid esse proprium & tamen communicari.* Omne enim, *quod communicatur, sit commune, quod autem est commune id non est proprium.* Vide ipsum *in Metaph lib. 3. cap. 3. qu. 12.* Item ista *Keckermanniana. Non ita istos refutat. Siquidem omne, quod communicatur, commune est. Proprium non est commune. Ergò non est communicabile. Proprium, si communicetur, tollitur discrimen inter commune & proprium. Propria sunt causa distinctionum. Ergo non sunt communia diversis subiectis.*

131 At quæro 1. propriis generis, quæ communicabilia sunt, an non convenit vox [illegible]? 2. An non illud proprium communicabile manet proprium sui primi subjecti, hoc est, animalis? 3. Proprium generis, si communicetur, nondum tamen

tollitur

tollitur distinctio proprii & adjuncti communis. 4. Et istud proprium non obstante communicatione, adhuc tamen distinguit subjectum suum proprium ab aliis rebus, ueluti animal ab homine. Nam potentia sentiendi, verbi gratiâ, primò convenit animali, secundariò homini. Iterum ergò dico, 1. Proprio, quà est proprium, non repugnare communicationem. 2. Neque communicationem, quà est communicatio, tollere proprietatem.

II. Proprium partis verè communicatur toti. Ergò quoddam proprium est communicabile. Et proinde falsa est hujus contradictoria. Nullum proprium esse communicabile. Item repugnare proprio communicationem, & communicationem tollere proprietatem. Antecedens clarum est. Nam proprietas verbi gratiâ, animæ rationalis communicatur homini, & de eo prædicatur. Exempli gratiâ, animæ inhærent potentia intelligendi, & volendi, cæteræque potentiæ vitales, & præterea doctrina, prudentia, sapientia, sanctitas, justitia, fortitudo. Hæc enunciantur de homine, ut dicatur. Homo intèllectivus, doctus, prudens, sapiens, sanctus, &c. Facultatis, rationalis primò est prudentia Secundùm eam tamen homo dicitur prudens, Ait *Aristot. 6. Top. cap 6. §. 25.* Et sic in aliis. Et sic *Calviniani* etiam non negant, proprietates humanæ naturæ communicari personæ τῷ λόγῳ, vel potius personam τῷ λόγῳ assumere sibi proprietates Carnis. Sic & *Ignatius in Epist. ad Trallianos.* Verè genuit *Maria* corpus, habens in se Deum habitantem. *Et revera natus est Deus* uerbum ex virgine vestitus corpore, obnoxio iisdem passionibus nobiscum. Verè natus ex vulva, qui omnes in vulva fingit, Et corpus sibi fabricavit ex sanguinibus virginis hoc solùm excepto, quod nulla viri consuetudo interceserit, In utero gestatus est, sicut & nos. certis mensium circulis, sicut & nos, &c. Similia habentur *in Epist. 5. quæ est ad Philipp.* Atque esse hanc communicationem propriorem saltem ostendit locutio Ecclesiæ, quòd Ecclesia hanc attributorum proprietatum alterutrius naturæ ad personam τῷ λόγῳ vocat κοινωνίαν ἰδιωμάτων, *communicationem idiomatum*, sive priorum.

132 *Propria partium communicantur toti.*

Apparet etiam ex hoc exemplo: communicationem priorum hic non inferre migrationem accidentis de subjecto in subjectum, aut illius proprii dualitatem. Neque enim migrat sanctitas ex anima in hominem, aut duplex est sanctitas, alia animæ, alia hominis, ut patet. Aliud excipi non

133

videbatur

videbatur hic posse, præter id, quod antea solutum est ad prius exemplum. *Timplerus* autem *alleg. loc.* negat antecedens, quòd scilicet pars toti communicet sua propria. *Neque materia suo materiato, neque formâ suo formato, neque partes vel essentiales, vel integrales toti compositio proprietates suas essentiales communicant.* Sed hæc instantia satis confutata est prioribus exemplis. Deinde ostendunt illam communicationem etiam locutiones διαιρετικὰς. Homo habet scientiam *secundùm* animam. Homo habet sanctitatem *secundùm* animam, &c.

Exemplo Timpleri.

Refutatio.

134 *Inquis*: Sic propria partium enunciantur de toto. cur proprietates animæ, esse eam invisibilem, incorpoream, simplicem, non dicuntur de homine, quòd scilicet hic sit invisibilis, incorporeus, simplex? *Respond.* 1. Per instantiam, cur Christus (totum) dicitur natus, passus, à proprietate Carnis (partis) & non dicitur creatura propter eandem partem? 2. *Resp.* ad utrumque ex *Thoma* 3. *part. qu.* 16. *art.* 8. Christus non dicitur creatura, quia per hanc prædicationem potest in dubium venire, propter hæresin Arrianam: An Christus secundùm se totum dicatur creatura, an secundùm sui partem? Addit autem *Thomas*: *Etiam in rebus corporalibus & humanis ea, quæ in dubitationem venire possunt, an conveniant toti vel parti, si insunt alicui parti, non attribuimus toti & simpliciter, & sine determinatione. Ergò dicimus quidem. Homo est invisibilis. &c. Secundùm animam, non autem indeterminatè homo est invisibilis, &c. quia sic relinquetur dubium; an fortasse secundùm se totum homo sit res spiritualis.*

135 *III.* Huc etiam pertinet, *quòd proprietates Elementorum communicentur mistis.* Quod tamen procedit, solùm, si dicamus, Elementa manere in mixtis actu. De hac ergò *Scaliger.* Ego, inquit, *sum calidus, quia ignis, qui in me est, est calidus. Ita proprium accidens alicuius potest esse hoc modo commune, &c.* Sic ille *lib.* 4. *de C. L. L. c.* 80. Cæterùm nec hic accidens migrat de subjecto in subjectum. Nam calor ignis non egreditur ex igne, & ingreditur mixtum. Sed mixtum per communicationem idiomatum est calidum eo calore, quo ignis (in mixto existens) calidus est. Unde nec hic fit duplicitas caloris, quasi alius sit ignis, alius misti calor.

Elementa mistis propria communicant.

136 *IV. Propriæ animæ communicantur corpori.* Ergò quodcunque proprium est communicabile. Antecedens intelligo de potentiis

Propræ animæ com-

propriis animæ. Sed de istis videndum est: An sint in anima, atque adeò an ab hac communicentur corpori. *municantur corpori.*

Ac *Calviniani* quidem aiunt, illas potentias non esse in anima, sed solùm ab anima. Esse autem in corpore, non per communicationem à subjecto proprio sibi factam, sed per primùm inhærentiam. Ut videre est apud *Goclen in part. 1. Controvers. Log. cap. 10. q. 3. Nunquam*, inquit, *dederim alicui, potentiam videndi esse proprium adjunctum animæ. Cujus ergò? Corporis viventis, oculi.* Sic & alii. Ex quo primum apparet confiteri *Calvinianos*, potentias illas animæ, convenire *corpori*. Et verum id est. Patétque inde etiam, quòd secundùm *Aristot. de somn. & vig. cap. 1.* Ejusdem est operatio & potentia. At operatio est corporis. Ergò & potentia. Hoc posito evincendum est, potentiarum illarum primum & proprium subjectum esse animam, id ita concludo: Si anima non haberet potentias, tum ipsa in puris naturalibus constituta, non haberet accidentia At hoc est absurdum. Sic enim anima esset simplex ab ea Compositione, quæ est ex subjecto & accidente. At hoc repugnat omni Enti creato, esse sic simplex. Unde *Trmpler. lib 2. Metaph: cap: 2.* compositionem hanc ex subjecto & accidente vocat generalem compositionem. Et *Goclenius* ipse, suæ priori assertioni contradicens, statuit *in prodrom. Lex. Philos. pag. 450. 451.* potentias animæ facere compositionem in anima. 2. Resumo prius argumentum. Ejus est potentia, cujus est operatio. At operatio est animæ. Anima enim est principium activum in omnibus operationibus rei animatæ. Et sic *Aristot. lib. 2. de anim. cap. 2.* ait animam esse principium, quo vivimus, sentimus, movemur, &c. Ergò etiam animæ est potentia. 3. Patet ex officio potentiæ naturalis proprio. Illud autem est determinare indifferentiam agentis. Cùm enim agens propendeat ad agendum, ante tamen additionem potentiæ est indifferens ad hoc agendum, aut aliud, hoc est, ad videndum, aut audiendum. Vide *Colleg. Conimbr. lib. 2. de anim. cap. 3. quæst. 4. art. 3.* At istæ operationes pertinent ad animam tanquam formam Compositi. Ergò ad istam pertinent etiam istæ potentiæ. Potestque hæc res etiam declarari ex definitione Potentiæ. Potentia igitur *Aristotelis l. 9. Met.* est principium transmutandi. Atqui ipsi animæ convenit esse principium transmutationis. Ergò etiam ei convenit potentia. Ex his patet &

137 *De Subjecto potentiarum animæ.*

Proprium subjectum potentiarum illarum esse animam.

animæ, & corpori conuenire potentias uitales & animales.

138 *Alia exceptio.* Sed *excipit* potest: aliam esse potentiam animæ, & aliam corporis. *Resp.* Entia non sunt multiplicanda sine necessitate, quæ hic nulla est. Quemadmodum, verbi gratiâ, mixtum est calidum, & calefacit, calore non proprio, sed eo quod ignis in se existens, calidus est, & calefacit: Item quemadmodum suppositum agit non propriâ potentiâ, sed ex ipsa, quâ etiam ipsa anima agit, & ad agendum potens est. Ita etiam corpus sentire potest (idem autem est etiam de aliis) non potentia propriâ, sed illâ potentiâ, qua ipsa forma siue anima sentit. Plura qui volet, videat citatos à nobis autores.

139 *Argumenta Aduersariorum* specialiter soluere non est necesse, tum quia iis satisfactum est ab istis autoribus, tum etiam quia hæc nostra nihil aliud ferè sunt quàm solutiones obiectionum. Quando enim ostendimus proprietatibus non pugnare communicationem, nec eam tollere proprietatem, aut facere migrationem accidentis de subiecto in subiectum, soluimus obiectiones aduersas, quæ ex istis principiis texuntur.

17. *An communicato uno proprio, communicentur etiam cætera?*

140 Ita aiunt *Caluiniani*. Et probant, quia proprtia connexa sunt cum essentia, Idque æqualiter. Unde, quia connexa sunt cum essentia, inferunt, non posse communicari sine communicata essentia. Et quia connexa sunt æqualiter, inferunt, unum non posse communicari, communicatâ essentiâ, nisi communicetur & alterum. Sed fundamentum hoc lubricum est. Nam communicato proprio non necessariò communicatur essentia, ut visum est in superioribus, sed solum *unitur* essentiæ alteri, ad quod fit communicatio.

141 *Sententia autoris.* Quòd autem communicatio unius proprii non inferat communicationem alterius proprii, patet, 1. In communicatione, quæ est a parte ad totum. Pars communicat suas proprietates toti non tamen omnes, sed aliquas. A sanctitate, prudentiâ, scientiâ, potentiâ intelligendi & volendi, immortalitate animæ homo denominatur sanctus, prudens, sciens, intelligens, volens, immortalis. At non dicitur ab inuisibilitate, spiritualitate, & incorporietate animæ, homo inuisibilis spiritualis, & incorporeus.

142 Ex hoc apparet 1. Lubricum esse fundamentum aduersæ partis. Nam anima non minus connexam habet sibi potentiam

viam intelligendi & volendi, quàm invisibilitatem. Et tamen ista communicat, hanc non. 2. Communicationem proprii unius, quâ talis est, non afficere communicationem proprii alterius. Nam si sic, tum omnis communicatio proprii id efficeret, quod falsum esse ostensum est. Ex quo sequitur, Omnia illa argumenta esse frivola, quæ ex ratione vel proprii, vel communicationis texuntur contra nostram sententiam.

2. Sunt etiam hujus sententiæ vestigia in communicatione effectivâ. Ignis aquæ communicat calorem, At non communicat levitatem vel siccitatem. Sol infert rebus sub cœlestibus calorem. At non infert eis lucem. Deus communicat cum creaturis bonitatem, sapientiam. At non infinitatem, æternitatem, independentiam, immensitatem. 143

3. Quod igitur vetat, ut dicamus: Ignem communicare ferro unum proprium, hoc est, calorem, splendorem; Et non alia, hoc est, levitatem? Animam communicare corpori potentias vitales, & non invisibilitatem? Item divinam naturam in persona τοῦ λόγου communicare suæ carni omnem potestatem in cœlo, & in terra, hoc est, omnipotentiam, *Matth.* 28. virtutem vivificam, *Joh.* 6. Potentiam judicandi, *Joh.* 3. Et tamen non communicare æternitatem, vel infinitatem, vel alia idiomata. 144

De adjuncto Communi.

Hactenus fuit de adjuncto proprio, sequitur de adjuncto communi, quod, quid sit, satis clarè intelligitur ex dictis de adjuncto proprio. Ergo adjunctum commune est, quod non convenit uni soli subjecto primò, sed quod pluribus convenit æqualiter. Unde duæ sunt conditiones adjuncti communes. 1. *Pluribus convenire.* Et per hanc conditionem secernitur à proprio, quatenus illud convenire debet uni soli. 2. *Æqualiter convenire.* Et per hanc conditionem distinguitur à proprio, quatenus convenire debet alicui primò. Exprimit id *Scaliger. lib. 2. de plantis, p. 105.* Cùm ex *Galeno* ait: Κοινότητα esse ταυτότητα ἐν πλείοσιν, hoc est, *Communitatem esse identitatem in pluribus.* Sic albedo est adjunctum commune Cygni, parietis, papyri. Nigredo Corvi, Panni, &c. Deficit autem hæc conditio in calore respectu ignis & misti. Hic calor pluribus inest. Sed tamen non est calor, ignis & mistorum, adjunctum commune, quia hic convenit inæqualiter, nempe igni primò, mixtis autem secundariò. Unde calor respectu ignis est proprium. Respectu mixtorum autem est 145 *Adjuncti communis duo requisita.*

adjunctum

adjunctum commune: Comparando plura mixta ad invicem.

145 Cæterùm illa æqualitas de communitate, vel æqualitate gradûs, quasi scilicet adjuncta communia debeant æquales gradus habere, dubia esse videtur. Est enim adjunctum commune, albedo respectu parietis & Cygni: Etsi albedo non habeat tot gradus in pariete, quot habet in Cygno. Intelligitur illa æqualitas quoad primitatem subjecti. Ergò illa æqualiter convenire pluribus subjectis dico, quæ uni eorum non conveniunt primò & alteri secundariò, sed quæ utrique conveniunt secundariò & propter aliud.

Quæro hic:

An adjunctum commune & Accidens prædicabile sint idem?

146 Videtur utrumque esse unum & idem. Nam & adjunctum commune, & accidens prædicabile opponuntur proprio. Sciendum tamen, aliquam esse inter hæc differentiam, ut accidens prædicabile sit, veluti species adjuncti communis. Et proinde adjunctum commune sit latius accidente prædicabili. Igitur, existimo, in prædicabilibus, proprium esse etiam illud, quod speciebus tribuitur, propter genus. Veluti, cùm homini & bestiæ attribuitur potentia sentiendi aut movendi. Aut cum Elemento tribuitur quantitas, aut mobilitas, quæ tamen conveniunt Elemento, ratione generis, hoc est, in quantum Elementum est corpus naturale. Nam quod ista generis idiomata, non sint accidentia (prædicabilia) specierum, patet, quia non possunt abesse & adesse citra speciei interitum, hoc ipso quia generis, quod in speciebus est, idiomata sunt propria. Ista tamen idiomata generis, attributa speciei, non sunt propria secundùm hanc nostram tractationem, sed sunt adjuncta communia, quia speciebus, atque adeò pluribus, convenit idioma generis æqualiter, hoc est, æquè secundariò, & propter genus.

Adiunctum commune latius est accidente prædicabili

Quia tamen, ut dixi, Accidens prædicabile est species quædam communis adjuncti, idcircò declaranda est illius definitio. Igitur.

QUÆRITUR.

Quomodo intelligenda sit definitio Accidentis prædicabilis: Accidens est, quod abesse & adesse potest citra rei corruptionem?

147 Definitio hæc est *Porphyrii in Isag. cap. 5.* συμβεβηκὸς ἂν

ὅτιν ὁ γένος ἢ ἴδιον ἢ συμβεβηκὸς ἢ τὸ συνεπιμένον φθορᾶς. Sic etiam *Aristot. Top. cap.* 5. §. 1. Ut autē eam explicare possimus, formabimus obiectiones.

1. Non videtur definitio generalis esse. Nam risibilitas, verbi gratiâ, est accidens (neque enim est substantia. Accidens autem & substantia opponuntur immediatè.) Et tamen non potest abesse & adesse citra hominis corruptionem. Nam propria sunt inseparabilia, ut *Porphyrius* ait in *Isagog. c.* 27. 148 *Obiect:*

Resp: Quicquid sit de inseparabilitate proprietorum, propria non debebant contineri sub hac accidentis definitione. Nam accidens sumitur vel prædicamentaliter, & opponitur substantiæ; Et sic propria sunt etiam accidentia. Vel accidens sumitur prædicabiliter, Et tum non opponitur substantiæ sed proprio, secundùm intentionem *Porphyrii*. Ergò accidens proprio contradistinctum, definitur, quod abesse & adesse potest citra rei interitum. Estque hæc significatio ex prædicabilium doctrina. *Resp.*

2. Idem argumentum potest inverti. Propria possunt separari, veluti frigus ab aqua, & per divinam potentiam quodvis aliud proprium potest auferri à proprio subiecto manente illo. Unde adiuncta propria sic etiam possunt abesse & adesse à subiecto citra eius corruptionem. Ergò definitio accidentis competit proprio. At definitio debet esse adæquata definito. 149

Ego ad solutionem huius argumenti nihil habeo, quàm ut confitear, definitionem non esse adæquatam. Esse eam quidem veram καθ' αὐτὸ, aio, quod omne accidens possit abesse, &c: Sed non esse Catholicam, quòd scilicet omne id, quod abesse sit, abesse potest, &c. sit accidens, propter argumentum factum. Et confirmatur, quòd cùm *Porphyrius* dicit, *cap.* 17. *Isag.* quòd propria sint inseparabilia, dicit id etiam *commune id esse cuidam accidenti*, quasi quoddam accidens etiam sit inseparabile. Atque inde *Toletus* refert 5 *prædicab.* quòd aliqui sentiant, definitionem accidentis, continere etiam proprium.

Albertus in Porphyrium ad hoc dubium respondet: Hoc interesse inter proprium, & eius subiectum, & inter accidentia, quoad separationem á suis subiectis. quòd subiectum proprium sine adiuncto proprio, veluti hominem sine risibilitate possumus intelligere. At proprium sine subiecto, veluti risibilitatem sine homine, nullo modo. At subiectum sine 150

accidente, & viciſſim accidens ſine ſubjecto poſſumus intelligere. Sed hæc *Reſponſio* non ſatisfacit. Nam *Porphyrius* ſatis clarè loquitur de ſolo ſubjecto, quid ſcilicet circa illud fiat, ad poſitionem vel remotionem accidentis, & dicit *Porphyrius*, quòd in utroque caſu maneat *ſubjectum accidentis*. Hoc autem prorſus eodem modo eſt in propriis. Nempe 1. abſunt à ſuis ſubjectis accidentia: & ſic ſubjectum proprii, veluti aqua à frigore, prout aliqui volunt, denudari poteſt. Vel ſaltem, id eſt, in omnibus propriis, in quantum ſeparari poſſunt à ſubjectis per divinam potentiam. 2. Subjectum aliquod accidentium manet, cùm accidentia ſeparantur ἐπινοίᾳ, veluti Corvus, remotâ nigredine, Cygnus albedine. Sic ſunt omnia propria. Hic enim ſubjectum manet, cogitatione remotis propriis. Et ſic in pluribus caſibus.

151 *Cajetani ſententia.*

Cajetanus ſupponit: Cùm in definitione accidentis dicitur, *quòd poſſit abeſſe & adeſſe*, tum *το abeſſe* intelligi etiam de abſentia κατ' ἐπινοίαν. Et iſta ampliatio eſt neceſſaria. Nam alioquin accidentia, quæ dicuntur inſeparabilia, non abſunt actu, ſed ſolùm abſtractione mentis. Invenit tamen iſte peculiarem diſtinctionem in eo, ut dicat, peculiari modo convenire hanc mentalem ſeparationem accidenti, & non proprio. Ait ergò eſſe duplicem ſeparationem mentalem. Altera eſt ſimplex, qua unum abſque altero intelligimus. Altera eſt compoſita & enunciativa, quâ unum ab altero per negationem dividitur. Talis eſt, cùm abſtrahentes à corvo nigredinem, dicimus: Corvus non eſt niger. Ergò refert *Cajetanus*, hanc compoſitam ſeparationem non convenire propriis. Etſi enim poſſit in ſeparatione mentis ſimplici homo eſſe homo, etſi non conſideretur riſibilitas ſimul: Tamen idcircò dico non poteſt: *Homo non eſt riſibilis*. Hæc autem, *inquit Cajetanus*, ſeparatio compoſita locum habet in accidentibus.

Separatio duplex.

152 *Reſp.* 1. Ex judicio *Cajetani* ſequitur, non eſſe abſolutè bonam iſtam definitionem. Nam ex ejus confeſſione habetur, etiam propria poſſe abeſſe à ſuis ſubjectis, quia dicit, eſſe ſolùm peculiarem modum abeſſendi (ut ſic dicam) κατ' ἐπινοίαν, qui non congruat propriis. Is tamen modus in definitione non exprimitur. At ſine quo definitio falſa aut inadæquata eſt, id in ea poni, non intelligi debet. 2. Illa conditio non competit quibuſdam accidentibus. Ergò non eſt genuina. Antecedens patet de accidentibus inſeparabilibus.

bus. Hæc enim, si sunt inseparabilia, quomodo separantur, ut dicantur verbi gratiâ Cygnus non est albus, corvus non est niger? 3. Eadem separatio competit adhuc quibusdam propriis, quia ut superius ostensum est, adjuncta propria per divinam potentiam possunt separari. Tunc igitur dici potest Homo non est risibilis, hoc est, homo non habet illam qualitatem per quam ridet.

151

Objectio de angustia definitionis.

3. *Objicitur:* Eam definitionem esse angustiorem definito, hoc est, non convenire omni accidenti Id patet. 1. De accidentibus Inseparabilibus. Si enim sunt inseparabilia, quo modo abesse possunt? 2. Patet de morbis lethalibus, veluti febri, peste, paralysi, & corruptionibus ipsis, veluti morte, combustione, putrefactione, & aliis. Hæc omnia sunt accidentia, & tamen non adsunt suis subjectis sine eorum corruptione. 3. Peccatum originale est accidens. Et tamen non potest abesse ab homine sine ejus corruptione.

144

Ad horum *primum* de accidentibus inseparabilibus, Existimat Averroes solùm hac definitione definiri accidens separabile, *Sed* id est contra *Porphyrium*. Nam postquam iste superiorem definitionem accidentis posuisset, dixit divisionem ejus in separabile & inseparabile. Sic & *Aristot.* 2. *Top. cap.* 5. generaliter accidens definit superiori definitione. Hâc igitur sententiâ dimissâ dico, Aliqua accidentia esse inseparabilia, quia actu non consistunt illorum subjecta sine illis, veluti est nigredo in corvo, albedi in cygno. Nihilominus hæc etiam inseparabilia, sunt separabilia, & abesse possunt in consideratione vel abstractione mentis, sicut *Porphyrius* indicat, quomodo accidentia separabilia separantur, *in Isag. cap.* 5. Nigrum esse est inseparabile corvi & Æthiopis, *inquit* sed tamen potest ὑπονοῆσαι κόρακ λευκὸν καὶ Αἰθίοπα μὴ ἔχοντα τὴν χροιὰν, χωρὶς φθορᾶς τοῦ ὑποκειμένου *Intelligi potest corvus albus, & Æthiops abiiciens ipsum colorem sine destructione subjecti.*

155

Ad secundum, Respondeo 1. De morbis, eos abesse & adesse sine subjecti corruptione sive interitu, etsi ad interitum disponant, & eum efficiant. Est enim homo, cùm ab eo febris adhuc abest, & est homo, cùm jam ei adest, & est homo, postquam eum febris dimisit. Et sic est in aliis. 2. De ipsis mutationibus substantialibus respondeo: earum subjectum non esse ipsum corpus, quod per varias alterationes ad mortem, vel aliam mutationem disponitur, sed illarum

subiectum est materia, quæ idcircò vocatur in respectu ad mutationes principium *passivum*. Ab ista autem materia absunt & adsunt istæ mutationes sine eius mutatione & interitu. Quanquam *Bellarminus lib. 5. de amiss. grat. c. 3. p. 459.* dicat, etiam istas mutationes substantiales esse accidentia rerum, quæ per eas corrumpuntur. Quia illæ solùm corrumpant *efficienter* Accidentia autem dici non corrumpere subiectum per abesse vel adesse suum *formaliter*.

156 *Quomodo hæc definitio congruat peccato originali?*

Ad tertium Resp. 1. per hanc definitionem non iuvari sententiam Flacii ullo modo. Nam cum disputatur: *An peccatum originale sit accidens?* non intelligitur accidens prædicabile, quod hic definitur, sed accidens prædicamentale, quod opponitur substantiæ, & hic non definitur. 2. Nihilominus secundùm hanc definitionem etiam peccatum originale est accidens: Nam quod dicitur, abesse & adesse posse accidens, id non intelligitur necessariò de actuali absentia (sic enim aliqua accidentia sunt inseparabilia) sed satis est, si τῷ ἐπινοεῖσθαι, hoc est, per intellectum possint abesse. At procul dubiò potest cogitari essentia humana, non cogitato peccato. 3. Denique, etiam actu abesse potest peccatum originale ab homine. Nam idem numero homo fuit, qui stetit in iustitia originali, & postea fuit in macula originali. Et deinceps in vita æterna carebit istâ maculâ. Si enim alius numero, homo est, qui habuit iustitiam, & alius qui habuit peccatum, & alius, qui habebit gloriam. Ergo non punivit Deus eum, qui peccavit, nec eum iustificabit, qui nunc in peccato existens apprehendit Christum, sed alium numero diversum, quæ sunt absurda.

157 *Corruptio quid sit Porphyrio.*

Ex his sequitur, *corruptionem*, quam habemus à peccato originali, iuxta cautionem) Durch Adams tal ist gantz verderbt, Wenschen Natur, &c.) non esse eandem cum ea, de qua loquitur definitio Porphyriana. Nam porphyrius corruptionem vel interitum intelligit *de non esse subiecti*. Peccatum autem nos corrumpit, quia facit hominem malè esse, quomodo alii actus pravi corrumpunt mentem nostram quotidiè. Ex his summatim & breviter potest illustrari superior definitio, vel potiùs axioma de accidente, *Accidens*, nempe prædicabile, hoc est, quod proprio opponitur, id omne (etsi non solùm, quia idem est in proprio) *potest abesse & adesse* vel re, vel ἐπινοίᾳ, sive consideratione, *a subiecto suo, sine eius corruptione* substantiali, hoc est, qua subiectum esse desinat.

III. *Subiectum est informationis, vel denominationis.*

Hæc tertia distinctio subiecti est, & intelligitur optimè per proportionem, ad distinctionem principii in principium *Quod*, & principium *Quo*. Quemadmodum enim principium *quod dicitur* ipsum suppositum, vel totum in respectu ad operationes; Pars autem illius totius vel suppositi, dicitur principium *Quo*, quia per illam partem totum operatur. Sic etiam subjectum denominationis hîc dicimus, ipsum suppositum vel totum in respectu ad affectiones. Subiectum autem informationis dicitur pars illius totius, secundùm quàm convenit toti illa affectio. Sic esse doctum convenit homini secundùm animam. Ergò homo est subjectum denominationis. Anima autem est subjectum informationis. Palpari est adjunctum hominis secundùm corpus. Ergò homo est subjectum denominationis. Corpus est subiectum informationis. Habere potentiam vitalem convenit rei animatæ secundùm animam. Ergò anima est subjectum informationis. Res animata est subjectum denominationis Et sic in aliis. 158

Cæterùm illud dicitur subjectum *informationis*, quia ad iunctum in eo receptũ illud informat, & dat ei esse (accidentale.) Sic doctrina recepta in anima, dat ei aliquod esse, ut scilicet anima sit sapiens & intelligens. Aliud autem dicitur subjectum *denominationis*: Quia de illa fit demonstratio, & sic denominatur potissimùm habere adjunctum illud. Unde per hoc, etiam suppositum censetur esse primum, primitate subjecti. Hoc est, etsi passio aliqua conveniat suppositio, propter partem, cui absolutè primò conveniat; Tamen suppositum censetur esse primum subjectum, quia de eo primo fit demonstratio illius passionis. Atque adeò hinc hoc axioma (Animal est sensitivum est quatenus ipsum, etsi potentia sensitiva sit in anima, quia non est prius subjectum denominationis, cui conveniat potentia sensitiva ante animal. Hæc accuratè sunt observanda. *Unde dicatur subjectum informationis? Denominationis. Suppositum etiam est primum subiectum attributorum partis.*

Veteres aliqui distinxerunt subjectum in subjectum *Originis*, & *recipiens*. Et sic animam dixerunt esse potentiarum suarum subjectum Originis, prout quidem *Aristoteles* passim potentias eas vocat affectiones, atque adeò adiuncta animæ, Rem animatam verò dixerunt subjectum recipiens. *Zabarella* tamen *lib. de nat. scient. const. cap.* 39. rejicit 160 *Subjectum Originis quid?*

eam distinctionem: Sed non malè defendi potest, ut sit æquipollens superiori nostræ distinctioni; Ut scilicet per subjectum *originis* intelligatur subjectum informationis, & per subjectum recipiens intelligatur subjectum denominationis.

161 Solùm est considerandum, voces istas, nisi bene explices, esse ambiguas. Ergò subiectum originis dicitur, non quia aliud ab eo originem trahit. Nam in hac descriptione nihil est quod non absolvatur in ratione principii; Unde sic est implicatio contradictionis, dicere aliquid *subiectum*, & tamen dicere illud solùm præstare *originem*, ut rectè animadvertit *Zabarella*. Dicitur igitur subjectum originis, quod recipit in se affectionem à se emanantem. Dico *in se: &c:* quia subjectum est. Dico *à se. &c:* quia subjectum *originis* est. Unde consequenter subjectum recipiens dicitur, vi oppositionis, quod recipit aliquod adjunctum, citra emanationem à se. Atque sic declarata hæc distinctio, coincidit cum nostra superiori.

Declaratur appellatio.

IV. Adiunctum est separabile vel inseparabile.

162 Hæc divisio peculiariter traditur à Porphyrio de accidente, hoc est, adjuncto communi, *in Isagog. c. 5. §. 2.* satis benè tamen ampliari hæc potest divisio, ut extendatur ad omne adjunctum. Nam ipse *Porphyrius* docet: propria contineri sub inseparabilibus. *Commune est*, inquit, *proprio & accidenti inseparabili, sine his ea non consistere, in quibus spectantur*, ut enim sine aptitudine ad ridendum non consistit homo, sic sine nigrore non consistit Æthiops.

163 Est autem observandum, cùm aliquod adjunctum dicitur inseparabile, non negari omnem separabilitatem, quasi nullo modo & genere separationis adjuncta, quæ inseparabilia dicuntur, separabilia sint. Igitur *1.* quod dicitur inseparabile, nihilominus potest separari cogitatione vel abstractione. Istud *primo* apparet de adjunctis communibus. Nam quia sunt accidentia (hoc est, non propria) idcircò abesse & adesse possunt citra rei corruptionem. Hæc enim generalis definitio est omnium accidentium. Possunt ergò ista saltem abesse per cognitionem, sicut Porphyrius ait de inseperabilibus accidentibus, posse ea separari τῷ ἐπινοήσαι, hoc est, intellectione. Sic etiam propria sunt separabilia per intellectum. Quando enim intellectus intelligit quidditatem alicujus rei præcisè, nõ concipit etiam ejus passiones,

Inseparabilia quomodo dicuntur

Possunt separari cogitatione.

ut

ut apparet in definitionibus essentialibus, quæ declarant essentiam rei sine mentione propriorum. Sic *Scalig. exerc. 5. sect. 6.* propria, quia non includuntur in definitione, ab esse possunt à definito, in definitione. Vide etiam *Zabar l. 1 de prim. mat c. 12. p. 163. & l. 2. c. 5. p. 188.* Hîc ait, *Subiectum est naturâ prius accidente proprio, ut homo risibilitate; quo fit, ut possit mente abstrahi, &c.* Ibi verò: *Dico* inquit, *subiectum posse mente abstrahi ab accidente proprio & essentiali licet non re ipsâ.* Est autem hæc separatio nihil aliud quàm cogitatio unius, sine cogitatione alterius. 164

2. Inseparabilia accidentia possunt separari etiam à mente per negativam quandam separationem sive abstractionem, hoc est, ut sine contradictione sibi mens imaginetur subiectum, non habens istud adjunctum suum, velut sine contradictione potest homo sibi imaginari corvum, qui non habeat nigredinem; cygnum, qui non habeat albedinem; & hominem, qui non habeat aliquam naturalem potentiam, veluti potentiam ridendi, numerandi, aut loquendi. Quia enim istæ potentiæ sunt posteriores essentiâ humanâ, & proinde nec essentiales homini, idcircò potest Deus influere ad conservandum esse humanum, & non influere ad conservandum esse alicuius potentiæ, unde esse manebit, potentia interibit, atque adeò de facto proprium separabitur ab essentia. Cur igitur non possit intellectus sibi imaginari hominem non habentem potentiam ridendi, si Deus potest de facto ista separare? 165

Dissentit hâc in re *Zabarella. 1 post ad t. 52.* ubi existimat abstractione quidem simplici posse proprium separari à subiecto, hoc est, ut subiectum apprehendatur ab intellectu, non apprehenso proprio; non posse autem separari abstractione complexâ, hoc est, ut imaginetur sibi intellectus, aliquod subiectum proprium non habere sua propria. Sed contraria sententia est demonstrata.

3. Ex hoc resultat, quòd egrediendo ex operationibus mentis, etiam reipsa adiuncta inseparabilia separari possint à subiectis, hoc est, quòd subiecta ista existere possint sine istis adiunctis. Cur enim corvus non posset existere sine nigredine, vel cygnus sine albedine, vel per divinam potentiam hæc substantia, veluti homo, sine hoc aut isto accidente suo, veluti potentiâ ridendi aut loquendi. 166

4. Ex his omnibus relinquitur, quòd adiuncta inseparabilia 167

Separabile & inſeparabile intelliguntur de actu.

bilia dicantur, ſine quibus *actu* non conſiſtunt ſubjecta (etſi ſine iis conſiſtere poſſint) Separabilia autem ſine quibus ſubjecta actu exiſtunt. Et ita ſeparabilitatem & inſeparabilitatem in adjunctis declaravit *Prophyrius in Iſag: cap. ult.* ſequiturque tandem ex his omnibus, ſeparabilitatem & inſeparabilitatem eſſe adjunctorum differentias accidentales.

Sunt accidentales differentiæ adiunctorum.

VI De Obiecto.

168 Ad primam diſtinctionem ſubjecti ſatis dictum eſt, de quæſtione: *An objectum ſit ſubjectum, an cauſa?* Indéque conſtituto, quòd ſubjecti ſpecies ſit objectum, nunc de iſtius porrò agemus diviſionibus.

169 Remitto autem primò lectorem ad ea, quæ *de Nat. Log: c. p: 1. quæſt. 3. num: 41 ſeqq.* dixi Ibi videat 1. dictum, quot modis objectum dicatur in diſciplina 2 Quomodo differant objecta ſcientiarum ſpeculativarum ab objectis diſciplinarum practicarum. 3 Explicationem diſtinctionis in ſubjectum adæquationis & perfectionis. 4. diſtinctionis in ſubjectum conſiderationis & operationis.

Repeto nunc ſolùm diviſiones tactas in Theorematibus

I. *Objectum eſt totale & partiale.*

170 Termini, totale & partiale, multis rebus applicantur, & ita propter tantam communitatem facilè intelliguntur. Totale igitur objectum dico, in quo omnis actio vel reſpectus adjuncti occupati abſolvitur Partiale verò ſubjectum eſt pars ſive ſpecies obiecti totalis. Sic totale obiectum viſus eſt viſibile: At partiale obiectum, eſt in luce. Item totale obiectum Phyſicæ eſt corpus naturale: Partiale obiectum eſt homo, qui eſt veluti pars ſive ſpecies corporalis naturalis. Ex his intelligi poteſt quæſtio Phyſicorum.

An anima ſit partiale objectum Phyſicæ, veluti tractatûs de anima.

171 Videtur quòd ſic, quia habitus phyſicus particulariter occupatur in anima. Et inde 2. particularis aliquis Phyſicus tractatus inſcribitur de anima. Et 3. habet etiam hoc obiectum officium obiecti, hoc eſt, diſcernit tractatum de anima, ab aliis tractatibus phyſicis.

172 Nihilominùs ex dictis patuit, animam non poſſe eſſe ſubiectum partiale, quia non eſt pars ſive ſpecies ſubiecti totalis. Hoc autem eſt corpus naturale. At anima non eſt corpus naturale. 2 Specialiter idem confirmatur, quòd omne ſubiectum debet per ſe conſiderari, & non gratiâ alterius,

unde

undè ipsum dicitur esse, veluti basis aliarum rerum. At de ratione principii (quale est anima) & affectionis, est, alterius gratiâ tractari; sicut propterea omnia principia Phys. definiuntur mentione corporis naturalis, & specialiter anima mentione corporis organici, *lib.* 1. *de anima, cap.* 2. Affectiones autem definiuntur ἐν προσθέσεως, sive additione subjecti. Ergò nec affectio nec proprium potest esse in disciplina subjectum (totale vel partiale.)

173 Objectiones autem, quæ superiùs insinuabantur, non sunt satis firmæ. Nam 1. Quòd Physicus occupatur in cognoscenda anima, non sit ideò, quia anima sui causâ cognoscatur, sed quia sit pars objecti sui, veluti rei animatæ; aut quia sit principium operationum subiecti sui, eiusdem scilicet rei animatæ. Unde obiectum Physici cùm animam cognoscit, non est anima ipsa, sed Res habens animam, hoc est, corpus animatum, ut *Zabarella* etiam *lib. de nat. scient: const: c:* 38. *seqq:* docet:

174 Quòd autem *secundò*, aliquis tractatus est inscriptus in physicis de anima, sciendum est, non esse animam inscriptionem sumptam à subiecto istius libri, sed ob intentionem doctrinæ ibi ponendæ:

175 Quòd denique tractatus de anima ab aliis libris distinguitur per hoc, quod in eo agitur de anima, ad id sciendum est, quòd, ut *Zabar. ubi suprà, c.* 36. *ad quartum*, docet, scientia totalis ab alia qualibet distinguatur per subjectum. At id non est semper verum de scientiæ illius partibus. Nam partes quidem aliquæ ejusdem scientiæ distinguuntur per partialia objecta; veluti libri de animalibus, à libris Meteorologicis: aliquę tamen partes non distinguuntur per subjectum cùm versentur eodem subjecto, sed distinguuntur solùm per diversas intentiones circa idem subjectum. Ita octo libri Physicorum habent unum commune subjectum, hoc est, corpus naturale. Et proinde sic non distinguuntur subjectis. Commune enim non facit differre. Distinguuntur igitur solùm intentionibus veluti, quòd in prioribus agitur de principiis, in posterioribus de generalibus affectionibus corporis naturalis.

II. Subiectum est adæquationis vel perfectionis.

176 Hæc distinctio clarè potest intelligi ex definitionibus superiùs positis, & iis, quæ de ea dixi *de nat. Log. cap.* 1. *in comment:*

Deus quomodo subiectum Metaphysicæ.

comment. num. 45. 48. & 80. Unde hic nihil addo. Quòd autem in Theorematibus Deum facio subjectum perfectionis in Metaphysica, id intelligi volo juxta veriorem sententiam. Alias enim aliqui Philosophi existimant, Deum esse adæquatum subjectum Metaphysices, qui putârunt, alia omnia in Metaphysicis considerari, vel, ut attributa Dei, vel, ut effecta Dei, & sic omnia referri ad Deum, tanquam subjectum istius disciplinæ. Eam sententiam nolo nunc persequi, qui volet, videat *Suarez disp. 1. Metaph. sect. 1 n. 7. seqq.*

III. Obiectum est per se, vel per accidens.

177 Objectum *per se* voco, ad quod res aliqua terminatur, aut ordinatur primariò ex natura sua. *Per accidens*, ad quod terminatur secundariò, & præter naturam suam. Sic *Aristot. lib. 2. de anim. cap 6 t. 62.* Sensilia alia dicit per se, alia per accidens. Dicitque per se sensilia, quæ in ipsum sensorium per se agunt. Ita à visu sensilis est color: A tactu humiditas. Per accidens autem sensilia sunt, quæ nihil in sensum agunt, sed solùm conjuncta sunt cum iis, quæ per se sensilia sunt. Sic filius *Dyaris* est sensilis, quia est albus. Sic mel est sensile, quia est dulce, quæ albedo & dulcedo sunt per se sensilia. Et sic in aliis.

178 Pertinet huc etiam exemplum de intellectu, qui per se fertur ad verum, & voluntate, quæ fertur per se ad bonum. Ille autem per accidens ad falsum, & hæc per accidens ad malum. Occamus tamen & Biel aliique, voluerunt voluntatem per se occupari in malo. Quod nunc non disputo. Solum est observandum, sermonem nunc esse de actibus positivis, veluti ut cupiat voluntas bonum, & assentiatur intellectus vero. Alioquin enim in actibus negativis, ut sic dicam, hoc est, fugâ mali, & declinatione falsi, intellectus per se occupatur in falso, & voluntas in malo, quia fugere malum, bonum est, & declinare falsum, veritatis est Plura, qui velit hâc de re, videat *Cæl. Rhodigin. l. 24. lect. Antiq c 7. Colleg: Conimb. disp. 1. Eth: q. 2.* alioque.

Intellectus quomodo per se vertatur in vero.

IV. Obiectum est commune, vel proprium.

179 Commune oppositum proprio, est id, quod pluribus convenit, vel, ut *Galenus* definit, ἐστι ταυτὸ ἐν πλείοσιν, idem in pluribus, referente *Scalig. lib. 1. de plant. pag.* 105. Proprium igitur objectum est, quod uni convenit soli. Et sic proprium objectum ex parte idem est, quod adæquatum Dico *ex parte*. Nam adæquatum duo requirit: 1. Ut aliquod objectum

Adæquatum quid?

sit

sit proprium, & non commune. 2. etiam, ut sit totale, non partiale. Sic *Aristoteles lib. 2. de anim. cap. 6. t. 64.* dividit objecta sensilia. Et sensilia communia vocat, quæ à pluribus sensibus apprehenduntur, sic motus est sensile commune, qui potest videri, & audiri, & tangi. Sensilia autem propria vocantur, quæ solùm cognoscuntur ab uno aliquo sensu. Sic calor est sensile proprium, & sentitur à solo visu, sapor à solo gustu, & sic in aliis.

CANONES.

Quindecim axiomata de propriis adjunctis exposita jam sunt in prioribus à *num. 79 in comment.* ubi vide. 180

16. *Accidens est, quod abesse & adesse potest citra rei interitum.* Est expositum, *n. 146 seq.* 181

17. *Subjectum denominatur à sua affectione.* Ita à calore ignis dicitur calidus, à levitate levis. Ab armis homo dicitur armatus, à doctrina doctus, & sic deinceps. De Entibus spiritualibus negant aliqui Canonem. Sed horum etiam aliqua subjectum denominant. A lumine, (quod secundùm veriorem sententiam Ens spirituale sive intentionale) aër dicitur illuminatus; & à calore spirituali (qualis est iste, qui est ex reflexione luminis incidentis in aliquod corpus colonatum) vocatur pannus vel paries aliquis albus, ruber, vel viridis. Inter ea tamen Entia spiritualia, singulares sunt species & sensiles, & intelligibiles, quæ à suis nominibus non dant denominationes subjectis. Ita oculus à receptione speciei coloris viridis, non dicitur viridis, idemque in aliis est. Nec intellectus noster à recepta specie equi vel ligni, dicitur Equus vel Equinus, lignus vel ligneus. Illæ tamen species dant denominationes à communiori, veluti, ut intellectus vel sensus per inhærentiam earum, dicatur actuatus vel informatus. 182

Entia spiritalia, an & quomodo subjectum denominent?

De aliis realibus attributis sciendum, nec ea simpliciter semper denominare, sed aliquando secundùm quid, Nam, ut aliquid simpliciter, & sine additamento denominet, tria requiri solent. 1. Ut additamentum insit subjecto *satis intensè*, hoc est, ultra medium. Unde quod habet unum vel duos gradus caloris, decem verò frigoris, id non solet dici calidum. 2. Ut subjecto suo insit *satis extensè*, hoc est, pro majore parte. Ita *Æthiops* non dicitur albus, etsi albedo sit in illius dentibus, quia secundùm majorem quantitatem sui convenit ei nigredo. Hic tamen excipienda sunt, quæ peculiarem solum partem sibi vendicant. Ita homo aliquis 183

Quid requiratur, ut adjunctum simpliciter denominet subjectum.

dicitur

dicitur simus & crispus, etsi similitas secundùm solum nasum, & crispitudo secundùm solùm caput sit. Atque ita talia attributa simpliciter denominant, etsi non insint, nisi in parva parte corporis. 3. Ut subjecto suo insit *satis diu & protensè*. Unde quod citò transit, non dat simplicem & determinatam denominationem. Veluti, si quis aliquando rubescat ex verecundia, & cæteroquin pallidus sit, ille non dicitur rubicundus indeterminatè, sed pallidus Hæc tamen conditio est solùm intelligenda de illis adjunctis, quæ naturâ suâ diutiùs durare possunt. Nam sonus, licet citò evanescat, denominat tamen rem sonoram, vel sonantem. Eo quòd non habet perfectiorem essendi modum, quam hunc Igitur secundum istum modum suum subjectum denominat. Estque secundùm hæc intelligendum illud vulgatum: *A potiori fit denominatio.* Confer *P. Hispani* Commentatores *tractatu. 3. Log. fol. 140. fac. 1. & Colleg. Conimbr. in lib. Categ c 8.*

184 18. *Subiectum prius est adiuncto.* Est apud *Aristot. lib. 1. Phys. cap 6. t. 52.* τὸ ὑποκείμενον πρότερον εἶναι δοκεῖ τοῦ συμπτώματος. Duo autem sunt admonenda: 1. Intelligi prioritatem naturæ. Nam ordine temporis subjectum & adjunctum (proprium) simul esse possunt. 2. Intelligi axioma de adjuncto & subjecto, quâ talia sunt, hoc est, quatenus res aliquæ adjungi & subjici dicuntur. Nam aliàs fieri potest, ut dimisso hoc respectu, Ens, quod adiungitur, sit tempore prius subjecto. Ita arma, quæ nunc sunt in nostro Armamentario, possunt esse adjuncta militum, qui nunc nondum vivunt. In quantum tamen adjunguntur, ita supponitur esse aliquid in illa adiunctione priùs, quòd ea recipiat.

185 19. *Subiectum non debet prædicari de adiuncto suo quidditativè.* Ita malè dicitur color est extremitas, cùm Extremitas vel superficies sit coloris subiectum. Ergò sic doctrina non est anima. Nec motus est corpus naturale. Vide *infrà cap. 29. num. 171. in Comment.* Est tamen addenda limitatio, quòd axioma loquatur de illis, quæ verè & rigorosè adjuncta sunt, non autem de illis, quæ id quidem non sunt, sed tamen imitantur habitudinem adiunctorum; qualia sunt attributa divina, & transcendentalia, quæ sunt idem, quod Deus, & Ens.

186 20. *Receptivum debet esse nudum eâ re, quam recipit.* Sumitur ex *Aristotele, lib. 3. de an. cap. 4. Scaliger* explicat de receptibili eodem Numero, *exerc. 504. sect. 13.* Quod recipit, inquit,

inquit, nudum esse debet câ re, quam recipit, & omni naturâ eius. Dico sanè nihil extrinsecùs recipere, quod habet *idem numero*. At non recipere idem specie, vel analogiâ falsum est. Ergo anima non potest fieri receptivum quid, vel subiectum eius doctrinæ, quam iam habet, ut alium doctrinam potest accipere. Est peculiaris difficultas ex hoc axiomate in doctrinâ sensuum, quam latè tractavit & expedivit *Zabarella in Comment. ad 3. de anim comment. 4. à pag 716. ad 725.* ut & breviter à me repetita est, *part. 1. de anima disp 9. thes. 14. seqq.*

21 *Receptivum* (subiectum recipiens) *non recipit ad modum imprimentis, sed ad modum suæ receptivitatis.* Est *Scaligeri Exercit. 16. sect. 2.* Sensusque est, quòd magnitudo vel intensio, vel perfectio alicuius adiuncti in subiecto, non debeat ex perfectione causæ suæ, sed ex modo receptivitatis, hoc est, dispositionis suæ, vel facultatis recipiendi, æstimari. Ita, si Præceptor aliquis doceat subtilissimè & acutissimè: Intellectus tamen auditoris, vel nihil recipit propter imperitiam suam, vel saltem non tantùm recipit, quantùm Præceptor docet, propter hebitudinem suam. Sic Deus est obiectum intellectûs nostri. Indéque posset imprimere sui cognitionem exactissimam: Intellectus tamen propter receptivam suam impotentiam, secundum quam est indispositus ad exactissimam Dei cognitionem, habet solùm Dei cognitionem umbratilem. 187

CAPUT, IX.

De Antecedentibus & Consequentibus.

1 Tertius locus consentaneus continet Antecedentia & Consequentia.

2 Antecedentia *sunt, quæ rem antegrediuntur, sic tamen, ut neque illius causa sint, neque subiectum.*

3 Antecedentia vel necessaria sunt, vel contingentia.

4 Necessaria sunt, sine quibus non fieri possunt consequentia. *Ita concipere est necessarium antecedens, respectu parûs florere arborem est necessarium antecedens fructus; infantia respectu pueritiæ; æstas respectu autumni.*

5 Contingentia sunt, quæ rem antegrediuntur contingenter, non semper, sed sæpè, aut ut plurimum. *Sic rubedo matutina cæli, est contingens antecedens, respectu tempestatis*

pestatis illius diei. Rubedo vespertina est consequens antecedens respectu serenitatis.

6 *Consequentia* sunt, quæ antecedens consequuntur. *Sic partus est consequens conceptionis; fructus, ipsius floreo.*

COMMENTARIUS.

1 *Antecedens diversimodè dicitur.*

Notandum vocem ANTECEDENTIS uno modo non accipi in Logicis. In doctrina axiomatis, *antecedens* nihil aliud videtur esse, quàm subjectum, sive pars prior axiomatis. In doctrina Syllogismi antecedens significat præmissas, propositionem & assumptionem. In inventione autem, ut hoc loco, Antecedens est nihil aliud, quàm, argumentum antè definitum: atque sic consequens est pars posterior axiomatis. In doctrina Syllogismi nihil aliud est, quàm conclusio: hic est argumentum antè definitum.

QUÆRITUR,

An locus Antecedentium & consequentium verè sit addendus locis cæteris.

2 Ramæi negant. *Aristotel.* tamen hunc locum habet, *lib. 2. Topic. cap. 4 Melanchth. lib. 4 Dial. pag.* 301. (*mihi*) & cæteri Logici. Quandoquidem igitur secundùm *Arist. lib. 1. Topic. cap. 3.* perfectam Logicæ cognitionem tum demùm habemus, cùm nihil eorum, quæ ad eam pertinent, prætermittimus, idcircò nobis ejus confirmanda est necessitas, ut appareat sine causa rejectum esse hunc locum ex Logicis.

3 *Ex resolutione propositionum.*

Igitur sic arguo: Si aliqua sunt axiomata, quæ in nihil aliud, quàm in antecedens & consequens resolvi possunt, argumenta Logica esse antecedens & consequens, necessarium est. Sed prius verum. Ergò & posterius. Propositio patet, quia omne axioma est dispositio argumenti cum argumento. Assumptio patet ex his propositionibus: *Ex nihilo fit aliquid: Ex rudi fit doctus: Ex puero fit senex: Dies est post noctem; Diem Martis sequitur dies Mercurii; Partus sequitur conceptionem.* In his omnibus nulla argumenta disposita sunt, nisi antecedens & consequens.

Neque hic aliquis turbari debet particulâ *Ex*, quasi videlicet propter eam in prioribus axiomatibus dispositio sit materiæ & materiati. Nam *ex*, ut notum est, non semper significat materiam. Et cùm aliquid dicitur fieri ex nihilo (per creationem) opponitur ei quod fit ex materia. Ergo ex nihilo fieri, non significat materiam. *Scalig. exerc. 6. sect. 13.* dicit, creatio-

creationem fieri ex nihilo, non ut ex materia, sed ut ex termino. Sic & *Lychetus in lib. 2. sententiarum, dist. 1. quæst. 2. in initio ad Scotum*, & *Anshelmus in Monolog. cap. 7, 8.* Et *Aristot. lib. 1. de gen. animal. cap. 18. circa medium*, diserte ait: Ex aliquando notare solùm consecutionem. *Alio*, inquit, *modo diximus: Ex die fit nox, & ex puero vir, quoniam hoc post hoc, Alius autem modus est, cùm ex ære statuam, aut ex ligno lectum, aut alia ex materia fieri dicimus, &c.* Sic etiam 5. *Metaph. cap. 24.* ait: Ex aliquando significare id, quod est post τὸ χρόνῳ, ut ex die nox, ex sereno tempestas; quoniam hoc post illud.

2 Fiunt aliquæ argumentationes, quæ non possunt resolvi, nisi ex loco antecedentium & consequentium. Ergo locus antecedentium & consequentium est locus Dialecticus, seu argumentum Logicum. Consequentia patet, quia tres termini, ex quibus fit Syllogismus, nihil aliud sunt, quàm tria argumenta Logica, indéque inventio dicitur suppeditare materiam Syllogismo. Antecedens probatur per hos Syllogismos: Heri fuit rubedo cœli. Ergo hodie verisimile est fieri serenitatem. Hic homo est senex; Ergo antè fuit puer. Hodie est Dies Lunæ; Ergo cras dies Martis. Venit in aulam; Ergo incidit in multa pericula. Dicat hic Logicæ studiosus, qui non cognoscit locum antecedentium & consequentium; ex quibus argumentis hæ consecutiones sunt sumptæ, nulla sunt nisi antecedentia & consequentia. *Ex resolutione argumentationis*

3 Principium dicitur esse latius causâ; Ut privatio motûs est principium, non causa; terminus *à quo* est principium, non causa motûs; quòd si igitur aliquod principium non est causa, consequens est, alio nomine appellandam esse relationem, quam habet principium illud (non causa) ad suum principatum. Hæc autem alia non esse potest, quàm antecedentis & consequentis. Ergo antecedens & consequens sunt argumenta Logica.

Eadem ratio formari potest in causa sine qua non. Nam causa sine qua non, propriè non est causa, unde rectiùs dicitur *conditio* sine qua non, At causa sine qua non, dicit aliquam relationem consentaneam. Illa autem relatio non est subjecti aut adjuncti, ut patet. Quomodo enim remotio purulentiæ, sanitatis, aut demissio Valvarum luminis subjectum sit? Ergo est secundùm alia argumenta, quæ quidem rectissimè dicuntur antecedentia & consequentia. Hoc igitur modo se

habet

habet demissio Valvarum ad lumen conclavi; remotio purulentiæ ad sanationem. Illa enim appellantur conditiones, sine quibus non, & habent relationem ad lumen, & sanationem, non nisi eam, quam habet antecedens ad consequens.

7 Clarissimus *Wasius in Dial. lib. 1. cap. 12.* reducit antecedens & consequens ad adiuncta. Sed ἀκαιρολογία est manifesta dicere, aliquod adiunctum antecedens respectu subiecti. Subiectum enim prius est adiuncto. Quòd si intelligatur reducere illa hoc sensu, quasi subiectum habeat adiunctum aliquod, non antecedens se, sed adiunctum aliud, tum illa reductio non est sufficiens. Nam si consideret antecedens & consequens non ad invicem, sed in respectu ad tertium, videlicet ad subiectum, quo sensu admitto antecedentia & consequentia pertinere ad adiuncta. Alia autem propositio est: *Chremes fuit puer, & est senex.* Ubi pueritia significatur istius senis antecedens esse adiunctum, senectus consequens. Et alia est propositio cum istas ætates præcisè, sine respectu ad subiectum considero, veluti: *Ex puero fit senex.* Item: *Somnus est posterior pueritiâ &c.*

CANONES.

8 1. *Posito consequente, ponitur fuit necessarium Antecedens.*

9 Canonem hunc tradit *Melanchthon lib. 4. Dial. pag. 303. Posito consequente tunc valet argumentum*, inquit, *cum ostendimus præcessisse illud antecedens, quòd necessariò præcedit.* Veluti, si pervenit ad metam, etiam iter facit per priora spatia: Si acquisivit aqua calorem, tunc antea eum non habuit, quia privatio est necessariũ antecedens in acquisitione formæ. Si Judæi non habent sceptrum: Ergò venit Messias. Quia adventus Messiæ est necessarium antecedens ante abiationem sceptri, *ex Gen. 49.* Loquuntur autem axiomata manifestè de *Necessario* antecedente. Nam de contingentibus antecedentibus secus est. Huc pertinet & ille Canon.

10 2. *Negatâ conditione (sine qua non) res conditionata esse non potest.* Ratio est, quia conditio sine qua non, est necessarium Antecedens. Ita illuminari non potest hypocaustum, nisi demissæ sint valvæ, nec vulnus curari potest, nisi remotâ purulentiâ. Sic corpora naturalia non putrescerent, nisi in iis essent commista Elementa, quia commistio Elementorum est

ad

ad putredinem conditio sine qua non, apud *Zabar. lib. 2. de misti gen. & Inter. cap. 12.*

3. *Posito antecedente non necessariò ponitur consequens.* Sic commisto Elementorum est antecedens (conditio sine qua non) ad putrefactionem. Et tamen istâ positâ non propterea ponitur putrefactio, ut *ibid.* dicit *Zabarella.* Estque adeò nec id verum, cùm necessarium est antecedens. Nam necessarium antecedens est, sine quo consequens fieri non potest. Sic igitur carentia formæ vel privatio, est necessarium antecedens in omni motu. Et tamen istâ carentiâ positâ non necessariò ponitur consequens. Neque enim necessariò accipit calorem, quod eum nunc non habet. 11

CAPÚT X.

De Connexis.

1. Quartus locus consentaneus continet connexa.

2. Connexa sunt, quorum unum alii sine dependentia, aut consecutione conjungitur.

Talia connexa sunt partes Compositi ad invicem consideratæ: adjuncta plura considerata in subjecto ad invicem, pernere etiam huc videntur, quæ æqualiter coordinata sunt, aut coëxistunt, ut duo equi coordinati: passio Dominica & Eclipsis Solis universalis.

COMMENTARIUS.

Inprmis notandum vocem *connexorum* in Logicis non eodem modo accipi. In doctrina propositionum, Connexum idem est, quod propositio conditionalis. In doctrina Syllogismorum, Syllogismus connexus est, qui habet propositionem conditionalem. Hic autem *connexa* vocantur termini simplices, qui mutuo conjunguntur, uniuntur, coordinantur, coëxistunt. Veteres Logici strictius accipiunt vocem *connexorum*, ut nuper vir clarissimus Dn. M. *Johannes Strumpfius*, aliquandiu Academiæ hujus Professor, amicus meus plurimùm honorandus, in literis suis ad me datis eruditè ad me perscripsit. Nempè *Cicero in Topic. & Rodolphus Agricola, lib. 1. de Invent. cap.* 18. connexa vocant, quæ simul accidunt, ita ut unum ad alterum referatur extrinsecus, quomodo connexa sunt passio Christi, & ejus resurrectio. *Melanthon. lib. 4. Dial.* ait, connexa 1

ea esse, quæ sunt, veluti proprietates rerum, sine quibus res esse non possunt, ut sunt locus, tempus, sexus, eventus, & similia. Alii aliter. Nos connexa omnia vocamus ea, quæ uniuntur sine dependentia unius ab alio, ut apparebit.

2 2. Deinde notandum aliquid ad definitionem suprà positam. Dicuntur ibi connexa ea, *quæ mutuò conjunguntur sine dependentia.* Ubi particula illa, *sine dependentia*, excludit & distinguit connexa à Causa & Effecto, Subjecto & Adjuncto; quia hæc si maximè conjunguntur, est tamen illa coniunctio cum dependentia & consecutione, sicut materia & forma effecto uniuntur, quod ab illis pendet. Adjuncta subjecto per inhærentiam uniuntur, sed tamen etiam ab eo dependent, quæ autem connexa vocantur, non habent dependentiam.

Quæritur

De necessitate hujus loci.

3 Necessitas alicujus loci sumitur ex tribus 1 Si inveniantur termini aliqui simplices, qui habeant respectum ad alios, qui non possint appellari aliis nominibus nisi nomine quo hi loci appellantur.

2. Si inveniantur axiomata, quæ non possunt resolvi nisi in illa argumenta, quorum necessitatem volumus astruere.

3. Si habeantur Syllogismi, qui materiam suam non sumpserunt aliunde, quàm ex illis locis, quorum necessitatem defendere volumus. Ex his omnibus probabimus necessitatem connexorum contra Ramæos.

4 1. *Adjuncta* alicujus subjecti mutuam habent σχέσιν etiam invicem sumpta, & non solùm ad subjectum. Item: *Partes* alicuius compositi etiam referuntur ad invicem, & non solùm ad compositum sive totum, sicut apparet ex eo, quia ad invicem dicuntur uniri & conjungi. Unio autem est relatio. Ergò potentiæ animæ uniuntur ad invicem (in subjecto;) habitus morales dicuntur ad invicem (in anima;) albedo & dulcedo uniuntur ad invicem (in lacte.) Hæc autem relatio quam unum connexorum habet ad aliud, ad nullum argumentum pertinet inter ea, quæ aliàs in Logicis enumerantur. Ergò aliud addendum est argumentum Logicum, secundum quod illa *unitorum* relatio explicetur à Logico.

2. Idem patet ex resolutione axiomaticâ. Dantur axiomata,

mata, quæ non possunt resolvi nisi in connexa. Ergò connexa sunt argumenta Logica. Consequentia patet. Quia omne axioma est dispositio argumenti & argumenti. Antecedens probatur per has propositiones: *Flavedo est cum dulcedine; Potentia ridendi est unita simul cum potentia fiendi.* Idem: *potentia ridendi est unita potentiæ loquendi.* Item. *Manus est unita brachio. Tabula una* (in mensa) *est unita alteri. Equus unus coordinatur alii. Eclipsis universalis solis coëxistit passioni dominicæ. Christus coëxistit Augusto Imperatori* τὰ τοιαῦτα sunt τὰ τοιαῦτα. Illarum & similium propositionum nulla resolvi potest in alia argumenta, quàm in connexa.

Obiici posset: prædicari hic adjunctum de subjecto. Uniri enim vel conjungi cum alio, est adjunctum rerum unibilium. 6

Respondeo: In omni argumento duo hæc conjungenda sunt, nempe relatio sive respectus, & relata ipsa. Verum est non solùm de connexis, sed & de omnibus argumentis, Relationem sive respectum esse adjunctum eorum, quæ referuntur; sed tamen relatorum unum cum comparatur (non cum suâ relatione, sed) cum suo correlato, tum non omnia argumenta debent dici subjecta & adjuncta. Sic: Oppositorum adjunctum est opponi, adversorum adversari comparatum comparari: si tamen oppositum referatur non ad opponi, sed ad aliud oppositum; adversum, non ad adversari, sed ad aliud adversum; comparatum non ad comparari, sed ad aliud comparatum: non amplius adjunctum & subjectum habemus, sed argumenta alia. Eodem igitur modo, esto annexorum adjunctum connecti vel uniri, tamen si unitorum unum referatur ad alterum unitorum, certe inter illa unita non est respectus subjecti & adjuncti. Manus & brachium dicuntur connexa, & deinceps eodem modo omnes partes aliæ sunt unitæ in toto, eodemque modo adjuncta plura unita in aliquo subjecto, & tamen pars una alterius adjunctum, unum alterius subjectum non est. 7

3. Concludimus, dantur Syllogismi, qui non possunt resolvi, nisi per argumenta connexa. Ergò argumenta connexa verè argumenta sunt. Consequentia patet. Quia omnis Syllogismus materiam suam desumit ex aliquo argumento Logico. Antecedens probatur per hos Syllogis- 8

mos: ibi est facultas lachrimandi. Ergò etiam facultas ridendi. Valet. Quia ubi est unum necessariò connexorum, ibi est alterum. In illa re est cor, ergò etiam pulmo, valet eodem modo Similes Syllogismi eodem modo formari possunt, Porrò.

QUÆRITUR:

An hæ propositiones: Flavum est dulce, risibile est capax disciplinæ; *sint propositiones ex connexis.*

Affirmandum hoc est, quia in illis ptopositionibus describitur relatio unius uniti ad aliud unitum. Illa autem relatio est connexorum. 9

Dices esse hanc propositionem referendam ad subjectum & adjunctum, quia flavedo & dulcedo sunt adjuncta mellis; Esse risibilem, & esse disciplinæ capacem sunt adjuncta hominis. *Resp:* In illis propositionibus non describi relationem flavedinis & dulcedinis ad mel, cujus respectu nemo negat esse adjuncta, sed referuntur ibi flavedo & dulcedo ad invicem. Tunc autem nec flavedo dulcedinis, nec dulcedo flavedinis adjunctum est. 10

Instas, nihilominus tamen flavedo & dulcedo adjunctum sunt, & quia in uno subjecto uniuntur, verum est, flavum esse dulce. *Resp:* Quid tum? Illæ propositiones ad locum adjunctorum & subjectorum pertinent; in quibus propositionis antecedens est subjectum, Consequens est adjunctum, quod hic non est. Nam utrumque est adjunctum mellis

Igitur ratiocinari ab adjuncto uno ad aliud, à parte una ad aliam, non pertinet ad locum adjunctorum & subjectorum totius & partium; sed cum argumentamur à parte ad totum, ad subjectum ab adjuncto, & vicissim.

CANONES.

1. *Posito uno necessario connexorum ponitur & alterum.* Veluti cui convenit risibilitas ei etiam convenit flebilitas quia hæ potentiæ sunt necessariò connexæ.

2. *Quod connexum est uni connexorum id etiam connexum est alteri.* Veluti, si Christus vixit tempore *Augusti*, & tempore *Augusti* vixit etiam *Herodes*. Ergò Christus etiam vixit tempore *Herodis*.

3. *Quod nondum est non potest cum alio connecti.* Veluti Numa

Numa non potest vixisse eo tempore, quo *Pythagoras* vixit, ut fuerit ejus auditor, quia Numæ tempore nondum natus erat *Pythagoras*.

Caput. XI.

De Relatis.

1. Quintus locus consentaneus continet Relata.

2. Relata sunt consentanea, quorum unum habet mutuam affectionem ad aliud. Ut pater & filius, dominus & servus.

3. Relatorum unum specialiter dicitur Relatum, *Alterum* correlatum.

4. Relatum est, in quo incipit Relatio.

5. Correlatum est, in quo terminatur vel sistitur Relatio.

Commentarius.

Antequam hanc doctrinam declarem, hic priùs inquirendum est.

1. *An doctrina Relatorum rectè ponatur inter argumenta consentanea?*

Aristot. lib. Categ. c. 10. & l. 2. Top. c. 8. & l. 5. & Top. cap. 6. & l. Met. c. 10. dividit opposita in contraria, relata, &c. Et ita relata speciem facit dissentaneorum. Hunc sequitur *Ramus* in Logicis. Sequunturque eum ejus Interpp. ferè omnes. Nihilominus quatuor sunt sententiæ de loco doctrinæ relatorum, ut eas recenset *Downamus in Comm. Dial. lib. 1. c. 14. pag. 264.* 1

Igitur 1. *Aliqui* censent Relatis non convenire peculiarem locum in Logicis inter argumenta Logica, quia relatio sit affectio generalis omnium argumentorum. 2. *Alii*, existimantes Relatorum locum verè esse locum dialecticum, referunt ea ad dissentanea solùm, sed id fit differenter. *Alii* enim comprehendunt ea sub adversis, *Alii* ea ab adversis distingunt. 3. *Alii* consentanea solùm. 4. *Alii* ad dissentanea & ad consentanea. 2 *Aliorum opiniones*

Hac in re existimo ultimam opinionem veram esse. Et patet veritas. Nam 1. Relata disponuntur affirmando, ut: pater habet filium, dominus habet servum. At propositio affirmativa 3 *Sententia autoris.*

affirmativa non fit ex dissentaneis, sed ex consentaneis. Ergò sic relata sunt consentanea. Deinde eadem relata disponuntur negando, ut dominus non est servus, pater non est filius. At negativa propositio non fit ex consentaneis, sed ex dissentaneis. Consentanea disponuntur affirmando, dissentanea negando, ait *Rimus lib. 2. Dial. cap. 4* Ergo sic relata sunt dissentanea. Ideoque summatim sunt & consentanea & dissentanea. Ex quibus relinquitur falsitas secundæ & tertiæ opinionis. Quod autem in secunda opinione tangitur sub adversis aliquos comprehendere relata, id suo loco refutabitur. Ac priori quidem nostræ sententiæ nihil est, quod solidè opponatur.

4 Nunc solùm est observandum; docendi gratiâ, argumentum istud secundùm naturam consentaneam posse dici *relata*

5 secundùm naturam dissentaneam *relative opposita*. Quod ad primam opinionem attinet, primò dubitant aliqui, an omnibus argumentis accidit relatio propter privantia, de quibus satis dictum supra *cap. 1. num. 35*.

6 Omnino igitur sentio: relationem esse generalem affectionem omnium argumentorum, ut ex definitione argumenti superiùs patuit, unde sic omnia argumenta sunt exempla relatorum. Nihilominus Relata esse peculiarem locum Dialecticum distinctum à ceteris patet, quia sunt aliqua axiomata, quæ non possunt aliunde resolvi, præterquam ex loco Relatorum, Id patet primum in istis proportionibus, quę describunt affectionem unius argumenti ad aliud, veluti cum dico. *Causa est causati causa. Causatum est causæ causatum: Subiectum est adiuncti subiectum. Et adiunctum est subiecti adiunctum.* Deinde etiam id est in exemplis realibus, veluti: *Dominus est servi dominus: Et servus est domini servus: Præceptor est discipuli præceptor*: Et, *discipulus est præceptoris discipulus*. At omne axioma disponit argumentum cum argumento.

Relationem esse generalem affectionem argumentorum.

Exempla Relatorum.

7 Igitur summa decisionis est. 1. Relatio est generalis affectio argumentorum Logicorum. 2. Nihilominus tamen relata sunt argumenta Logica. 3. Non tamen solùm dissentanea, sed sunt & consentanea & dissentanea.

II. De definitione Relatorum.

8 Definitum hic sunt *Relata*. Ubi observandum est, hanc vocem in plurali numero sumptam duo significare, hoc est,

est, relatum specialiter dictum, & correlatum. Sicut in genere nomina pluralia argumentorum Logicorum significant duo, hoc est, relatum & correlatum, sic similia significant simile hoc, & simile istud, cui scilicet aliud est simile. Sic dissentanea significant duo, nempe dissentaneum hoc & dissentaneum istud. Quando autem vox relatorum sumitur specialiter, relatum tunc opponitur correlato. *Græcè* dicuntur ab *Aristotele* τὰ πρός τι, *ea quæ sunt ad aliquid.*

Definitionem ipsam explicabo per aphorismos, qui habere etiam possunt Relatorum. 9

CANONES.

1. *Relata sunt consentanea:* Hoc iam satis ostensum est, in priore discursu unde nihil nunc addere necesse est. 10

2. *Inter relata est respectus mutuus.* Hæc est secunda pars definitionis relatorum, continens eorum differentiam sumiturque ex *Aristotele*, l. Categor. c. 7. §. 9. *Relata omnia*, inquit, *dicuntur* πρὸς ἀντιστρέφοντα, h. e. ad æqualitatem, ut *Ammonius* vertit, vel ad mutuum respectum, ut interpretantur alii. Sic addit ibi *Aristot:* servus est Domini servus. Et Dominus est servi Dominus. Duplum est dimidii duplum. Et dimidium est dupli dimidium. Maius est minore maius. Et minus est maiore. Et sic in aliis. Ac per hoc nunc distinguuntur relata ab aliis contrarii. Nam privatio etsi habeat relationem ad habitum, & proinde per habitum definiatur privatio, tamen iste respectus non est mutuus. Neque enim habitus definitur per privationem. Alia autem contraria prorsùs non implicant respectum. Neque enim v. g. calor est frigoris calor, aut homo est non hominis homo, aut vicissim. 11

Cæterùm *Aristoteles* loco citato habet duas cautelas. 12
I. Istam mutuam σχέσιν non semper exprimi æquali casu, ut, scientia est scibilis scientia. Et scibile est (non scientiæ, sed) scientiâ scibile. Item sensus est sensibilis sensus. At sensibile non est sensûs, sed sensu sensibile. II. Istam mutuam σχέσιν non esse, nisi cum apto nomine significantur relatum & correlatum. Veluti si ala referatur ad avem, non licebit dicere. Ala est avis ala. Et avis est alæ avis. At bona erit reciprocatio, si ala referatur ad alatum, πτερὸν ad πτερωτὸν. Nam ala est alati πτερωτὸς ala. Et alatum est alâ alatum. Ad dixque hic *Aristoteles* posse aliquando, ad explendum defectum-

ctum nova vocabula fingi, sic dicimus, elavum referri ad elavatum, caput ad capitatum.

13 Ex his igitur satis clarâ est definitio Relatorum; Addam tamen alia axiomata, quæ huc reservavi ex introduct. Log. c. 9. in comment. num. 29.

14 3. *Relata sunt simul naturâ.* Est *Arist. lib. Categ. cap. 7. §. 37.* δοκεῖ τὰ πρός τὸ ἅμα φύσει εἶναι. Videntur relata simul naturâ esse. Simul n. est duplum & dimidium, & cùm est dimidium, etiam est duplum, & cùm est Dominus, est servus, & cùm est servus, est dominus. Sic *August. serm. 180. de temp. cap. 1. Patrem cùm audis, agnosce quòd habeat filium. quomodo possessor dicitur, qui aliquid possidet, & dominus qui alicui dominatur.*

15 Simul autem naturâ sunt *Aristot. lib. Categ. c. 13.* quæcunque reciprocantur quidem, secundùm existendi contextionem, sed nullo modo alterum est causa cur alterum sit. Vel simul naturâ dicuntur, quæ simul existunt sine ullius ab altero dependentiâ causali.

Cæterum ista simultas Naturæ, infert etiam simultatem temporis, Igitur quæ sunt simul naturâ, ea etiam sunt simul tempore. Etsi non vicissim, quæ sunt simul tempore, sunt etiam simul naturâ. Ex his sequitur, si relata sunt simul naturâ, quòd etiam sint simul tempore.

16 Porrò ad intelligenda hæc pleniùs, duæ sunt notandæ ob-
Objectiones. jectiones. *Prior* est, quòd aliqua relata ab aliis causaliter dependeant. E. aliqua relata non sunt simul naturâ. Nam naturâ simul esse dicta sunt ea, quorum alterum non est causa alterius. Antecedens patet, de patre & filio, quæ relata sunt, & tamen iste est causa hujus. Unde porrò arguo: Impossibile est causam naturâ simul esse cum suo effecto. At quædam relata sunt ut causa & effectus, ut dictum est de patre & filio. Ergò impossibile est quædam relata esse simul naturâ.

17 Ad argument. hoc rectè *respondet Boëtius*, cæterique Phi-
Solutiones. losophi; quòd relata dicantur esse naturâ simul, prout considerantur in esse relativo. Atque hoc modo unum non est causa alterius. Nec sic pater magis est causa filii, quàm filius sit causa patris, quia prout sic, hoc est, relativè sumuntur, coëxistunt. Pater autem solum est causa filii, considerando utrumque in esse absoluto. Hoc est, homo ille, qui suscipit relationem paternitatis, ille, est causa illius hominis,

qui

qui dicitur filius. Et sic illa subiecta harum relationum, non remanent simul naturâ, sed pater est naturâ prior filio. Elegantèr loquitur *Damascenus in Dial. cap. 30. Cointerimitur pater filio ut filius patri: Cointerimitur autem* (estque idem de comproduci) *non hypostasis illius, sed σχέσις, sive habitudo & relatio. Manet homo qui filius est, sed non manet filius.*

Posterior *objectio* sumitur ex ipso *Aristotele*, de scientia & scibili, sensu & sensibili. Hæc enim sunt relata; & tamen scientia potest esse, cùm scibile nondum est; quomodo nunc est scientia Eclipseos futuræ, cùm tamen ipsum scibile, h. e. Eclipsis, (futura enim demum est) nondum sit. Et sic vice versâ potest esse aliquid nunc scibile, cujus tamen nondum est scientia. Sicut Novus orbis, maculæ solis, sive planetæ quos nunc observant Mathematici, ultra vulgatos septem planetas diu fuerunt scibilia. Et tamen de iis non fuit scientia. Idem discursus fieri potest in sensu & sensibili. Hâc in re respondeo 1. *Aristotelem* hâc suâ instantiâ noluisse derogare generalitati superioris propositionis. Loquitur enim semper molliter, per verbum ἔοικεν, δοκεῖ, &c. 2. *Ammonius in prædicab.* quem plerique alii sequuntur, ait sensum & sensibili, scientiam & scibile, esse omninò simul naturâ, adeòque tempore, quando utrumque intelligitur in eodem entitatis gradu, h. e. quoad utrumque intelligitur ut Ens in actu, vel ut Ens in potestate, non autem quando alterum intelligitur in actu, alterum in potentia. Et simul sunt scientia actualis, & id actu scibile. Item res scibilis potentiâ & scientia possibilis. Vide *Zabarellum in tabulis Logic. ad libr. præd. pag.* 119. Et *Thom. 1. p. quæst.* 13 *a.* 7. *ad* 6. Sed hæc responsio non satis facit propter multa. Ideóque meritò eam rejicit *Scaynus in prædic. ad* 7. 18

Vera autem solutio est hæc, quòd sensus & sensibile, scientia & scibile, non sint relata, relatione eâ, quam *Aristoteles* intellexit, dicens: *Relata esse simul naturâ.* Id enim intellixit de Relatis relatione prædicamentali, qualis non est inter habitum aut potentiam, & eorum objecta. Nam habitus & potentiæ sunt per se qualitates, non relationes. Objectum autem habitûs similiter non est necessariò relatum, sed potest esse subjectum vel qualitas vel quantitas. Sic res scibilis scientiâ physicâ est homo, cœlum, &c. res scibi- 19

bilis

bilis scientiâ Mathematicâ est magnitudo, numerus, &c. & sic est de sensu & sensibili. Ex quibus sequitur, respectum qui intervenit inter ista esse non secundum esse, sed secundùm dici, non prædicamentalem, sed transcendentem. Quæ autem sic sunt relata, non necessariò sunt simul naturâ. Vide *Suarez disp. 47. in Metaph sect 4. num. 2.*

20 4. *Relata se simul ponunt & tollunt, συναναιρεῖ τὰπρός τι ἀλλήλα. Illa* (Relata) *mutuò se tollunt*, inquit *Aristotel lib. Categor. c. 7. §. 17.* Sic & *Damascenus in Dial. cap. 50.* τὰ πρός τι ait, συνεισάγειν ἢ συνεισφέρειν, συναναιρεῖν ἢ συναναιρεῖσθαι. Unde si aliquis sit pater, necessariò habebit filium. Et si desinat esse pater, desinat etiam filius. Repetendumque hoc est, quod ad prius dictum est, illud συναναιρεῖσθαι & συνεισφέρειν intelligi de esse relativo, non de esse absoluto. Neque enim si aliquis desinat esse pater, filius desinet esse homo. Solùm desinet esse filius. Desinit γένεσις, non desinit ὑπόστασις.

21 5. *Qui novit unum relatorum, novit & alterum.* Habetur apud *Aristot. libr. Categ. cap. 7. §. 26.* Duobus modis hæc proprietas relatorum exponitur. *Conimbricenses ad lib. Categ. cap 7. quæst. 3. Thomæ* tribuunt hanc sententiam, quam exposuerit de notitia *Existentiæ*, hoc sensu qui novit unum relatorum existere, novit etiam alterum relatorum existere. Et verum quidem est, relata sibi coexistere, sed *Aristoteles* id dicere superiùs non intendit. *Averroes*, & *Albertus*, aliique plures intelligunt *de cognitione definitivâ & essentiæ*, hoc sensu qui novit quid sit unum relatorum, novit etiam quid sit alterum relatorum; veluti, qui scit quòd pater sit persona habens filium. Ille etiam scit quòd filius sit persona habens patrem, & sic in aliis. Hoc etiam verè dicitur, idque ex conjunctis his duabus relatorum proprietatibus, priore quidem, quòd relatum definiatur mentione sui correlati. Posteriore, quòd ille respectus sit mutuus, ut proinde etiam correlatum definiatur mentione relati.

22 *Propria ex positio.* Nihilominùs si accuratè rem considerare velim, videtur nec hoc intendisse *Aristoteles*. Existimo igitur sensum verborum *Aristotelis* hunc esse, quod qui novit quid sit unum relatorum, novit etiam quis sit terminus ad quem referatur id correlatum, vel quòd qui novit aliquod relatum, novit etiam ad quod referatur id relatum. Et qui novit patrem esse aliquid relativum, ille novit etiam aliquid, quod ejus

corre-

correlatum sit. Et sic cognitio correlati intelligitur in axiomate superiori solum confusa & quoad 70. 6m. Quòd ita sit, apparet per verba *Aristot. in cap. 7. Categ. §. 12.* ubi ponens exempla superioris regulæ, *si quis*, inquit, *definitè novit, hoc aliquid esse duplum, etiam cujus duplum sit, definitè novit; & si definitè nôrit hoc aliquid esse honestius, etiam quo honestius sit, accesse est eum definitè cognoscere.*

Qui scire volet an omnibus & solis relatis hæc proprietas 23
conveniat, videat *Colleg. Conimbr. lib. Categ. c. 7. qu. 3.* Alia autem axiomata qui de relatis volet, videat: *In introd. Logic. cap. 2. in Comment. in 25. & lib. sent. Exercit. 8.* Et hactenus quidem fuit prima classis locorum Dialecticorum, in locis consentaneis, sequitur de argumentis dissentaneis.

CAPUT XII.

De Dissentaneis in genere.

1. Dissentanea sunt argumenta simplicia, quorum unum ab alio dissentit.

2. Dissentanea sunt diversa vel opposita.

COMMENTARIUS.

Tria hic imprimis expedienda sunt. 1. De definitione 2
dissentaneorum. 2. De eorum distributione. 3. De eorum ordine.

1. An bene definita sint dissentanea?

Ratio dubitandi est hæc. 1. Quòd videbantur dissentanea 2
definienda numero singulari sicut cætera, Causa, Effectum, Subjectum, Adjunctum, &c. 2. Definitum ingreditur definitionem quod vitiosum est, nihil enim potest seipsum definire. Cum definitio debeat fieri ex notioribus, nihil autem sit seipso notius. 3. Non videtur convenire dissentaneis ipsum dissentire, quia omne dissentaneum dicitur relativè ad suum dissentaneum. Relata autem habent suum affectum sive contensionem mutuam. Nihilominùs vera est definitio proposita. Nam inprimis omnia argumenta tria requirunt in sui definitione. 1. Genus. 2. Mentionem sui correlati. 3. Relationem ipsam sive respectum, quoad suum correlatum referuntur. Hæc autem sunt in definitione dissentaneorum.

Nam

Nam genus est, *argumenta simplicia*. Correlatum unius dissentranei est alterum dissentaneum, quæ simul exprimuntur his verbis, *Quorum unum ad alio*, respectus autem quo unum dissentaneorum refertur ad aliud indicatur verbo *Dissentire*.

3 NOTA. Ad intelligentiam illius definitionis, *Quid sit Dissentire*, nempe dissentire hic non sumitur Ethice, pro eo quod est habere diversas sententias; sed *Dissentire* hic dicuntur omnes termini simplices qui de se invicem negantur. Sic lapis & homo dissentiunt, Quia lapis non est homo; Item Pater & Filius, Albedo & Nigredo, Cæcum esse & videre, & *Æsopum* esse, & esse formosum, &c. Dicuntur dissentire, quia unum de alio negatur. Nempe pater non est filius. Albedo non est nigredo, Cæcus non est videns *Æsopus* non est formosus, &c.

Quid dissentire.

4 His præmissis respondeo, *ad primum*, argumenta Logica sunt duplicis generis. Alia sunt relata unius nominis, ut dissentanea, similia, paria, &c. Alia sunt relata diversorum nominum, ut subjectum & adjunctum, causa & effectum, definitio & definitum. Ex hoc apparet discrimen, *Cur alia argumenta definiantur numero plurali, alia singulari.* Nam quæ sunt relata unius nominis, illa uno nomine implicant duo, videlicet relatum & correlatum, indéque ad significanda illa duo, non numero singulari, sed plurali definiri debent. Talia autem sunt *dissentanea*. Quæ vero sunt relata unius nominis, illa uno nomine unum tantum indicant inde, etiam singulari numero definienda sunt.

Cur alia singulari, alia plurali numero definiuntur.

5 Ad *alterum*, Respondeo. Definitionem nominalem esse, sive notationem, cujus necessitas est inde quia realis haberi non potest, cùm desit vocabulum quod commodiùs naturam dissentaneorum exponat, quàm vox dissentire.

6 *Ad tertium*, Respondeo. In unoquoque termino Logico esse duo consideranda. 1. terminum ipsum. 2. res ipsas & ad has debet fieri respectus in definitione Logicarum notionum, sicut Oratio vel axioma definitur dispositio argumenti & argumenti, quæ non convenit illi termino, sed rei significatæ per terminum; quod igitur hic dissentanea dicuntur DISSENTIRE, hoc etiam non explicandum est de terminis dissentaneis, qui, sicut omnia argumenta, mutuos respectus habet, sed intelligi debet de rebus significatis.

nificatis. Igitur homo & arbor; virtus & vitium, &c. hic intelliguntur quòd debeant diſſentire.

7 Quod autem dicebatur de relatis, quòd ſignificatæ res adhuc conſentiant, ad illud reſpondendum, quòd præter diſſenſionem, quæ in exemplis relatorum eſt, ipſa etiam habeant diſſenſionem; dicimus enim (non ſolùm pater eſt qui habet filium, ſed etiam) pater non eſt filius, & ſic in cæteris.

II. De diſſentaneorum diſtributione.

8 Ad oſtendendam bonitatem diſtributionis, multa requiri ſolent, potiſſima tamen ſunt hæc. 1. Quòd partes diſtribuentes contineri debeant ſub toto diſtributo, hoc eſt, quòd partes cum toto debeant conſentire. 2. Quòd ab invicem partes diſtribuentes debeant diſſentire. 3. Quòd illæ cum diſtributo reciprocari debeant. Quantum ad *primum* horum, dubitatio eſt de diverſis, hæc enim à veteribus inter diſſentanea numerata, non ſunt, ſed de hoc videbimus ſequenti capite.

9 Quantum ad *alterum*, quo requirebatur diſſenſio partium, ſimiliter eſt diſputatio. Videntur enim oppoſita includere diverſa. Oppoſita enim ſunt quæ ſolâ ratione diſſentiunt. Unde concludo, ſi ratione differre continetur in oppoſitis, tunc etiam diverſa continentur in oppoſitis. Ubi enim cujuſque rei differentia eſt, ibi eſt & ſpecies. At Diſſentire ratione eſt differentia diverſorum.

10 Nihilominus dicendum eſt, diverſa & oppoſita ſufficienter diſſentire. Confirmatur, Quia diverſa ſolùm faciunt diſſenſionem inter eos terminos, quibus non repugnat per naturam conſentire. Oppoſita autem indicant diſſenſionem eorum terminorum ſolùm, quibus ſimpliciter repugnat conſentire, ſive de ſe invicem enunciari.

11 Ad objectionem antea oppoſitam facile reſpondetur. 1. Cum partes diſtributionis jubentur inter ſe diſſentire, non habet hunc ſenſum, quaſi unum non poſſit qualitercunque includi vel inferri ab alio, nam contra hunc canonem ſic intellectum plurima exempla valent, (*ut* oſtendi *in lib. Sent. Exerc.* 16. *axiom.* 3.) Sed hoc axiomate tantùm ſancitur hoc, quòd una pars non debeat enunciari de alia, prædicatione directâ. At oppoſita non ſunt diverſa, nec diverſa ſunt oppoſita, ut in poſterioribus clarius erit. 2. Committitur in argumento Elenchus compoſitionis & diviſionis: Omittitur enim in definitione diverſorum particula *ſola*. Diverſa ſunt quæ ſolâ

ratione

ratione dissentiunt. Opposita autem etsi ratione secundum Ramum differant, tamen non differunt ratione solâ, sed ratione & re. Simile esset si quis vellet confirmare, bestiam esse plantam. Hæc enim (planta) definitur quòd sit corpus animatum solâ anima vegetante prædituum. Subsumitur. At bestia est etiam animâ vegetante prædita: Ergò bestia est planta. Paralogismus est, propter omissionem vocabuli *sola*

12 Quantum ad tertium, res plana est, hanc distributionem distributo adæquari. Pauciora enim vel plura dissentanea non dantur.

Sed hic quæritur de duobus.

I, An dissimilia sint dissentanea?

13 Hæc quæstio, sicut & sequens ad intelligendam adæquatè omnem hujus distributionis explicanda est. Sciet *Fonseca lib 7. Dial cap.* 11. & 13. Dissimilia annumerat dissentaneis. Nos secus: Hac in re sine prolixitate dicendum est.

14 1. *Si vocem dissentanei spectamus, posse eam applicari dissimilibus.* Dissentio enim generaliter est omnis disconvenientia, quæ infert propositionis negationem. Talis autem est inter dissimilia, quę ab invicem disconveniunt, & hæ etiam de se enunciantur negativè. Veluti non eadem est ratio hominum & bestiarum in communione bonorum. Et hoc modo *Fonseca* dissimilia vocat dissentanea. 2. Supposito quòd autores habeant potestatem τῶν ὀνομάτων θεσίας hoc est, vel faciendi nova vocabula usurpandi in significatione alia, idcirco non incommodè fit, si dissentanea specialiter usurpentur ad significanda ea, quæ habent dissentionem non comparatam (qualem tribuere possumus imparibus & dissimilibus) sed simplicem. Ista ergo dissentanea, quæ simplicem & non comparatam dissentionem habent, nos distinximus, ad quæ non pertinent dissimilia.

15 *II. An Repugnantia addenda sint aliis dissentaneis.* Ubi & de sufficientiâ totius doctrinæ de dissentaneis. Repugnantia addidit *Hottomannus lib. 1. Dial cap. Keckerman. lib. 1. Syst. Log. l. 2 cap. ult. pag 256.* Ibi dividens oppositionem specialem primariam ait eam esse privativam vel disparativam, vel repugnantiam, vel contrarietatem. Et *p. 294.* definit repugnantiam, quòd sit oppositio vel inter disparatorum unum & alterius proprietatem, (ut esse hominem & esse hinnibilem,) vel inter duas pluresve disparatorum proprietates, (ut esse hinnibilem & esse risibilem quæ sunt proprietates disparatorum)

disparatorum) eorúmque antecedentia & consequentia. *Melanchthon in Dial. 4. pag.* 320. pugnantia facit eadem cum oppositis. Eam enim divisionem, quam Aristoteles assignavit oppositis, quæ dividuntur hic in contraria, privantia, Relative opposita, & contradicentia, ipse assignat ibi Repugnantibus, *Fonsec. lib. 7. Dial. Instit. cap.* 34. facit repugnantia eadem cum disparatis; sed postea amplians vocem, & extendit etiam ad opposita. Opposita autem phrasi Aristotelicorum sunt eadem cum contrariis, quæ Ramus vocat. Alii tacent de repugnantibus, in doctrina dissentaneorum terminorum, ut facit *Ramus lib. 1. Dial. cap* 13. (nisi quòd aliquando repugnantia vocârit, quæ posteà nominavit disparata) *Augustin. Hunnæus lib. 5. Dial. pag.* 297. 319. *seqq.* Adeóque *Boëtius in Cicer. Topic.* Repugnantia vocat contrariorum consequentia. Igitur vigilare & dormire contraria sunt, consequens τῶ dormire est stertere. Hoc igitur stertere & vigilare Repugnantia sunt Boethio.



Hac in re has statuo propositiones. 1. *Impossibile est, esse plures species dissentaneorum argumentorum præter eas, quas nos enumeravimus.* Singulæ enim divisiones carent omni medio. 16

Transeamus per singulas. Primùm *dissentanea dividuntur* in diversa & opposita. Diversa vocamus quæ dissentiunt, sed sine repugnantia ad consentiendum. Oppositа autem quæ dissentiunt cum repugnantia ad consentiendum Ac dissentire cum repugnantia, & dissentire sine (vel non cum) repugnantia, contradictoria sunt. 17 *De immediata divisione dissentaneorum.*

Inter contradictoria autem non est medium. Porrò *opposita dividuntur* in disparata & contraria, & Disparata dicuntur Contraria, quorum unum multis opponitur. Contraria, quorum unum uni opponitur. Horum igitur distinctio fundatur in oppositione unius & multorum. At unum & multa opponuntur sine medio. 18 *De immediata divisione oppositorum.*

Rursus *contraria dividuntur* in affirmantia & negantia. Hic etiam impossibile est dari medium, quia distinctio hæc fundatur in oppositione affirmationis & negationis, quæ iterum est immediata. 19 *De immediata divisione contrariorum.*

Inquies: Hanc divisionem non esse immediatam. Nam per contraria affirmantia intelliguntur ea, quorum uterque terminus est affirmans. Et negantia quorum alteruter terminus est negans. At videtur posse addi tertium: Nam videtur 20

etiam

etiam terminus negans opponi posse termino neganti, veluti privatio privationi, ut surditas cœcitati, & terminus contradicens alii contradicenti, ut non homo & non lapis. Idemque videtur esse de nihil & non nihil, & sic in aliis.

21 *De oppositione negationum.*

Respondeo I. cùm terminus negans neganti, veluti privatio privationi, aut contradictoria negatio alii opponitur, non potest esse contrarietas. Nam contrarietas semper est inter duo. Ac privationes plurimæ sunt, ut & infinitæ negationes, sùntque istæ omnes ejusdem ordinis. Unde consequens est, hic non unum uni opponi; sed pluribus. Æquè igitur surditas cœcitati, ac insipientiæ, silentio, paupertati, opponitur & sic in aliis. Atque adeò istorum oppositio est disparatio. Specialiter dico de negationibus infinitis. Possunt illæ bifariam intelligi. *Primò* formaliter, hoc est, secundum significationes suas, quas proximè menti inferunt. Etsi si opponuntur istæ negationes etiam disparatè. Id quod significat hæc negatio (Non lapis) non significatur per illam negationem (non homo.) Idémque est in aliis. *Secundò* materialiter, hoc est, pro rebus subtratis, vel quæ sub illa negatione comprehenduntur, & sic ne quidem opponuntur. Nam non lapis potest esse non homo. Sumendo v. g. plantam, quæ & non lapis est & non homo. Et sic in aliis. 3. Nihil & non nihil non sunt duo termini negantes. Nam nonnihil est affirmatio. Duæ enim negationes apud Latinos æquipollent affirmationi. Relinquitur igitur negativam esse immediatam. Vide etiam *Suarez. disp.* 45. *s.* 1. *n.* 2. disputantem, non dari oppositionem sive contrarietatem inter duas negationes. Itidémque *Coll. Conimb. l. Cat. c.* 10. *q. v. c. a.* 2.

De infinitis negationibus.

22 Redeo ad institutum. Igitur porrò contraria affirmantia etiam sine medio dividuntur in relata & adversa. Nam fundatur illa distinctio in oppositione respectivi & absoluti. Si enim duo termini positivi, & absoluti contrarientur, dicuntur adversa, si respectivè dicuntur relata. Ac inter respectivum & absolutum non est medium. Ex altera parte opponuntur etiam immediatè contradicentia & privantia, in divisione contrariorum negantium. Nam cùm in his semper alter terminus sit negans, & verò negatio immediatè dividatur in contradictoriam & privativam; idcircò & ista divisio immediata erit. Ex his elicitur. II. Propositio. *Repugnantia non possunt esse distinctæ species dissentaneorum. Sed vel non sunt dissentanea, vel includuntur in priùs recensitis speciebus.* Relinqui-

De repugnantibus.

linquiturque id satis confirmatum ex proximè præcedenti discursu. Et ita cadit sententia *Keckermanni*. Est autem præterea notandum contra hanc sententiam. 1. Quòd ipse *Keckermannus* insinuat, repugnantia ab aliis oppositis non distingui. Nam privantia definit per repugnantiam, *lib* 1. *Syst.* 2. *cap. ult pag.* 286. Deinde exempla repugnantium satis aperte referunt ad alia dissentanea. Hinnubile non est risibile. Propositio est ex disparatis: Equus non est risibilis, similiter. Et sic in aliis. 2. Illud verò exemplum *Keckermanni* (ubi dicit repugnantia esse, electum esse & excidere Dei gratiâ) falsum est, & spurium. Quòd enim inter hos terminos non sit repugnantia, pater saltem exemplo *Davidis*, qui erat & electus, & excidebat Dei gratiâ, dum fornicabatur, & erat homicida. 22

III. Propositio. *Repugnantia non sunt idem quod opposita*, si opposita intelligantur sensu *Aristotelico*. Hoc dico. Cùm opposita dividuntur adæquatè in adversa, relata, contradicentia & privantia, non sunt idem quod pugnantia. Patet. Nam nullo jure à repugnantibus excluduntur disparatæ, quæ similiter habent repugnantiam; non quidem existendi in eodem tanquam subjecto aut toto, sed saltem habent repugnantiam ad consensionem, ut de se invicem enuncientur. 23

IV. Propositio. *Repugnantia igitur idem sunt quod opposita.* Ideoque aliqua repugnantia pertinent ad disparata, aliqua ad adversa, relata, contradicentia & privantia. 24

III. De ordine Dissentaneorum.

Quantum ad hoc caput de duobus quæri potest: 1. *Quem ordinem habeant argumenta dissentanea ad argumenta alia?* 2. *Quem ordinem habeant argumenta dissentanea ad invicem?* 25

Quantum ad primum. Dico 1. *Dissentanea rectè sequuntur consentanea.* Consentaneis enim competit affirmatio unius termini de alio. Dissentaneis negatio. Affirmatio autem, cæteris alioquin paribus, prior est negatione. 26 *Dissentanea docens da post consentanea.*

Ita. 2. *Dissentanea rectè præcedunt comparata, orta, & Testimonium.* De comparatis patet. Quia in universum simplex est prius comparato. Deinde aliqua comparatio fundatur in dissentaneis, ut est comparatio dissimilium & imparium. Fundamentum autem est necessariò prius ædificio, quod ei superstruitur. De ortis patet. Quia aliqua orta oriuntur ex dissentaneis, velut est notatio ex contrariis. Quod divisio- 27

nes quoque fiunt ex remotione contrarii, sicut inprimis fit in definitione privationis, & denique quòd partes distribuentes sunt naturæ dissentaneæ. 3. De testimonio patet, Quia testimonium non habet alicujus argumenti vim, nisi eam sumat ex aliis argumentis pendentem, propter hanc igitur dependentiam argutionis, sicut testimonium est posterius aliis argumentis, ita etiam dissentaneis.

28 *An diversa priora oppositis.*

Quantum ad alterum, diversæ sunt sententiæ. Alii enim prius de diversis, Alii de oppositis prius agunt. Dico perinde esse sive de his, sive de aliis primo loco agitur. Sùt enim species ejusdem, quæ nullam dependentiam ad invicem insinuant, si quis igitur de diversis incipiat, dici potest progredi ab inferioribus ad superiora, quomodo in doctrina de anima prius agitur de anima inferiori, hoc est vegetante, postea de de cæteris. Si quis autem ordiatur ab oppositis, dici potest, eum servare ordinem nobilitatis, qui sæpè observari solet. Quæ *Keckermannus* disputat *lib. 1. Syst. Log. sect. 2. cap. 6. pag. 283.* Necessariò præponenda esse contradicentia argumentis aliis, suo loco retexentur. *Tantum de dissentaneis in genere.*

CANONES.

29 1. *Dissentanea disponuntur solùm negando.* Hunc canonem hîc non pono, q. docere velim, quomodo disponi debeant, (Id enim secundæ partis est,) sed solùm, ut à posteriori declaretur natura dissentaneorum. Sequitur autem ista proprietas, ex ista ratione dissensionis. Dissensio enim infert unius ad aliud negationem

30 *Obiicies* 1. Diversa posse disponi affirmatè, ut in isto exemplo. Non formosus erat, sed erat facundus Ulysses, Ubi hæc propositio *Ulysses erat facundus*, ponitur tanquam, à diversis, quæ tamen est affirmata. 2. Deus & homo sunt disparata. Et tamen enunciantur affirmatè, ut *Deus est homo*, in doctrina de persona Χριστου.

31 Ad prius Respondeo. In isto exemplo (*Ulysses* erat facundus) non esse dispositionem diversorum, sed adjuncti & subjecti. Alioquin duplex exemplum diversorum est in isto exemplo. Prius *Ulysses non est formosus*. Posterius. *formosus non est facundus*. Horum autem utrumque est negatum.

32 *De propo-*

Ad posterius argumentum, secundum *Melanchthonem* (qui propositionem istam facit irregularem & insuficatum, *lib. 1. Dial.*

Dial. p. 60.) responderi dum esset, superiorem canonem, & negativa prædicationem dissentaneorum pati hic exceptionem. Hæc, Deus est homo, inquit non congrua ad regulares. Non conjungimus enim aliquam species disparatas, ut aper est cervus. 2. *Bellarmin lib. 3. de Eucharistia cap. 19.* facit istam propositionem usitatam, Possumus inquit, assumptione humanæ naturæ ad personam verbi, illa propositio vera est secundum omnes regulas philosophiæ, cum pro eodem supposito supponunt, tam hic homo, quam hic Deus. Si hanc sententiam sequamur, dicendum est, Deum & hominem non esse terminos disparatos, in prædicatione personali. Ut primus quia Deus ibi nihil aliud est quam persona à Deitate denominata assumens humanitatem. Et rursus homo est eadem persona, secundum quod notatur ea natura quæ assumpta est in Deum. Talitur autem Deus & homo non sunt termini disparati, sed quatenus Deus intelligitur præcisè & homo præcisè, hoc est, neutrum cum connotatione alterius. *sitione: Deus est homo?*

11. *Dissentanea sunt æquè nota.* Axioma hoc *Ramus* ponit. *lib. 1. Dial. cap. 12.* At non est id verum secundum omnes sensus & illimitatè, si scilicet intelligatur hoc sensu, quasi, quæ exempla sunt dissentaneorum, omnia habeant æqualem notitiam, & unum non sit alio notius seu prius cognitione. Hoc inquam, falsum est multis modis. Ac primum, de notitia quoad nos, potest aliquid dissentaneum esse notius altero. Sic Anima & ignis dissentanea sunt, & tamen secundum *Arist. 5. Top. c. 2.* Anima est ignotior igne, & magis scimus quid sit ignis, quàm quid sit anima.

2 Ad exempla dissentaneorum pertinent etiam quæ sunt Analoga ad invicem, veluti substantia & accidens. Et tamen analogatum prius est notius posteriori analogato, veluti substantia accidente, ut notum est. 3. Ad dissentanea pertinent termini affirmantes & negantes, veluti homo & non homo, visus & cæcitas. At affirmatio est prior negatione in ordine cognitionis. Et in specie habitus sunt notiores privationibus. Et rursus in genere, Ens reale est notius Entis rationis. At negationes omnes sunt Entia rationis, hoc est, non habent Entitatem nisi eam, quam dat eis intellectus eas apprehendens. 4. Ad dissentanea etiam pertinent, quæ alio respectu sunt consentanea, ut Elementum & Elementatum, sive mixtum, Anima & homo, Deus & mundus, Corpus & quantitas. Nam elementum non est Elementatum. Anima non

est homo, & sic in cæteris, & tamen Elementum, quia est materia mixti, est mixto natura notius. Vnde peccaret gravissime, qui æqualiter notis Elementum habens & Elementatũ, doceret primum de elemento, & postea de Elementato & sic in cæteris. 5. Denique aliæ conditiones possunt intervenire, quæ faciunt aliud alio notius esse, in dissentaneis. Sic visus & auditus & cæteri sensus dissentanea, sunt; et tamen alii sensus sunt ignotiores visu. quia hujus organum, objectum, medium, &c. sunt notiora organis, objectis & mediis in sensibus, per *Zabarell. lib. de Metho. cap. 7.*

35 His ita positis, existimo, superiorem propositionem veram solùm esse, de dissentaneis, ut sic, & quà talia sunt. Ergò dissentanea sunt æquè nota, h. e. in dissentaneis, quà talia sunt, non est unum altero notius, quemadmodum est in consentaneis, ubi ipsa consensio infert ũius præ altero clariorem notitiam. Ita causa est priùs nota quàm effectus, & subjectum quàm adjuncta.

36 Atque his positis duo relinquuntur, 1. Si quæ dissentanea in specie non sint æquè nota, quòd hoc non proveniat ex genere, h. e. quòd sunt dissentanea, sed ex conditione specificâ, hoc est, quòd talia dissentanea sunt, vel ut contradicentia, aut privantia, quorũ alter terminus semper est notior altero. 2. Si inter species alias dissentaneorum inveniretur in exemplis prioritas notitiæ, quòd ea non conveniant iis, quâ dissentanea sunt, sed propter aliud, veluti quia præter dissensionem, habent etiam consensionem; ut in superioribus exemplis est visum de Elemento & Elementato, & aliis.

37 III. *Dissentanea suâ dissensione clariùs elucescunt.* Hoc etiam habet *Ramus lib 1. Dial. cap. 12.* Habent autem hunc sensum: Et si dissentanea sint æquè nota, tamen apprehenduntur in sua dissensiõe ut unum alteri opponatur, & tum alterum alterum notificat, veluti si virtutis proprietatibus juxtà ponuntur proprietates vitiorum, clarius elucescit utrumque. Cæterum inprimis axioma hoc luculentum est in contrariis, adeòque *Aristoteles* etiam ad contraria specialiter id proposuit. 3. *Rhet. cap.* 17. τὰ ἐναντία παρ' ἄλληλα μᾶλλον φαίνεται. *Contraria ad invicem sumpta* (vel juxta se posita) *maximè apparent.* Repetimus igitur id infrà.

CAPUT.

Caput XIII.
De Diversis

1. Diversa sunt quæ solâ ratione dissentiunt.
2. Ratione dissentiunt ea, quæ sic dissentiunt, ut consentire eis non repugnet.

COMMENTARIUS.

1. Notentur exempla diversorum, quæ sunt in his propositionibus: *Ulysses non erat formosus, sed facundus*: termini diversi sunt, *Ulysses, & non esse formosum*, his terminis non repugnat consensio, neque enim repugnat homini esse formosum. 2. *Sylla non victoriam, Sed insignia victoriæ reportavit*: termini diversi sunt *Sylla, & non reportare victoriam*: Item *non reportare victoriam, & reportare insignia victoriæ*. Neque enim vel Syllæ repugnat reportare victoriam, neque reportare victoriam repugnat cum reportatione insignium. 3. Etsi utentes cœnâ manducent corpus Domini, tamen non omnes vivificantur; termini diversi sunt, utentes Cœnâ, & non vivificari: item, manducatio corporis Domini, & non vivificari. Nam neque utenti cœnâ Dominicâ repugnat ut vivificetur, neque manducationi corporis Domini repugnat, ut sit cum vivificatione. 4. Addi possunt plura exempla alia, ut: *Adam etsi ante lapsum fuit justissimus, tamen injustitia non stetit*. Item propositiones simplices, *Johannes* non est doctus, *Judas* non resipuit, hic etiam disponuntur termini, quibus consentire non repugnat. Et proinde sunt termini diversi.

1 *Exempla in propositionibus discretis.*

Exempla in propositionibus simplicibus.

De voce diversorum.

II. Ad definitum notandum est, Vocem diversorum non eodem modo accipi. 1. In Metaphysicis aliquando dicuntur *diversa* omnia ea, quæ non sunt eadem, veluti cum Ens dividimus in idem & diversum. Sic *Aristot. 5. Met. cap. 9. Diversum, ait, dicitur oppositè ad id, quam idem dicitur*. Sic igitur diversa dicuntur. 1. Quæ non habent idem genus, ut Linea & homo. 2. Quæ sunt diversæ species alicujus generis, ut homo & bestia, item quæ sunt distincta individua alicujus speciei, ut *Cato*, & *Plato*, & *Aristoteles*, &c. Item quæ sunt distincta attributa, ut doctus & indoctus, mas & fœmina. Atq; adeò in universum, quæcunq; habent aliquid in quo non conveniant,

2 *Vox diversorum varie sumitur*

Diversum opponitur eidem.

Opposita sunt etiam

Metaphysicè diversa.

veniant, sive essentiale, sive accidentale sit, diversa dicuntur. Exindeque apparet, quæ in Logicis opposita dicuntur, secundum hanc significationem Metaphysicam etiam diversa esse.

3 *Diversum opponitur differenti.*

II. Diversum opponitur in Metaphysicis differenti, de quo *Aristot. in 10 Metaph.* Tunc igitur diversa dicuntur quæ distinguuntur ab invicem se totis, & non per aliquid sui, hoc est, per differentiam aliquam specificam *Differentiam* autem appellantur quæ distinguuntur per aliquid sui, nempe differentiam aliquam. Sic differentia sunt homo & bestia, quia homo & bestia per aliquid sui ab invicem distinguuntur, nempe per rationalitatem & irrationalitatem. Deus autem & materia prima non differentia sed diversa dicuntur, quia propter simplicitatem suam non habent aliquid sui in quo differant, sed tota essentia Dei distinguitur ab essentia materiæ. De quo vid. *Perer. l. 5 de mat. c. 11.*

4

III. In Logicis diversa opponuntur Oppositis, dicunturque diversa non ea, quæ disconveniunt in aliquo tertio (sic enim ut dictum, opposita etiam diversa sunt) nec de se totis distinguuntur Hæc enim etiam maximam dissensionem habent, quæ in Logicis diversitas non est. Sed diversa hic dicuntur omnia ea quæ tam levem differentionem habent ut non repugnet eis, consentire per naturam, & de se invicem affirmari, quod nunc clarius patebit, explicando, quid sit ratione differre.

5 *Ratione differre quid?*

Nunc explicanda est phrasis *ratione differre.* Igitur differre non eodem modo dicitur. 1. Quia ratio est, aliquando idem quod essentia, hinc ergò ratione differre, aliquando est essentiâ differre, ita *Aristoteles* dixit Musicum & album esse, ratione differre. Ratione, hoc est, essentiâ & definitione, ut exponit *Suarez disp. 7. Metaphys. sect. 1. num: 14. 2.* Pertinet huc etiam illa significatio, quando ratione differre dicuntur omnia illa, quæ in uno aliquo subjecto conveniunt, realiter enim differre aliquo sensu est idem quod subjecto differre (ut *Zabarell.* docet *lib. de facult. anim. c. 2.*) Ratione igitur differunt omnia, quæ in aliquo subjecto conveniunt. 3 Vulgatissimè, quia ratio est idem quod mentis conceptus. Differre ratione dicuntur ea, quę conceptu mentis differunt. h. e. quæ non distinguuntur in re, ut unum ab alio separari possit, sed quæ solum distinguuntur per mentis operationem. Sic ratione dicuntur differre dextrum, & sinistrum in

columnna;

columna; Justitia, & misericordia in Deo, &c. Hæc enim in istis Entibus non duo sed unum verè sunt, indéque in re non habent distinctionem, (nihil enim realiter à seipso distinguitur) sed solùm ratione.

4. Peculiaris est significatio hujus loci. Hic igitur ratione differre significat differentiam levissimam illam; qua aliqua sic distinguuntur & dissentiunt, & de se negantur, ut tamen consentire & de se affirmari illis non repugnet. Congruenter aliqui hoc explicant sic: quòd differre ratione sit dissentire solùm per distinctionem, non per repugnantiam. Sic igitur ratione differunt, esse aliquem hominem, & non doctum. Item aliquem esse hominem & non longum, esse aliquod lignum & non rotundum. Nam homini non repugnat doctrinam habere vel proceritatem, vel ligno habere rotunditatem, nec vicissim rotunditati repugnat esse in ligno, nec doctrinæ aut proceritati esse in homine. Ratione autem non differunt sed re (in hac significatione) quæ prorsus repugnantiam habent, ut unum cum altero consentiat, & de eo affirmetur. Talia sunt esse hominem & esse lapidem, esse calidissimum & esse frigidissimum, esse cœcum & esse videntem. Nam lapis non est homo, frigidissimum non est calidissimum, cœcus non est videns, in tantum, ut planè repugnet & impossibile sit dicere lapidem esse hominem, frigidissimum esse calidissimum, cœcum esse videntem. Igitur diversa (secundùm tertiam significationem) solâ ratione differunt, h. e. adeò leviter ut consentire possint. 6

Vide Walsium in Log.

I. Quæritur

An diversa sint argumenta Logica?

Peripatetici inter locos dissentaneos non habent nisi opposita, eáque dividunt in adversa sive contraria, relata, contradicentia, & privantia, ex *Arist. l. Categ. cap.* 10. *& l.* 5. *Top. cap.* 6. & alibi. Unde nec diversa nec disparata agnoscunt pro dissentaneis, adeòque nec pro locis Logicis. 7

Porrò duo sunt hâc in re dicenda: 1. *Diversa esse verè argumenta Logica.* Id apparet ex resolutione propositionum. Dantur enim propositiones quæ non possunt resolvi nisi in diversa, ut: *Ulysses non est formosus. Etsi Petrus sit dives tamen non est pius, vel doctus*, &c. At omnis propositio pro materia habet argumenta aliqua inventionis. 8

Diversa esse argumenta.

9

2. *Diversa sunt argumenta dissentanea.* Hoc à posteriori

patet, quia diversa disponuntur negando, ut visum est in prioribus. At negativè disponi convenit (non consentaneis sed) solis dissentaneis. Objectiones contra hanc sententiam speciosas non invenio, porrò.

Quæritur II.

An diversa sint, cum dico: Etsi hic homo sit Theologus, tamen etiam est Philosophus.

10 De his & similibus propositionibus aiunt aliqui quòd habeant dispositionem diversorum. Probant, Quia in hoc exemplo reperiantur notæ diversorum, *Etsi, Tamen.* Ubi autem est nota, ibi etiam est notatum. Nihilominùs verius dicitur, diversa hic non esse, Nam omnia diversa debent dissentire. Sunt enim dissentanea. Indéque non affirmando sed negando solùm disponi possunt. Hoc autem axioma est affirmatum.

11 Ad object. respond. Notas illas contingentes esse, neque semper, sed ut plurimùm solùm indicare diversa. Ubi autem nota est, ibi est res notata, cum proportione hac verum est, ubi est nota necessaria ibi est res notata necessariò. Ubi est nota contingens, ibi est & res notata contingentur, & saltem ut plurimùm.

III. Quæritur:

An propositiones simplices sint etiam ex diversis?

12 Tales propositiones sunt: *Ulysses non est formosus. Sylla non reportavit victoriam. Johannes non est doctus, &c.* Sunt autem hâc in re diversæ sententiæ. Aliqui dicunt 1. Esse dispositionem subjecti & adjuncti, quia adjunctum negetur de suo subjecto. Resp. Ad hanc sententiam; Falsam eam esse. Nam subjectum & adjunctum eo ipso, quia sunt termini consentanei, non negatè sed affirmatè solùm disponi possunt, & patet. Consentanea enim non possunt non consentire. Consentire autem aliqua indicantur ex eo, si affirmatè disponantur, sicut in oppositis dissentire indicantur ea, quæ negatè disponuntur.

Non est subjecti & adiuncti.

13 2. Aliqui existimant esse *dispositionem disparatorum* quia *Ulysses* v. g. repugnet formositas. Respond. ad hanc sententiam. Disparata solùm esse, quando in terminis dissentientibus involvitur naturalis repugnantia ad coëxistendum. Quæ igitur naturalem repugnantiam non habent, ea hoc ipso

Non est disparatorum dispositio.

ipso non disparata, sed diversa sunt. Atqui formositati v. g. non repugnat esse etiam in *Ulysse*, neque *Ulysses* desinit esse *Ulysses* si fiat formosus; Facilè ergò apparet, naturalem pepugnantiam hic non esse.

3. Relinquitur igitur, ut vera sit aliorum sententia, dicentium hic diversa disposita esse, id probari potest evidenter. 14
1. Ex remotione contrariarum sententiarum. In illis propositionibus simplicibus non est dispositio consentaneorum, ut patuit, nec oppositorum, ut itidem patuit; nec aliud dici potuit. E. Est dispositio diversorum. 2. Termini qui sic dissentiunt, ut non repugnet eis consentire, Illi sunt diversi. Atqui termini *Ulysses* & *Formosus*, tales sunt termini diversi. Assumptum patet. Nam quòd dissentiant, ostendit negatio: *Ulysses non* est formosus. Quòd autem non sit repugnantia in terminis, anteà probatum est, quia neutri repugnat existere cum alio.

Unum objici potest. Quòd *Ramus* in tractatione argu- 15
menti hujus non habet propositiones simplices, sed solùm compositas, sive discretas. *Resp.* 1. A Testimonio humano negativè N. V. C. *Ramus* hoc non dixit. E. non est. 2. Deducitur tamen hoc ex ipsis *Rameis* exemplis. Nam in propositionibus his simplicibus inter terminos non est major vel minor dissensio, quàm inter eos, qui dispositi sunt in propositionibus discretis apud *Ramum*, Rursus docet *lib. 2. Dial. cap. 4.* quòd dissentanea omnia disponantur negando, item quòd axiomate simplici disponantur omnia argumenta, adnóq; & diversa, exceptis plenis comparationibus & distributionibus.

IV. Quæritur:
An usum Syllogisticum habeant diversa?

Poteram mihi nunc temperare ab hac quæstione, & rejicere ad doctrinam Syllogisticam. Nihilominùs quia plerique autores eam hic tractant, placet eam paucis persequi. Igitur 16
pauci sunt, qui id asserunt, quòd usum Syllogisticum diversa habeant. Est inter eos *Bisterfeldius* & *Ursinus* in quæstionibus illustribus. Affert tibi *Ursinus* exemplum hoc: *Ulysses* non est formosus, *Ulysses* est facundus. E. Quidam facundus non est formosus.

Nihilominùs alii existimant, in diversis usum Syllogisti- 17
um non dari Inprimis propterea, quia contingenter dissentiant, unde non nisi ludicra fieri posset illatio per hoc Argumentum

gumentum. At omnis Syllogismus debet habere necessariam consequentiam. Ad exemplum igitur allatum responderi potest: Non esse ibi argumentationem eam ex diversis, sed conclusionem (quæ sine dubio continet argumenta diversa) confirmari ab exemplo. Syllogismus autem non debet mensurari à parte, ex conclusione, sed ex habitudine, quam habent termini conclusionis ad medium terminum.

18 Quòd si dentur Syllogismi ex diversis, Ubi conclusio respiciat medium terminum, tanquam terminum diversum, Consequentiam tales Syllogismi non habent necessariam, veluti: Qui est facundus, non est ilicò formosus. *Ulysses* est facundus, E. non est ilicò formosus. Hæc conclusio: Non esse formosum *Ulyssem*: Confirmatur hoc medio termino ex diversis sumpto, quia est facundus. At illa non est bona consequentia: *Ulysses* est facundus. E. non formosus. Et dicitur aliàs solis disparatis convenire, Uno affirmato, quòd negetur alterum.

Caput XIV.

De oppositis in genere.

1 Opposita sunt dissentanea, quæ re dissentiunt.

2 Opposita sunt Disparata vel Contraria.

Commentarius.

Oppositio quid in Inventione, & quid in Judicio?

1. Notandum est aliquid de Definito. Igitur oppositio in Logica, (mittamus enim alias significationes) 1. Aliter accipitur in Judicio, & aliter in Inventione. In Judicio oppositio appellatur: cùm duæ *propositiones* opponuntur. *Omnis homo est doctus: Quidam homo non est doctus.* Item, *omnis homo est doctus: Nullus homo est doctus.* Item: *Quidam homo est doctus: Quidam homo non est doctus.* Hæ & similes propositiones juxta se positæ dicuntur oppositæ. In inventione autem oppositio est affectio *terminorum simplicium*, indéque res dicuntur oppositæ, quibus repugnat consentire. Atque hinc clarum est, cur & quomodo *Boëthius* dicat oppositionem esse extremorum simplicium: nempe non voluit hoc dicere, quasi oppsito non sit inter res compositas, sed hoc solùm, quòd oppositio non sit intra propositiones, quæ dicuntur extrema composita, sed intra terminos incomplexos, ut benè exposuit *Scotus*, & ex eo *Cellag. Conimb. l. Categ. c. 10. q. 1. num. 1.*

Quomodo oppositio sit extremorum simplicium?

Deinde

Deinde notandum hic etiam est. Aliter in doctrina argumentorum accipi vocem oppositorum apud *Ramum*, & aliter accipi apud *Aristotelem*. Igitur *Aristoteles* opposita vocat ea, quæ *Ramus* alias vocat contraria. Atque sic opposita sunt illa apud *Aristotelem*, quorum unum uni opponitur. Sic *Arist. in 5. Met. c. 10. & lib. Categ: 10. & 5. Top. c. 6.* dicit: Opponi aliqua aliis, quatuor modis. *Contradictoriè*, doctus non doctus. *Privativè*, cæcitas & visus. *Relativè*, pater & filius. *Contrariè* sive *adversè*, ut virtus & vitium. *Ramus* autem ampliavit hanc vocem, & sub oppositis comprehendit etiam disparata, h. e. istos terminos, quorum unus non uni, sed unus multis opponitur. Alias tamen etiam *Aristotelici* fatentur, Oppositionem generaliter usurpari posse, pro quacunque repugnantiâ rerum. Vide *Suarez, disp. 45. in Met. sect. 1. n. 1. & Coll. Con. l. Cat. c. 10. q. un. art. 1.* Ubi ostenditur etiam *Arist.* aliquando latius usurpasse oppositionem, pro quavis repugnantiâ. Et clarè certè *lib. Cat. c. 13.* ea opposita dicit, quæ ejusdem generis divisione continentur, ut sint aquatile, volatile & terrestre. Hoc tamen verè disparatorum est exemplum. 2 *Ramus & Aristoteles differenter accipiunt opposita.*

Deinde notandum de particula *Re dissentire*. Re dissentire non eodem modo dicitur. Aliquando re dissentire dicuntur quæ non sunt in eodem subjecto: sic albedo in cygno, & albedo in pariete re distinguuntur; albedo autem in lacte, & dulcedo in eodem non distinguuntur re, sed ratione, quia utriusque subjectum est idem. Deinde re differre dicuntur, quæ distinctas essentias habent, sive in uno, sive in diversis subjectis sint. Ita differt re albedo parietis ab ejus quantitate: Alia enim est essentia quantitatis, & alia coloris. Hactenus *Zabar. l. de facult. q. 1. c. 2.* Nos (quicquid sit de significationibus aliis) re differre dicimus ea, quæ sic re dissentiunt, ut habeant repugnantiam ad consentiendum. Sic ut secundùm quod opposita sunt, h. e. secundùm essentias suas non possint de se enunciari. Sicut enim diversa differunt ratione, h. e. sine repugnantia ad consentiendum. Ita opposita differunt re, h. e. cum repugnantia ad consentiendum. 3 *Dissentire.*

Ex his plana est definitio Oppositorum. Opposita (secundùm *Rameam* significationem) sunt dissentanea quæ re differunt, h. e. quæ sic differunt, ut habeant repugnantiam ad consentiendum, aut quæ sic de se negantur, ut impossibile sit, ea de se invicem affirmari. 4 *Definitio oppositorum.*

4. Notandum aliquid ad definitionem *Rami*. Hic in defi- 5

nitione

nitionem *Rami* conjungit hæc, *Ratione & re dissentiunt.* Has particulas sic exponunt ejus Interpretes. Opposita dissentiunt, non solùm ratione attributionis, h. e. respectu certæ alicujus rei, cui (cùm ad eam referuntur) simul non conveniunt, sed etiam reipsâ, id est, per se, suâque ipsorum naturâ, quæ etiamsi ad aliud non referantur, inter se tamen pugnare intelliguntur. Ad aliud v. quælibet relata ei non modo non conveniunt, sed omninò (servatis oppositionis legibus) convenire non possunt, quòd ergò respectu certæ alicujus rei opposita dissentiunt, id rationis dissentio est, quòd autem nulli rei simul convenire possunt, id rei dissensio est, pugnantis naturæ. Ita *Ramæi*, inter quos videatur *Douza. ad hunc locum.* Sed quia dicemus infrà opposita eidem attribui posse, idcircò tutius est vel definire opposita per solum *Re differre*, vel aliter *Rei & Rationis dissentionem* explicare, idque hoc modo: Opposita ratione differunt, hoc est, non solùm aliquo modo & respectu DE SE INVICEM (prædicari non possunt (quæ rationis dissensio fuit) sed neque ullo modo servatis terminis disparatis de se invicem enunciari possunt.

QUÆRITUR:

An & quomodo Opposita non possint eidem attribui?

6 *Re differre quid sit auctori.*

Hæc quæstio necessaria est ad intelligendum meliùs, quid sit re differre: de quo nos diximus; re differre non intelligi respectu alicujus tertii, ut sic opposita dicantur re differre, h. e. in nullo aliquo tertio convenire. Igitur nos re differre terminamus intra ipsos terminos oppositos, ut opposita re differant, hoc est, nullo omninò respectu de se invicem enunciari possint, sed ad rem.

7 *Ramæorum sententia.*

Vulgò dicitur: *Opposita non posse eidem attribui, secundùm idem, & ad idem, & eodem tempore*, sed malè hoc intelligitur à *Ramæis*; Duo statuo propositiones ad totius rei decisionem.

Disparata possunt convenire eidem subjecto.

1. *Opposita disparata possunt eidem attribui secundùm idem ad idem, & eodem tempore.* Exempli gratiâ, *Animæ humanæ* simul tribuitur fortitudo & temperantia, quæ disparata sunt. Item *Corpori humano* competit quantitas, formositas, calor, &c. quæ disparata sunt, *Igni* convenit calor, & levitas, quæ disparata sunt. *Parieti* convenit albedo, longitudo, siccitas, &c. quæ disparata sunt. *Lapidi* convenit siccitas, viriditas, situs jacendi humi, verberati, & alia accidentia, quæ

disparata

diſparata ſunt. Mitto infinita alia exempla. Et confirmatur hæc ſententia ex *Ariſt. 10. Met. cap. 5.* ubi ait: *Solis* oppoſitis convenire non eſſe ſimul. Per oppoſita autem ipſe intelligit contraria. Et relinquitur; Diſparata eſſe poſſe ſimul in ſubjecto. In ſumma neſcio, an quiſquam cordatus negârit hanc ſententiam. De eo dubitant Philoſophi: An plura accidentia ejuſdem ſpeciei poſſint eſſe in eodem ſubjecto: nemo tamen negat accidentia ejuſdem generis, adeoque adhuc diſparata poſſe eſſe in eodem ſubjecto. Et alioquin etiam verior eſt ſententia in eodem ſubjecto eſſe poſſe accidentia ejuſdem ſpeciei, loquendo de accidentibus intentionalibus ſaltem, ſicut in eodem aëre recipitur lumen hujus & illius candelæ, ſpecies hujus & illius caloris. De quo vide, ſi libet, *Suarez. diſp. 5. Met. ſ. 8. n. 14.*

Dices tu: Illa non eſſe diſparata, ſed adjuncta. 1. Reſp. Dicatur hoc etiam de contrariis, nempe poſſunt illa de re eâdem enunciari, ſed tamen non ſunt oppoſita, ſed adjuncta. Id certè fieri non poteſt: Nugæ Ergo ſunt in illa reſponſione. Nam. 2. quando oppoſita non dicuntur poſſe eidem attribui, ſenſus eſt, quòd non poſſit eſſe aliquod ſubjectum, cui ea, quæ inter ſe oppoſita ſunt, attribuantur per modum adjunctorum, ut videlicet de eo ſecundùm idem, ad idem, & eodem tempore enuncientur: Unde apparet etiam reſponſ. ſeipſam evertere. Nam ſi in anteà datis exemplis ea quę inter ſe oppoſita ſunt, uni alicui rei per modum adjunctorum tribuuntur. Ergo falſum eſt quædam oppoſita non poſſe eidem attribui. Illa enim adjuncta, fortitudo, inquam, temperantia, & alia ſunt ad invicem oppoſita, quæ oppoſitio non tollitur per hoc, quod in eodem veluti homine recipiuntur, ut apparet exinde, quòd illa adjuncta complicata etiam cum ſubjecto adhuc de ſe invicem negantur, veluti: Fortitudo hominis non eſt temperantia hominis. Unde ſi fortitudo non eſt temperantia, adhuc viget diſſentio vel oppoſitio, ſi maximè utraque ſit unius, nempe hominis: Ergo oppoſita quædam ſunt in eodem.

8 *Inſtantia ſolvitur.*

2 *Oppoſita, hoc eſt: contraria non poſſunt eidem attribui ſecundum idem, ad idem & eodem tempore.* Dico igitur: In illa vulgata propoſitione vocem oppoſitorum ſumi ſignificatione Ariſtotelicâ, qui, ut ſuprà diximus; oppoſita vocat ea, quæ Ramus appellat contraria, Ita *Ariſt.* negat, contraria eſſe poſſe in eodem ſubjecto *l. 2. Top. c. 7. §. 2. & de ſomno & vig. c. 1.*

9

Atque

Atque sic, ut specialiùs loquar. 1. *Relata non possunt eidem attribui.* Nam impossibile est, ut aliquis respectu ejusdem sit pater & filius. 2. In *Adversis* impossibile est, secundum idem, ad idem, & eodem tempore, alicui convenire adversa, h. e. virtutem & vitium, albedinem & nigredinem. 3. In *Contradicentibus* impossibile est secundum idem, ad idem, & eodem tempore alicui convenire terminos contradicentes, ut esse doctum & non doctum, esse lapidem & non lapidem. 4. In *Privantibus* impossibile est, ut alicui, ad idem, secundum idem, & eodem tempore conveniat habitus & privatio, nempe ut aliquis sit cœcus & videns, surdus & audiens, &c.

11 *Explicatur regula de oppositis.*

Ut igitur nunc intelligatur regula sic proposita h. e. de oppositis, quatenus opposita idem sunt, quod Ramæa contraria, notandæ sunt aliquæ object.

12 *Objectiones de adversis*

Igitur in omni genere contrariorum videtur etiam verum esse, quòd eidem possint attribui. Primùm: in *Adversis* reperitur medium per participationem. Ergo isti insunt duo extrema contraria. Et proinde etiam de eo prædicantur. Talia media sunt tepor intra calorem & frigus; Flavedo, aliique colores intra albedinem & nigredinem. Sic vinum dicitur frigidum & calidum juxta versiculum. *Frigidus & calidus calefio & reddo calorem.* Æthiops dicitur albus & niger. Paries albus & ater. Et huc pertinet quod *Aristotel.* ait, *l. Categ. c.* 5. Substantias esse susceptivas contrariorum. Præterea idem est bonus & malus.

13 *Objectione ex relatis.*

In *Relatis* sæpe contingit, ut idem sit pater & filius. Sicut habet ænigma de glacie: *Quæ me progenuit mater, mox gignitur ex me.* Hic primùm aqua est mater glaciei, in quantum glacies ex ea gignitur. Et tamen eadem aqua est etiam filia glaciei, quia vicissim ea aqua gignitur ex glacie. Unde vice versâ etiam glacies est filia, & pater: sive mater respectu ejusdem nempe aquæ.

14 *Objectiones ex contradicentibus.*

In *Contradicentibus* idem est; Ens & non Ens sunt contradicentia. Et tamen de eodem enunciantur, veluti de Ente in potentia, de privationibus, de materia, de accidente. Idque passim apud Philosophos. Sic generare & non generare contradicentia sunt, & tamen *Scal. l. 1. de plant. p. 78.* ait: Purpuras generare, & non generare.

15 *Objectiones*

In *Privantibus* sunt hæc exempla. Apostoli dicuntur pauperes, & tamen omnia possidentes, h. e. divites. Sic & concionator

cionatur Smyrnæus dicitur habere paupertatem & esse dives *Apoc.* 2. *v.* 9. Crepusculum est dimidiata nox, & dimidiatus dies. Umbra est ex parte lumen & ex parte tenebræ. Et sic in aliis. *ex prædictis.*

Ad dissolvenda ista sciendum est: Cum opposita h. e. Contraria dicuntur non posse eidem attribui, non fieri id illimitatè, sed intelligi cum hac conditione, quòd scilicet opposita non possint eidem attribui *secundum idem*, h. e. secundum eandem partem, & *ad idem*, h. e. ad eundem respectum, & *eodem tempore*. Estque, ut id obiter hic dicam, illa identitas temporis non intelligenda confusè, ut scilicet eodem tempore sit idem quod in futuro, vel etiam præterito. Nam & futurum & præteritum tum includunt diversa momenta, unde in futuro & in præterito eadem res potest suscipere cõtraria propter diversitatem momentorum. Atque sic identitas temporis tunc intelligitur distinctè de momento: Atque adeò opposita non possunt eidem attribui eodem tempore h. e. momento, neq; in præsenti momento, neq; in futuro momento, aut in præterito momento. 16 *Præcognita.*

Addo his tribus conditionibus *quartam*, quòd contraria nunc intelligi debeant *in excellentibus gradibus*, non in remissis. Nam sicut *Melanchth.* ait, *lib.* 4. *Dial p.* 221. In gradibus remissis contrariæ qualitates simul esse possunt, ut inferiùs pleniùs tractabo. 17

Quintò addendum est, quòd isti termini contrarii debeant intelligi sine ambiguitate, adeóque esse verè contrarii, Ambigutas enim terminorum tollit contrarietatem. Harum conditionum applicatio mox erit manifesta.

Ad primum *de Adversis* resp. Medium per participationem esse duplex, aliud differt solùm accidentaliter sive gradu ab extremis, quale quid est tepor inter calorem & frigus, Aliud differt specie ab extremis, quale quid sunt colores medii inter albedinem & nigridinem. Et hoc quidem vocatur medium per participationem, non quia participet ipsa extrema, sed quia habet conditiones, per quas utrique extremo assimilatur, ut *Scalig* docet *exerc.* 16. *s.* 3. *Zabar. de mistione cap.* 4. *Perer. lib.* 13. *Phys. cap.* 9. *q.* 8. In eo igitur, quod posteriori modo medium est, non sunt contraria; nec flavum v. g. est album & nigrum, sed solùm est simile albo & simile nigro. Quòd autem priori modo medium est, in eo sunt contraria; sed solùm in gradibus remissis. Contraria autem non possunt 18 *Solvuntur Objectiones.* *Medium per participationem duplex.*

19 *Vinum quo modo calidum & frigidum.*

sunt esse in eodem, *in gradibus excellentibus*, ut dictum.

Vinum dicitur frigidum & calidum, sed non intelligitur utrumque eodem modo. unde tollitur contrarietas. Est igitur frigidum formaliter, & propter inhærentem frigiditatem. Calidum vero est effectivè, non formaliter.

20

Æthiops est albus & ater, sed secundùm diversas partes. Albus dentes, Niger cæteroquin. At oppositа intelliguntur secundum idem non posse inesse. Paries est albus & ater, sed diversis temporibus. Atque sic etiam de diversis temporibus intelligendum est, quod *Aristot.* ait: Subiectum esse susceptivum contrariorum, ut docui *in introduct. Logic. cap. 6. n. 40. seqq.*

21 *Bonum & malum an & quomodo in eodem?*

Ad exemplum de homine bono & malo resp. *Aug. in Enchirid. cap. 14.* Et ex eo *Lombard. l. 2. d. 34.* hic deficere regulam Dialecticorum, quòd contraria non possint esse in eodem subjecto: sed meliùs dicitur bonum & malum cum de eodem dicuntur, non esse contraria. Igitur homo dicitur bonus loquendo de bonitate substantiæ, sive transcendentali. Et hæc nullum contrarium habet, ut est apud *Scalig. exerc. 307. sect. 27.* Atque sic omnis homo etiam pessimus, bonus est. Est autem malus loquendo de malitia morali. Et hæc habet contrarium. Unde qui sic malus (hoc est, vitiosus) ille non est bonus, hoc est, præditus virtute illi vitio oppositâ.

De *Relatis* respondeo: Pater & filius prædicantur de eodem, sed non ad idem, sed ad diversum, hoc est, sub diverso respectu. Æneas est pater & filius, filius Anchisæ, pater Ascanii. Georgius Princeps est filius & pater, filius Philippi, pater Ludovici, & sic in aliis.

23 *Glacies quo modo filia & mater?*

Ad *alterum* de glacie, quæ dicebatur & mater & filia ejusdem aquæ, respondendum est, esse id demum in diverso non eodem tempore, quo tempore glacies est aquæ mater, non est ejus filia, & contrà, & vicissim. Aliter dicendum est: si supponantur specie differre corpora imperfectè mista, (quale est glacies) ab Elementis, quòd glacies non sit, ut sic dicam, mater ejusdem glaciei ad numerum. Nam sic cum ex aqua fit glacies, desinit aqua, quia generatio unius est corruptio alterius, unde postea cum regignitur aqua per resolutionem glaciei, non potest redire eadem numero aqua. Nam quod semel morte deletum est, idem numero naturaliter redire nequit, ut ex *Aristot.* tradit *Zaber. de mistione cap. 10. de misti gen. lib. 2. cap. 16.*

c. 16 Scal ex. 307 f. 27, & 136. sect. 1. Unde sic, cùm dicitur de glacie. *Mater* (h. e. aqua) *me* (glaciem) *genuit, eadem mox gignitur ex me*, intelligenda est identitas non numeralis, sed specifica. Nihil autem absurdi est idem esse ejusdem speciei patrem & filium, esse patrem hominis & filium hominis. Nec id facit contra superius axioma. Intelligitur enim ibi identitas numeralis: Opposita non possunt eidem numero, inquam, attribui.

23 De *Contradicentibus* dico, ea prædicari de eodem non nisi cum æquivocatione terminorum, quæ ut anteà dixi, tollit contrarietatem. Ens in potentia, materia, & accidentia sunt Entia, quatenus Ens vocamus omne illud, quod veram & positivam essentiam habet, præcisâ omni operatione intellectûs. Non sunt Entia, quatenus Ens κατ' ἐξοχὴν intelligimus de eo, quod nobilissimo modo Ens est. Et idem est de generatione purpurarum. Eæ generant, quatenus generatio est productio rei similis in specie. Et tamen non generant, quia non generant adeò perfecto modo, sicut aliæ res animatæ.

Ens in potentia, materia, & accidens quomodo dicantur Ens & non Ens.

24 Privatio dicitur Ens, quatenus nomine Entium comprehendimus etiam Ens rationis, quale quid est privatio, cui intellectus tribuit Entitatem, dum non aliter attribuit eam rebus, ac si ens esset, unde etiam ad tales prædicationes usurpat verbum *est*: Aër *est* tenebrosus *Bartimæus est* cœcus, & sic in aliis. Est autem non Ens, quatenus sub Ente comprehendimus solùm Entia realia. Ita nec hic aliquid est contra superiorem Canonem, ut à nobis est expositus.

25 In *privantibus* eadem recurrit æquivocatio. Apostoli sunt pauperes bonis corporalibus, divites spiritu; Aut sunt pauperes, quia non abundant divitiis, & tamen sunt divites, quia habent quantum sufficit.

26 Crepusculum dicitur nox, non verè, sed per similitudinem, quia propter luminis imminutionem similis est nocti. Et sic umbra dicitur tenebræ, quia propter imminutionem luminis similis est tenebris. Unde nec hic propriè contraria de eodem dicuntur.

27 His ita constitutis dico *III. Opposita quatenus sunt opposita, & generaliter sumuntur, ut comprehendant disparata, & contraria, non inferunt repugnantiam ad coëxistendum in eodem subjecto sed solùm inferunt repugnantiam ad consentiendum mutuò.* Hoc non eget ulteriori deductione. Nam *posterius*

membrum hujus propositionis, quòd opposita inferant repugnantiam ad mutuum consensionam, patet ex superiùs expositâ definitione oppositorum. *Prius* membrum autem quòd non inferant repugnantiam coëxistendi in eodem subjecto, patuit de disparatis in hac quæstione ad primam propositionem. Porrò,

QUÆRITUR:

An opposita rectè dividantur in disparata & contraria?

28 Inprimis bonitas & adæquatio hujus divisionis patet clarissimè, quia fundata est in oppositione unius & multorum, quæ immediata est; Aut igitur, quod alii opponitur, ita illi opponitur ut æquè multis opponatur. Et sic disparata. Aut opponitur illi, ut uni solùm. Et sic sunt contraria, Neque fingi potest, quomodo debeat intervenire medium.

29 *Obiicitur* 1. Disparata non sunt dissentanea, neque enim ullibi de iis agit *Aristoteles* E. Nec sunt opposita. Et opposita malè dividuntur per disparata. *Respond.* Negando antecedens, & patebit seq: cap. ea verè esse dissentanea, adeóq; *Arist.* & *Aristotelicos* hac in parte dimittendos esse.

30 *II.* Opposita diuiduntur in Relata, Contraria, Privantia, & Contradictoria, apud *Aristot: l. Categ. c.* 10. 5. *Top.* 6. & 5. *Met cap.* 10. E. mala est nostra divisio. *Respond:* 1. Si per oppositionem intelligatur in genere quævis repugnantia terminorum, divisio ista *Aristotelis* est imperfecta propter omissionem disparatorum. 2. Possumus tamen ἐπεικῶς dicere. *Aristotelem* nunc sumere oppositionem specialiter, pro repugnantia, quæ solùm est inter duos terminos & à *Ramo* contrarietas dicitur. Nos autem latè sumimus oppositionem pro quavis quorumvis terminorum repugnantiâ

31 *III.* Videtur in nostra definitione omitti Relata, contradicentia, & privantia. Nam non comprehenduntur sub disparatis, quia horum unum æquè multis opponitur. At istorum unum solùm opponitur uni. Non etiam comprehenduntur sub contrariis. Nam contraria à relatis, contradicentibus, & privantibus distinguuntur, ut visum est in priori divisione *Aristotelis. Respond.* Comprehendi ista sub contrariis, quatenus contraria intelligimus non pro iis, quæ *Ciceroni* adversa dicuntur, sed quatenus contrarietas generaliter est oppositio unius ad unum.

CANONES.

CANONES.

I. *Opposita non possunt attribui secundùm idem, ad idem, & eodem tempore.* Hunc Canonem prioribus exposui. Unde nunc nihil addo. 32

II. *Quæcunque sunt opposita, illa impossibile est consentire.* Hoc sumitur ex definitione oppositorum. Ibi enim realiter differre dictum est esse idem, quod dissentire cum repugnantia ad consentiendum. 33

Obiicitur 1. Relata esse opposita & tamen ea posse consentire. Sunt, inquam, opposita. Nam v. g. pater non est filius, & tamen consentiunt etiam, Nam pater est qui habet filium. *Respond:* Opposita non possunt consentire, est nihil aliud, quàm ut à posteriori rem declarem, à terminis oppositis non posse in propositione eximi particulam negativam, manente veritate illius propositionis. Atque hoc etiam est in relatis. Nam hæc propositio. *Filius non est pater*, nunquam fieri potest consentanea illi, *filius est pater*. Cùm autem deventur ad aliquam terminorum obliquitatem, tum & termini relati, & alii oppositi facilè possunt consentire, ut de relatis in objectione inductum est, & idem patet in aliis, veluti ex disparatis est hæc: *Deus non est mundus.* Hæc in æternum non potest commutari in hanc: *Deus est mundus.* Sed tamen illorum terminorum obliquitate, potest intervenire consensio, veluti si dicam: *Deus creat mundum.* 34

2. *Obiicitur*: Deus & homo sunt opposita, indeque Deus non est homo. Et tamen iis non repugnat consentire, ut ostendit unio personalis divinitatis & humanitatis, propter hanc enim *Deus est homo.* Idemque esset in aliis, si ad unitatem personæ suæ assumeret Deus rem aliam, ut fieri posse aliqui Scholastici disputant. Sic etiam fabulosæ uniones rerum disparatorum, veluti hominis & tauri in Centauro, Leonis & Draconis in Chimæra, Hirci & Cervi in Trangelapho, faciunt nobis has propositiones. *Homo est Taurus, Leo est Draco, Hircus est Cervus*, & sic deinceps. Et tamen Homo & Taurus, &c. sunt termini oppositi. *Respond.* Deus, & homo, & cæteri termini fabulosarum unionum, vel sumuntur præcisè, hoc est, sine connotatione alterius, & tum sunt termini disparati, neque unquam possunt consentire. Id enim quod significatur voce Dei, nunquam significatur voce hominis, & quod significatur voce hominis nunquam significatur voce tauri, 35

& sic in aliis, & sic DEUS non est homo. Taurus non est Leo, omninò sicut Deitas non est humanitas, & ut sic dicam Tauritas non est leonitas. Unde in his terminis sic sumptis salvatur ratio oppositionis, & confirmatur adhuc canon superior. Aliter autem sumi possunt quasi concretivè, & unum cum connotatione alterius, veluti Deus cum connotatione personalitatis, in quo Deus & homo unum sunt, & sic in cæteris. Et hac significatione non sunt Deus & homo, &c. termini disparati, sicut nec in accidentalibus unionibus flavum & dulce disparata sunt, quia utrumque connotat commune subjectum, in quo est unio flavedinis & dulcedinis.

36 3. *Objicitur:* Homo & vulpes opposita sunt, & tamen iis non repugnat consentire, ut apparet de Herode qui homo est, & proinde quidam homo est vulpes. *Respondeo.* Oppositis repugnare consensionem in prædicatione propriâ non in figurata; Sic enim desinunt esse opposita. Nam in præsenti verbi gratiâ. vulpes, quæ opponitur homini, non intelligitur ut de *Herode* enunciatur pro animali quadrupede, sed intelligitur de astutia vulpina, quæ adjunctum est *Herodis*, non terminus oppositus; quatenus autem vulpes intelligitur substantialiter, pro animali quaduprede, tum omninò repugnat homini, ut sit vulpes.

37 *III. Si aliqua opposita sunt eadem etiam quæ opponuntur sunt eadem.* Ex *Aristot. 7. Top. cap. 1. §. 1.* Quemadmodum si justitia & fortitudo sunt idem, etiam justus & fortis, justè & fortiter sunt idem.

38 *IV. Opposita sunt simul naturâ.* Ita *Aristot. lib. 5. Topic:* Ἀνηκεῖ ἅμα ἅμα τῇ φύσει. Ex quo sequitur aliud *Aristotelicum*, quòd opposita sunt æquè nota. Est autem quod ad hanc rem pertinet, *c. 12. can. 2.*

39 *V. Quot modis dicitur Unum oppositorum, tot modis dicitur & alterum* Hoc exposui *in lib. nat. Log. c. 4. in comm. n.* 45. Unde peratur. Adde istis Dn. D. Meisnerum *in 2. part. Phil. Sob. s. t. q. 7.* Alii canones de oppositione axiomatica sunt, quos alibi videbimus.

Caput. XV.
De Disparatis

1. Opposita sunt Disparata vel contraria.

2. Disparata

2. Disparata sunt opposita, quorum unum multis pariter opponitur, *ut homo, arbor, lapis, asinus, linea, scientia, calor operatio, &c.*

COMMENTARIUS.

1. Notandum est aliquid ad divisionem oppositorum, quæ confirmatur bene fieri per disparata & contraria. Nam fit unum & multa inter quæ non datur medium. Ergò, Quicquid opponitur alii, vel opponitur ei ut uni, & sunt contraria; vel opponitur ei ut multis, & sunt disparata. Neque inter hæc dari potest medium, sicut neque inter unum & multa possunt aliqua moveri contra eam distributionem, sed nascuntur ferè omnia ex ambiguitate vocum, *disparatorum* & *contrariorum*, quæ si observentur, facilè solvuntur ea, quæ necti possunt argumenta. Ambiguitatem autem utriusque vocis suo loco ponemus. 1

Porrò ad illustrandam naturam disparatorum specialiter. 2

1. Notanda sunt exempla. Igitur disparata sunt. 1. Ea quæ sunt multæ species ejusdem generis, ut: Herba, arbor, frutex, suffrutex, &c. quæ sunt species plantæ. Item avis, piscis, quadrupes, reptile, quæ sunt species bestiæ. Aurum, argentum, cuprum, ferrum, stannum, &c. quæ sunt species metallorum, &c. *Exempla disparatorum.*

Deinde etiam exempla disparatorum sunt ea quæ ex distinctis generibus sumuntur, ut: homo, linea, virtus, calor, lapis, domus, &c. In his enim omnibus unum potest multis opponi pariter. 3

III. Etiam exempla disparatorum sunt, quæ sub nullo sunt genere, ut sunt privationes, aliaque. Ad rem. 4

3. Nunc sunt duo notanda de ipsa voce disparatorũ, nempe ejus notatio & ambiguitas. Igitur primò *disparata* dicuntur quasi *disseparata*, habent enim disparata disseparatas & repugnantes essentias, adeò ut unum disparatorum de alio enunciari non possit. Ex quibus apparet ex vi nominis disparata comprehendere etiam contraria, & proinde æquipollere oppositis vel repugnantibus, atque hinc per Synechdochen solùm coangustari ad significanda solùm ea opposita, quæ sunt ad multa. 5 *Unde dicuntur disparata.*

2. De ambiguitate ejus vocis sciendum, alios aliter accipere eam. *Keckermann: Systema Log. l. 1 p. 295.* Disparata vocat solùm species eas, quæ ex unius generis divisione ortæ 6

sunt. Sed alii Logici latiùs extendunt hanc vocem, ut ea quæ pariter multis opponuntur disparata dicant, sive unum genus dividant, sive multa.

Expositâ voce disparatorum, nunc illorum explicanda est definitio. Hic igitur primùm occurrit hæc quæstio.

An disparata sint Opposita?

Hæc quæstio ex duplici principio disputari potest. altero, quasi disparata non sint Dissentanea, vel alioquin etiam locus Dialecticus, prout quidem *Aristoteles* nunquam de iis tractat; Unde consequens est, quòd nec sint opposita. Nam opposita sunt dissentanea, atque adeò locus specie distinctus à disparatis, prout distinguunt plurimi *Aristotelici*.

8 *Disparata sunt argumentum Logicum.*

Hac in re tres statuo propositiones. 1. *Disparata verè sunt locus Dialecticus.* Ita patet. 1. quia fiunt axiomata ex disparatis. Veluti Arbor non est lapis, color non est virtus. At non sunt materia axiomatis nisi loci Dialectici. 2. Quia argumentantur ex disparatis: Veluti scientia est habitus. E. non est figura: sequitur per regulam à disparatis sumptam. Posito uno disparato removentur cætera. Vide *Melanch. lib* 4. *Dial. pag.* 362. At materia Syllogismi non sumitur nisi ex locis Dialecticis.

9 *Aristotelis imperfectio*

Ex hoc sequitur *Aristotelem* propter omissionem loci illius imperfectum esse. Atque hinc quia secundùm *Aristot.* 1. *Top. cap.* 3 Is demum perfectâ habet Dialecticam scientiam, qui nihil eorum præmittit, quæ adhiberi possunt, idcircò Logici alii rectè hunc Locum addiderunt.

10 *Instantia.*

Unum *objici* potest: Videri istas argumentationes desumi à specie, sicut *Melanch.* ait, Positâ unâ *specie* removentur omnes disparatæ. At Entia non sunt multiplicanda sine necessitate. *Respondr* Malè istas argumentationes desumi à specie. Nam speciei nulla est relatio ad speciem, sed ad genus. Unde Solæcismus est, dicere, esse in aliqua propositione dispositam speciem cum specie, aut aliquam argumentationem procedere à specie ad speciem, sicut in simili non potest dici aliquam propositionem constare ex causa & causa, subjecto & subjecto, adjuncto & adjuncto, cum non ista ad ista, sed ad effectum, ad adjunctum, ad subjectum habeant relationes. Ex quo sequitur, in talibus argumentationibus accidentale esse, quòd à specie ad speciem arguimus propter dictam causam, quia species quâ species est, ad speciem relationem nullam habent, vim autem argumentationis fundatam

esse

esse adæquatè in disparatione. Disparatorum autem unum habet χάτιν arguendi ad alterum. 11

II. *Disparata sunt opposita.* Hac in re varietas est Doctorum. Aliqui enim oppositа contradistinguunt à disparatis, quibus oppositа idem sunt, quod *Ciceroni* & *Ramo* contraria: Alii autem ea comprehendunt sub oppositis, quibus oppositа sunt omnia, quæ repugnantiam habent consensionis. Unde sic solùm est ambiguitas in voce oppositorum, quæ ut latè vel strictè sumitur, includit, vel excludit disparata. Solùm dicendum est bonam esse acceptionem vocis oppositorum, si comprehendat disparata. Nam ex vi vocabuli oppositio sonat repugnantiam, quæ in disparatis non minùs est, ac est in contrariis. Nunc porrò quæritur.

An rectè definiantur disparata, quòd sint duæ pluréve species oppositæ?

Prior quæstio expositit & defendit nobis genus disparatorum, nunc inquirenda est eorum forma. Igitur *Melanch. lib 4. Dial. p. 330.* Disparata, *inquit*, vocantur duæ species diversæ, quæ etsi non habeant inter se contrariam actionem, tamen in unam rem confundi non possunt, ut homo & asinus. Definitionem eam ferè sequitur *Keckerm. lib. 4. Syst: Log. p. 295.* Disparatio, *inquit*, est oppositio specierum ex unius generis per oppositas differentias divisione ortarum. Et subjungit in scholio, quòd hunc aphorismum intelligat de speciebus ex genere proximo oppositis: hic, & *Melanchthon*, & *Keckermannus* dicunt, Disparationem esse oppositionem specierum, sed tamen, ut obiter dicam differunt in duobus. Primò *Melanchthon* dicit de *duabus* speciebus. *Keckermannus* autem loquitur indeterminatè, atque adeò insinuat etiam disparatas esse species, cùm species sunt duabus plures. Rursus *Keckermannus* determinat illam oppositionem ad species divisas ex uno aliquo genere proximo, quâ in parte indeterminatè loquitur *Melanchthon*, & proinde insinuat etiam disparatas esse eas species, quæ sunt sub eodem genere remoto. 12

Differens doctrina Melanchthonis & Keckermanni.

Censeo hac in re 1. Malè coangustari disparata ad duas species. 2. Malè coangustari ad species ejusdem generis proximi. 3. Et in summa malè definiri per oppositionem specierum, sive duæ sint, sive plures, sive generis proximi intelligantur, sive remoti. 13

Sententia Autoris.

Vera esse ista apparet. 1. Quia etiam contraria aliquando 14

ſunt,quæ ſunt ſpecies ejuſdem generis diviſione ortæ, ſicut *Ariſtotcles* & *Cicero* ajunt,contraria *ſub eodem genere* maximè diſtare. Et patet de virtute & vitio,quæ contraria ſunt, & tamen ſunt ſpecies ejuſdem generis proximi, videlicet habitûs, ſicut *Ariſt.* ait. 7 *Phy.* 1,71. ἕξεων αἱ μὲν ἀρεταὶ αἱ δὲ κακίαι *Habituum alii quidem ſunt virtutes, alii vitia, & ſic* in aliis. Deinde multa ſunt diſparata quæ non ſunt ſpecies, Ut ſunt 1.privationes, quæ cùm ſint non Entia,ſpecies certè eſſe non poſſunt. At iſta tamen ſunt diſparatæ,non ſolùm inter ſe,ſed etiam cum aliis conferendo Ergò diſparata ſunt, ſurditas,paupertas,nuditas,cœcitas, taciturnitas,lapis,aſinus, &c 2. Ea,quæ ſunt primò diverſa. Ea enim in nullo genere conveniunt,ut *Ariſtot.* ea definit *lib.*10.*Met c.*12. Unde nec ſunt ſpecies ejuſdem generis. Et tamen poſſunt diſparari etiam iſta. Talia ſunt Deus & materia prima. Item ſumma genera,veluti ſubſtantia,quantitas, qualitas, &c. Item ipſæ differentiæ, veluti eſſe ſenſitivum, vegetativum & rationale. Hæc autem non niſi ſatis impropriè dicuntur ſpecies. Proinde miſſâ iſtâ definitione explicamus noſtram.

Diſparata ſunt etiam ea,quæ non ſunt ſpecies.

Exponitur propria definitio.

15 *Diſparata* igitur à nobis definiuntur *Oppoſita, quorum unum multis pariter opponitur* Cui ſimilis eſt definitio *Auguſtini Hunnæi.lib.*5. *Log.*322. *Diſparata*, inquit, *dicuntur voces ſic repugnantes,ut ſingulæ cum aliis quoque ſimilem habere repugnantiam inveniantur*, ut ſunt homo equus,lapis, planta. Cæterùm in hac noſtra definitione diſparatorum tria ſunt declaranda.

16 1.Quòd dicitur unum *Multis.*2.vox *Pariter.*3.vox *Opponitur.* Quantum ad primum diſtinguuntur per eam vocem diſparata à contrariis. Contrariorum enim unum uni tantùm opponitur: Quod quomodo intelligendum, infra pleniùs dicemus ad definitionem contrariorum,2. Vox *Pariter*,inprimis idem ſignificat,quod eodem oppoſitionis genere.Nam etſi contrariorum unum multis opponatur, tamen hoc non ſit pariter,id eſt illo oppoſitionis genere, quo opponitur ſuo contrario.Exempli gratiâ: Virtus & vitium contraria ſunt, hic enim unum uni tantùm opponitur,nec illo oppoſitionis genere ullum eorú aliis opponi poteſt Virtus opponitur non virtuti, ſed tum non ſunt ampliùs adverſa, ſed eſt aliud oppoſitionis genus. Sunt enim contradicentia. Item virtus opponitur calori,ſed tum iterum non ſunt ampliùs adverſa,

Quid Pariter?

ſed

sed est aliud oppositionis genus. Sunt enim disparata. Hoc igitur solùm disparatis convenit, ut unum eorum opponatur multis, manente ad omnia ea eodem genere oppositionis. Homo opponitur lapidi, & disparata sunt. Idem opponitur plantæ, &. adhuc disparata sunt. Idem opponitur lineæ, risibilitati, & aliis Entibus, & adhuc disparatur ad omnia ea. Atque hoc ipsum significatur per vocem *Pariter.*

Quantum ad tertium: *Opponitur* hoc loco sumitur pro 17
opponi potest. Verba enim actûs in definitionibus intelliguntur de potentia. Igitur disparata sunt, quorum unum multis pariter opponitur, vel si actu opponitur uni tantùm, pluribus tamen pariter opponi potest.

Ex his hoc infertur: si aliquid unum multis quidem op- 18
ponatur, sed tamen non pariter, quòd non sit ad ista omnia disparatum. Veluti: scientia opponitur insciti&, & etiam fortitudini, sed id non est pariter. Magis enim opponitur insciti&, nempe per contrarietatem, minùs autem fortitudini opponitur. Hoc enim opponitur sic, ut pariter aliis opponi possit, nempe temperanti&, liberalitati, &c. Ergò hujus respectu disparatum est.

CANONES.

1. *Disparata non possunt eidem tribui, sed si tribuatur u-* 19
num negatur alterum; veluti *Ramus* loquitur, *ex affirmato uno negatur alterum.* Non est sensus hujus propositionis, quasi, quæ disparata sunt, non possint eidem, tanquam subjecto, tribui. Nam in priori capite ostensum est, eas disparatas posse esse in eodem subjecto. Unde non sequitur: In isto homine est temperantia. Ergò in eo non est fortitudo. Etsi temperantia & fortitudo sint disparata. Sensus autem propositionis illius est, quòd disparata non possunt prædicari de eodem in prædicatione essentiali. Veluti non potest eadem res esse Grammatica, & Dialectica. Non potest eadem res esse fortitudo, & temperantia. Atque adeò hinc rectè infertur: Hæc res est temperantia Ergò non est fortitudo. Sed hac de re in doctrina Syllogistica erunt plura. Doctissimus Regius *disp: Log: problem.* 10. *de repugnantibus* rectè ait: *De qua dicitur unum disparatorum*, abstractivè *ab illo removetur reliquum.* Abstractivè, *inquit*, siquidem ex nominibus substantivis, non adjectivis ex loco disparatorum fiunt argu-

argumentationes. Non possum dicere: *Petrus* est Grammaticus. Ergò non est dialecticus. At rectè: Hæc ars est Grammatica. Ergò non est Dialectica. Et sic in aliis. Ad exemplum de Christo, de quo affirmatur, quòd sit Deus & homo, quid responsum sit, vide *sup. c. can.* 11.

20 *II. Disparatorum uno negato non necessariò affirmatur alterum.* Ita non necesse est, si aliqua res non sit linea, quòd sit scientia. Non necesse est, si aliqua res non sit homo, quòd sit lapis. Nihilominùs advertendum, si disparata intelligantur sub peculiari aliquo genere, tum uno illius generis negato affirmari aliud *confuse* saltem. Veluti: si hoc metallum non est aurum, necesse est (non, ut sit argentum, sed) ut sit argentum, vel cuprum, vel stannum, vel Orichalcum, &c. Et rursus, si illa disparata intelligantur sub determinato genere, tũ negatis omnibus, excepto uno, illud unum necesse est affirmari. Veluti, si hæc res animata non est homo, vel bestia necesse est esse plantam.

CAPVT XVI.

De Contrariis in genere.

1. Fuit prima species oppositorum in disparatis, sequitur altera de contrariis.

2. Contraria sunt opposita, quorum unum uni tantùm opponitur.

3. Súntque affirmantia, vel negantia,

4. Affirmantia sunt, quorum utrúmque affirmat, ut: *Relata; Adversa.*

5. Negantia sunt, quorum alterum negat: ut, *contradicentia, privantia.*

6. Quatuor igitur sunt contrariorum genera: *Relativè opposita. adversa, contradicentia, & privantia.*

COMMENTARIUS.

I. De voce Contrariorum.

1 Hujus vocis valdè multæ sunt significationes: 1 Contrarium appellatur omne illud, quod non est idem. Sic *Aristot. 2. de anima*, dicit, quicquid est alimentum debere esse rei nutriendæ contrarium, hoc est, dissimile à substantia rei nutriendæ, ut scilicet concoctionem subire possit. 2. Aliter accipitur hæc vox pro iis, quæ sunt invicem activa & passiva

&

& sic, ut *Aristoteles* definivit *lib.* 10. *Metaph. c.* 4. Ignis & aqua dicantur contraria. Atque hæc significatio est etiam physica, ut videre est apud *Suarez disp* 45. *Metaph.* conferenda *sect.* 2. *num.* 2 *cum n.* 8. *sect.* 3. Ergò patet. Nam physicæ proprium est, agere de actione quâ unum agit in aliud, illud corrumpendo. Aliquando contraria dicuntur ea, quæcunque habent distantiam ad invicem, hoc modo *Aristoteles* dicit: Omnem motum esse inter contraria. Unde sequitur etiam quantitatem parvam, & quantitatem magnam contraria esse (nam inter hos terminos est etiam motus, augumentationis scilicet, & diminutionis.) Item inter locum inferiorem, & superiorem, anteriorem, posteriorem, dextrum & sinistrum, est motus, localis nempe, ideòque & isti termini contrarii sunt, qui tamen non habent contrarietatem (fatente *Aristot.* cùm quantitati dicit nihil esse contrarium, *lib. Categ: cap.* 6.) nisi contrarietas sumatur pro terminorum distantia. 4. In Ethicis contraria dicuntur, quæ ad invicem hostilitatem & inimicitiam habent, sic inimicus, ut Paris, est contrarius, (verbi gratiâ) *Menelao*. Hoc sensu intelligitur, cùm quæritur: *An Philosophia & Theologia sint contraria.* 5. In Philosophia *Aristotelica* contraria sunt idem, quod adversa; veluti cùm *Aristoteles lib. Categ: cap.* 10. *& lib.* 5. *Metaph. cap.* 10. dicit Opposita esse vel relativè opposita, vel contraria, &c. Ibi *Aristoteles* contraria vocat, quæ *Cicero* & *Ramus* adversa nominant. Quanquam. 6. *Aristoteles* etiam vocem *contrariorum* aliquando usurpat de privantibus. Sic *Aristoteles lib. de somn. & vigil. cap.* 1. probat, somnum & vigiliam non posse simul convenire animali, per hanc regulam, quia contraria non possint simul inesse. Ergò *Aristotcli* somnus & vigilia sunt contraria. Et tamen sunt privantia. Sic etiam 1. *Phys. cap.* 6. *t.* 50. dicit, principia rerum naturalium debere esse contraria. Intelligitque per illa principia formam & privationem, quæ tamen non sunt contraria adversa, quia alteruter terminus negat. Et disertè dicit *Colleg: Conimbr: lib* 5. *Phis. c.* 2 *qu.* 1 *art.* 3. quòd *Aristoteles* ibi accipiat contraria sic, ut comprehendat privantia. 7. Ab his omnibus significationibus distincta est significatio contrariorum in Logicis. Hic igitur contraria dicuntur omnes ii termini, qui ita opponuntur aliis, ut illo oppositionis genere uni, non pluribus opponuntur.

Ex his patet, quàm differenter vox *contrariorum* sumatur 2

à *Ramo*

à *Ramo* & *Aristotele*. Quæ *Ramus* contraria vocat, *Aristoteles* dicit oppositа; & quæ *Aristoteli* vocantur contraria, *Ramo* dicuntur adversa, quod quidem ad intelligendum sermonem utriusque sectæ notandum.

II. *Definitione contrariorum.*

Hic quæritur:

An benè definiantur contraria, quorum unum uni tantùm opponitur?

§ Inprimis supponendum, quòd tradamus definitionem contrariorum latè dictorum. Igitur istis verbis describitur distinctio contrariorum à disparatis. Disparatorum unum multis illo oppositionis genere opponitur. At unum contrariorum in ea specie oppositionis, quâ alteri contrario contrariatur, non opponitur pluribus, sed uni tantùm. Dico *in illo oppositionis genere.* Nam unum contrariorum etiam pluribus opponitur, si fiat transitus ad aliud oppositionis genus, veluti servus opponitur domino & libero, & non servo, & parieti, &c. Dicimus enim servus non est dominus, servus non est liber, servus non est non servus, servus non est paries, sed in omnibus illis non est idem oppositionis genus. Nam in prima est oppositio relativa. In secundo adversorum. In tertio contradicentium. In quarto disparatorum. Sumitur autem ista definitio ex *Aristotele* 10. *Metaph. c.* 4. φανερὸν, ὅτι οὐκ ἐνδέχεται ἑνὶ πλείω ἐναντία εἶναι. *Manifestum, quòd non contingit uni plura contraria esse.* Etsi autem loquatur *Aristoteles* ibi de contrariis specialiter dictis, de iis scilicet, quæ nos ex *Cicerone adversa* dicimus, tamen non incommodè potest ista conditio ampliari ad omnia, quæ *Aristoteles* opposita, nos contraria dicimus.

§ Solent aliqua hîc objici, quæ sunt discutienda. 1. Non videtur in contrariis unum uni tantùm opponi. Nam unus pater opponitur multis filiis, unus Magistratus multis subditis. 2. Una virtus non opponitur solùm vitio in genere, sed etiam vitiis in specie, ut liberalitas, prodigalitas, & avaritia. 3. Secundùm *Aristotelem*: Interitus non opponitur solùm generationi, sed etiam Interitui. 4. Lux opponitur non solùm tenebris, sed etiam umbræ.

§ Respondeo, Ad singula. 1. In oppositione relativâ, unum uni tantùm opponitur, hoc est, relatum correlato, ubi tamen nihil obstat sub alterutro plura comprehendi parens relativè opponitur

opponitur liberis, hic unum uni tantùm opponitur, relatum correlato, & tamen ſub relato multa comprehenduntur, nempe pater & mater, liberi etiam ſimiliter multi eſſe poſſunt. Atque inde rectè dicitur, in contrariis unum uni opponi; intelligendo non unitatem numeralem, ſed genericam ſaltem. Sic ſubjectum & accidens contraria ſunt, adeòque unum uni opponitur, etſi plura comprehendantur ſub accidente.

Ad 2. vide reſponſionem *in axiom. 2. de contrariis.*

Ad 3. Verè interitus contrariatur generationi. Quòd autem *Ariſtoteles* dicit etiam: *Interitum interitui contrarium*, id *Ariſtoteles* ipſe explicat, quòd intelligat de interitu, quatenus *moleſtus* eſt interitus. Tunc autem variatur oppoſitionis genus. Fit enim tranſitus ex privantibus ad adverſa, vel rectiùs, variantur res oppoſitæ, hoc eſt, Interitus, & moleſtus ac ſuavis interitus. Nam aliud eſt interitus, & aliud ſuavitas & moleſtia in interitu. 6

Ad 4. Negandum eſt lucem opponi umbræ, nam umbra ſolùm eſt imminutio lucis, differtque à luce non aliter ac calor à calore parvo. Inter hæc autem nulla eſt oppoſitio. 7

Vox *opponitur* in definitione contrariorum, intelligenda eſt ſecundùm communem regulam: *Verba in definitionibus non actum, ſed potentiam ſignificare.* Senſúſque eſt: contrariorum unum uni tantùm opponitur, hoc eſt, opponi poteſt. Nam ſi illo oppoſitionis genere opponi poſſit pluribus, terminus diſparatus eſt, non contrarius. 8 *Opponitur quid ſit in definitione contrariorum.*

III De Diviſione contrariorum.

Igitur contraria dividuntur in affirmantia & negantia. Ad intelligentiam hujus diviſionis prænotandum: Affirmationem & negationem eſſe duplicem: Alia eſt axiomatica, ubi affirmatione termini conjunguntur, negatione autem termini divelluntur, per particulam *non* copulæ præpoſitam. Hæc igitur negatio axiomatica convenit omnibus diſſentaneis. Diſſentanea enim omnia diſponuntur negando. Deinde alia eſt affirmatio & negatio terminorum ſimplicium, & tunc affirmatio eſt, quando terminus aliquis ſimplex indicat rem poſitivam, ut *homo, lapis, domus.* Termini negantes ſunt, qui verè non indicant rem aliquam poſitivam, ſed indicant non eſſe aliquam poſitivam rem, ut *non homo, non lapis, non domus; Cæcitas, nuditas, paupertas.* His enim omnibus ſignificatur non eſſe. 9 *Affirmatio & negatio duplex.*

Deinde adhuc ulteriùs notandum eſt: negationem terminorum 10

Affirmatio & negatio terminorum duplex.

norum adhuc duplicem esse: Alia est infinita (quæ vocatur maligans & contradictoria) illa est ista, quæ termino positivo complicatur, ut: *non doctus non homo.* Alia verò est negatio privativa, quæ non exprimitur per particulam *NON*, sed unicâ voce, quâ significatur non esse habit: s oppositi, ut *cæcitas*, quæ significat non esse visûs, tenebræ non esse lucis. Igitur contraria aliqua sunt *negantia*, quando videlicet alter terminus contrarius est, vel infinitâ negatione, vel privativa. Contraria *affirmantia* sunt, si horum neutrum sit, hoc est, si neuter terminus neget vel infinitè, vel privativè. Dicam in summa.

Exponitur divisio contrariorum in affirmantia & negantia.

Termini, qui sibi contrariantur, vel sunt utrinque positivi, vel non, Si illud; Sunt contraria affirmantia. Si hoc, sunt contraria negantia. Porrò illi positivi termini vel sunt absoluti, vel respectivi. Si absoluti sunt adversa. Si respectivi sunt relata. Rursus in negantibus contrariis, vel terminus negans negat infinitè, vel non. Si illud, sunt contradicentia, si hoc, sunt privantia.

11 *Sufficientia illius divisionis.*

12 Porrò ad intelligendam plenius hanc divisionem duo inquiri solent à Logicis *ad lib. Categ. c.* 10. & Metaphysicis *ad* 5. *Metaph. cap.* 10. quæ nunc tractanda sunt.

I. QUÆRITUR.

An ista divisio contrariorum (isti dicunt oppositorum) sit adæquata.

13 Igitur. 1. sub nomine oppositorum non videtur adæquata esse hæc divisio. Nam secundum *Aristot. lib. Categor. c.* 13. oppositâ dicuntur species quævis condivisæ, sicut ibi sub animali nominantur volatile, terrestre, & aquatile, quæ tamen sub neutro membro comprehenduntur.

14 2. Sicut est contrarietas *positiva ad positivum*, unde sunt relata & adversa, item *positivi ad negativum*, unde sunt contradicentia & privantia; ita etiam erit contrarietas *negativi ad negativum*, & in specie quidem, contrarietas privationis ad privationem, & infinitæ negationis ad infinitam negationem. Quid enim impedit: ut id non sit. Sic autem erunt non quatuor, sed sex genera contrariorum.

15 3. Sicut disparata sunt species infimæ, & non dividuntur porrò in alia genera disparatorum. Ita videbatur etiam citra necessitatem esse, contraria, quæ eum disparatis æqualiter nobis dividunt opposita, dividere in alia genera. Et confirmatur:

matur: quia quot modis dicitur unum oppositorum, tot modi dicitur & alterum, unde si quatuor sunt genera contrariorum, quatuor etiam erunt genera disparatorum. Aut vicissim; si unum est genus disparatorum, etiam unum erit genus contrariorum.

At quadrum attinet ad adæquationem hujus divisionis, satis ea ostensa est, tum in præcedentibus in hoc capite, tum etiam *in cap.* 13. *quæst.* 1. *art.* 2. unde nunc nihil addere necesse est. 16

Ad *primum* respondeo, non dividi ab *Aristotele* hac divisione oppolita in omni latitudine suâ, sed sumi nunc vocem hanc specialiter pro oppositis, quæ dicunt solùm repugnantiam ad unum, & à nobis contraria dicuntur. Alia igitur significatio & latior est, quâ *Aristoteles* utitur, cùm dicit, oppolita species ejusdem generis indiscriminatim, sive duæ, sive plures sint. Ea, inquam, secundum quam non æquipollentia sunt oppolita & contraria, sed secundùm quam oppolita sunt genus ad contraria & disparata. 17

Secundum solutum est suprà *citato cap.* 15. *quæst.* 2. *a.* ubi vide. 18

Ad *tertium* respondeo: Contraria subdividi, quia diversa ratio oppositionis sub singulis generibus invenitur, ut apparet inspicienti. At disparata omnia sunt sibi similia, & quoad speciem eodem modo affecta sunt, quia pugnant indeterminatè, & sine certa lege. Igitur ratio manifesta est, cur contraria non autem disparata subdividantur. Confer *Colleg. Conimbr. lib. Categ. cap.* 10. *q. un.* 2. Regula autem ista *Quot modis, &c.* impertinens est, quia loquitur de distinctione vocis. Nostra autem distinctio contrariorum est divisio realis, & 2. alioquin est Topica, & proinde contingens. 3. Adde quæ ad hanc regulam dixi *de nat. Log. cap.* 4. *in Comm. num.* 45. 19

III. Quæritur:

An divisio ista contrariorum univoca sit?

Hæc quæstio magis subtilis, quàm necessaria fortè est. Quia tamen Interpp. *Aristotelis* eam locis suprà citatis communiter tractare solent, placet de ea aliquid attingere. Igitur Boëthius & Philoponus existimat contraria esse aliquid univocum ad suas species. Vide eos *ad lib. Categ. cap.* 10. Alii autem, tùm ad istum locum, tùm ad 5. *Metaph. cap.* 10. Existimant esse divisionem analogi. *Sed* hoc etiam est differenter. 20

renter. Alii enim principalius analogatum volunt esse contradictionem, quam sententiam habet *Suarez disp. 45. sect. 1. num. 11.* probátque, quia *Aristoteles 10. Metaphys. cap. 7.* dicit, contradictionem esse oppositionem maximam. Et admittit *Suarez*, relata & contraria (adversa) participare contradictionis naturam, indéque in tantùm esse opposita, in quantum unum includit alterius negationem. Idem habet *Keckerm. System. Log. log. lib. 1. f 2. cap. ult. de contradictionib. Can. 1. & 4.* Alii tamen priùs analogatum censent esse contraria ea, quæ sunt intra terminos affirmantes, ut sunt adversa & relata, prout non obscurè etiam insinuant *D d. Conimbr. lib. Cap. 10. q. un. art. 2.*

Hac in re breviter respondeo. Inprimis quæstio nunc non est de oppositis, prout materialiter sumuntur, hoc est, de rebus, quæ dicuntur opponi, sed est sermo de oppositis sumptis formaliter, hoc est, de oppositis, ut sunt opposita. Sic igitur de oppositis optimè judicari potest ex ipsa oppositione, quæ est quasi formalitas oppositorum. Cæterùm oppositio est relatio inter terminos oppositos, quemadmodum inter alia omnia argumenta est relatio, quæ specialia nomina sortitur in diversis argumentis, ut dicatur disparatio, dissimilitudo, & sic deinceps. Porrò nunc supponendum est, quòd relatio rationis, & relatio realis non conveniant in genere univoco, sed solùm in analogo. Quia quicquid rationis est, id dicitur per attributionem ad id, quod reale est. His positis infero, oppositionem non posse esse aliquid univocum ad singulas suas species, quia oppositio, quæ est inter Ens, & negationem Entis (ut est in contradictione & privantibus) est solùm relatio rationis. Ea enim, quæ est inter duo positiva Entia est relatio realis, Prius patet. Nam relatio realis requirit etiam subjecta realia, in quibus fundatur, ut Doctores consentiunt. Negationes autem non sunt Entia realia. Ergo in negationibus non potest fundari relatio realis, adeóque nec oppositio, quæ cum alia oppositione, quæ intra terminos reales sit, sit ejusdem generis univoci.

21 Ex his sequitur: quòd contrarietas affirmativa sit principale analogatum, non autem contrarietas negativa, aut in specie contradictio. Nam contrarietas negativa non est, nisi relatio rationis, ut est ostensum. At relationi rationis non convenit per prius relatio, & per posterius relationi reali. Sed è contrario.

Objectio

Objectio *Suarez*, quòd scilicet contradictio sit principale analogatum, quia ipsa est maxima, facilè solvitur, si attendatur, quòd major minórve perfectio specierum nihil faciat ad analogiam. Alioquin enim homo esset principale analogatum animalis, quia homo est altera animalis species perfectior. Imò aliquando posterius analogatum perfectius, ut *Zabarella* ostendit *lib. de nat. scient. const. cap.* 10. docens, corporis naturalis posterius analogatum esse cœlum, quod tamen multò nobilis est aliis corporibus naturalibus, aliquibus saltem, ad quæ per prius dicitur corpus naturale. Neque confirmari potest illa analogia inde, quòd contradictio quasi virtualiter includatur in aliis oppositionibus. Nam in simili potentia intellectiva virtualiter includit potentiam sentiendi. Neque tamen propterea potentia cognoscitiva dicitur per prius de potentia intellectiva. 22

Aliæ generales quæstiones de contrariis moveri solent, sed eæ intelliguntur de contrariis *Aristotelicè* sumptis, pro iis scilicet quæ nos adversa dicimus. Eò igitur differimus eas. 23

CANONES.

1. *Contraria non sunt unum.* Habetur apud *Arist.* 1. *Phys. cap* 6 *t.* 50 ubi confirmat principia naturalia habere esse non unum, sed plura, quia ἐχ ἓν τὰ ἐναντία, quæ contraria non sunt unum. Sic & *lib. Categ. cap.* 6. §. 23. ἐν ἐναντία ἑαυτοῖς, *non sunt contraria ipsa sibiipsis.* Et patet. Contrarietas est repugnantia. At non repugnat idem sibi ipsi. Ergò nec est contrarium quid sibi ipsi. Repugnantia igitur ad minimum duo requirunt. 24

2. *Contrariorum si unum sit, alterum non est. Etsi unum non sit, alterum est.* Et *Arist.* 2. *Top. c.* 6 § 1. *Si probaverimus alterum ineſſe,* inquit *Aristoteles, probatum erit, reliquum non ineſſe, si verò probabimus non ineſſe, probatum erit reliquum ineſſe.* Ex quibus *Aristotelis* verbis intelligitur axioma, ut à nobis propositum est, intelligi de contrariis, non ut in mundo, sed ut in subjecto sunt. Neque enim si calor in mundo sit, sequitur non esse in eo frigus, & sic in aliis. Cæterùm regula *Aristotelis* Topica est, & de illatione unius ex denegatione alterius vera est, solùm de contrariis *immediatis,* quatenus ea *sub suo genere sumuntur.* Aliàs enim non sequitur. Hæc res non est nigra; Ergò est alba; quia fieri potest, ut non sit sub genere nigri vel albi, hoc est, ut non sit 25

colorata. Item cum albedo & nigredo admittant medium in genere coloris fieri poteſt: ut res ea nec ſit nigra nec alba, ſed flava, aut viridis aut cærulea. Sic autem benè ſequitur, hæc res eſt colorata aliquo colore extremo: Et non eſt alba: Ergò eſt nigra vel non nigra, Ergò eſt alba. Et ſic in aliis.

Repeti huc debent, quæ ſuprà dixi *cap.* 15.

3. Contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt.

26 Ita *Ariſtot. 3. Rhet. 2. & 17.* ita: παραλλήλα τὰναντία μάλιστα φαίνεται: Et, παράλληλα τὰναντία μᾶλλον γνωρίζεται. *Ramus* hanc conditionem ampliavit, & omnibus diſſentaneis atribuit. Inprimis tamen dixit hoc *Ariſtoteles* de contrariis (adverſis) quanquam ampliari non incommodè poſſit ad omnia oppoſita, vel ſaltem ad omnia contraria. Eſt autem ſenſus illius, quòd contraria, cùm conferuntur ad invicem illuſtrent ſe mutuò. Ita, qui ſcire vult, quid ſit calor, comparabit eum ad frigus, qui quid bellum, comparabit ad pacem, &c. Inprimis autem cognitio experimentalis unius contrarii valdè notificat contrarium alterum. Qui expertus eſt ægritudinem, valdè magnam viam habet ad ſciendum, quid ſit ſanitas, & ſic in cæteris.

4 Contraria non poſſunt eſſe in eodem ſubjecto.

27 Ita *Ariſt. lib. de ſomn. & vigil. cap.* 1. τῶν δ' ἀναντίων τὸ μὲν ἀνάγκη ὕστερον αἰεὶ παρεῖναι τὸ δ' ὑπάρχειν. *Alterum contrariorum neceſſe eſt adeſſe, alterum non.* Hic *Ariſtoteles* ut ſuperiùs dixi, vocem *contrariorum* latè ſumit, non pro contrariis adverſis ſolùm, ſed etiam ſic, ut comprehendat privativa. Probat enim hinc ſomnum & vigiliam non poſſe alicui rei ſimul convenire. Et tamen iſta ſunt privantia. Idem dicit *2. Topic. cap* 7. § 12. ἀδύνατον τὰναντία ἅμα τῷ αὐτῷ ὑπάρχειν. Et 10. *Metaph: cap.* 5. ait: Id convenire ſolis oppoſitis (nos dicimus contrariis) τὰ ἀντικείμενα μόνα ἐν ἕξει ἅμα ὑπάρχειν. Intelligitur ſatis clarè per ea, quæ dixi ad ſecundum Canonem hujus capitis, & ſuprà *cap.* 15. *n. ſeq* de ſingulis generibus contrariorum.

5. Contrariorum contraria eſt conſequentia.

18 Ita *Cicero, l. 5: Tuſcul.* ſimileque habet adhuc *Ariſtot. l.* 4. *Top. c.* 4. §. 5. εἰ τὸ ἀντικείμενον ἐν τῷ ἀντικειμένῳ, καὶ τὸ ἐναντίον ἐν τῷ ἐναντίῳ, hoc eſt, ſi oppoſitum eſt in oppoſito, propoſitum eſt in propoſito. Ad explicationem tenendum eſt: 1. In quali genere contrariorum ſunt contraria priora, in tali genere

genere inprimis esse debere contraria posteriora, sive consequentia. Ergò contrariorum adversorum, sunt contraria adversa consequentia: Contrariorum privantium sunt consequentia contraria privantia: relativorum relativa: contradicentium contradicentia. Ergò sequitur ex hac propositione: Albedo visum disgregat. Ergò nigredo visum congregat, &c. Item. Visus est sensus. Ergò cœcitas est carentia visûs. Item: Pater est qui habet filium. Ergò filius est, qui habet patrem. Item: in terminis contradicentibus: Pater habet filium. Ergò non pater non habet filium, &c.

II. Contraria ad quæ consequantur alia contraria debent esse paria, ut notavit *Melanchth l. 4. Dial.* de contrario sensu. Nam, verbi gratiâ, ad colorem intensum, & frigus remissum non sunt contraria consequentia. Et per hoc non sequitur: Mala opera damnant. Ergò bona opera justificant. Non enim sunt paria bona opera, & mala opera. Hæc enim sunt perfectè mala; illa autem sunt imperfectè bona. 29

III. Prior propositio talis discursûs contrario sensu debet esse reciproca & convertibilis, hoc est, debet in ea prædicari proprium, vel differentia, vel tota definitio. Si enim propositio prior non sit reciproca, sæpè infirma est illatio. Ergò non valet illa regula: 1. Cùm in priori propositione genus prædicatur. Veluti: Calor est qualitas Ergò frigus non est qualitas 2. Cùm prædicatur accidens commune. Ita non sequitur: homo habet facultatem sensitivam. Ergò Bestia non habet facultatem sensitivam, & sic in cæteris. Valet autem optimè: Homò est risibilis. Ergò Bestia non est risibilis. Item: homo est rationalis. Ergò Bestia non est rationalis. Item in integrâ definitione: Homo est animal rationale. Ergò bestia non est animal rationale. Hæc tamen regula magis Critica, quàm Topica est. 30

Alii Canones multi sunt de contrariis, sed intelliguntur de contrariis *Aristotelico* sensu, hoc est, de adversis. Igitur ad adversa eos rejicimus. 31

CAPUT. XVII.

De prima specie contrariorum, sive de adversis.

1. *Adversa* sunt contraria affirmantia, quæ sibi è regione absolutè opponuntur.

2. Hæc sunt vulgò mediata vel immediata.

3, Mediata sunt, inter quæ datur aliquod medium.
4. Immediata, quæ carent omni medio.

COMMENTARIUS.

1 Exempla priùs hic nota sunto. Adversa igitur sunt virtus & vitium, Frigus & calor; Voluptas & tristitia; Homo & bestia; Rationale & irrationale. Hæc enim omnia è regione absolutè adversantur.

2 *Nomen adversorum.* De nomine adversorum nihil notandum, quàm quòd ea contraria dicantur ab *Aristotele*, & *Aristotelicis*, quæ à *Ramo* dicuntur adversa ut superiori capite dictum est.

3 *Eorum definitio.* Definitionem quod attinet, ea tota sumitur ex *Cic. in Top.* Similem habet *Galenus de opt. sect.* Ἐναντία ὅτι τὰ κατὰ τὸ αὐτὸ γένος πλεῖστον ἀλλήλων ἀφεστῶτα.

4 *Eorum genus.* Genus adversorum est, quòd sunt *contraria affirmantia.* Sunt contraria, quia adversorum unum uni solùm adversatur. Affirmantia autem, quia uterque terminus adversus est positivus.

5 Differentia adversorum est: *quòd è regione sibi absolutè opponuntur.* E regione est idem, quod sub eodem genere. Species enim è regione quasi opponuntur sibi, in quantum à genere aliquo communi emergunt. Atque hoc modo dixit *Aristot.* contraria sub eodem genere distare, *lib.* 10. *Metaph. cap.* 4.

6 *Absolutè*; Hæc vox ponitur ad distinguenda adversa è relatis. Relata enim etiam sæpè conveniunt in aliqua genere, ideóque opponuntur sibi, è regione, sed hoc fit non absolutè sed cum respectu & mutuâ affectione, quæ est inter relatum & correlatum. *Ramus* hic habet vocem *perpetuò*, sed non malè *Vounamus* eam correxit, & substituit vocem *absolutè*.

7 Denique dicuntur *opponi* è regione; Dissentit enim unum adversorum ad alio per repugnantiam ad consentiendum. Quæcunque autem sic dissentiunt, ut repugnet iis consentire, & de se affirmari, opposita sunt. *Aristotelici* hic solent usurpare verbum *expeller*; Adversa sunt, quæ è regione se quasi *expellunt*, indéque contraria, hoc est, adversa dicuntur naturæ *pellentis.* Ad hæc observandum est, expulsionem esse duplicem. Alia est expulsio effectiva, quo modo uum expellit aliud per vim & actionem suam. Sic calor expellit frigus, agendo in frigus. Alia expulsio formalis est. Expellere autem dicitur aliquid formaliter, non in quantum agit in id, quod expellitur,

Adversa quomodo se expellant.
Expulsio Duplex.

expellitur, sed in quantum ex sua præsentia & informatione, in subjecto ponit impossibilitatem ad præsentiam ejus, quod expellitur; sic albedo expellit nigredinem, voluptas tristitiam, & tamen nec albedo agit in nigredinem nec voluptas in tristitiam, sed solùm nigredo existens in aliquo subjecto, & illud (accidentaliter) informans, ponit in eo subjecto impossibilitatem, ut ibi sit albedo, & sic de aliis. Ex hic dicendum est, adversa se mutuò expellere, si non per expulsionem effectivam saltem per formalem.

8 *Adversa mediata, vel immediata.*

Porrò proponitur divisio adversorum in mediata & immediata. Et si autem medium etiam nominari solent, ad alia contraria; tamen specialiter in contrariis adversis usurpari solet. Estque ejus rei causa, ut opinor, hæc, quòd omnis generis medium reperiri potest in adversis. At in nullo contrariorum genere repetiri potest medium per communicationem. Neque etiam divisio ista generaliter proponi potest, cum contradictioni repugnet omne medium. At quod generi convenit, omnibus convenit speciebus. Hic igitur eam divisionem commodè explico.

9 *Medium duplex.*

Inprimis autem observandum est, medium in oppositione duplex esse, ut *Zabarella* tradit, 1. *post. c.* 13. *fol* 670. Aliud est medium per abnegationom extremorum, aliud est medium per participationem extremorum Igitur medium per abnegationem est, de quo negantur extrema, sic inter frigus & calorem est medium per negationem, nempe siccitas: siccitas enim nec est calor, nec est frigus. Arbor est medium inter eminem & bestiam: Arbor enim non est homo, nec bestia. Medium autem per participationem est illud, quod participat naturam extremorum, seu in quo reperitur convenientia ad extremum utrumque, Sic medium per participationem inter calorem, & frigus est tepor: tepor enim habet aliquid de extremis, hoc est, habet aliquid caloris, & habet aliquid frigoris. Sic color cineraceus est medium quid inter albedinem & nigredinem, quia habet aliquid nigredinis, & habet etiam aliquid albedinis. Ex ihis evdens est divisio posita. Contraria enim mediata sunt, quæ habent medium per participationem, vel negationem. Immediata non habent vel utrumque, vel alterum.

Videatur de ea divisione *Aristot lib. Categ. c.* 10. §. 6. *seqq.* 10
Sed nunc videndum est.

Quibus rebus conveniat contrarietas?

11 Contrarietas, voce *Aristotelicâ*, est idem, quod (ut sic dicamus) adversitas. Igitur illi contrarietatem *primò* ponunt in solis qualitatibus. Alia enim Entia dicunt vel non esse contraria, vel esse contraria *secundariò* propter qualitates. Ergò primò contraria ipsis sunt calor & frigus; secundariò aqua & ignis propter calorem & frigus; secundariò etiam calefactio & frigefactio, quia termini eorum sunt calor & frigus. Hæc omnia habentur apud *Aristot. lib. Categ. cap.* 8. §. 23. ait, Contrarietatem esse in qualitate. Et *cap.* 5. §. 18. ait: Substantiis nihil esse contrarium. Item *cap.* 6. § 18. Quanto nihil est contrarium. Non autem dicimus & qualitati, & substantiæ & quantitati esse aliquid contrarium. Ac de qualitate quidem non est dubium. De substantia autem & quantitate videndum est.

I. An substantiæ possit aliquid esse contrarium?

12 Hujus rei explicationem huc remisi *ex introd. Log. cap.* 5. *num.* 30. & sententia quidem *Aristotelica* jam audita est. Sumitur autem vox *contrarium*, non, ut aliàs sumitur à nobis generaliter, sed specialiter, pro adversis. Ideóque sensus quæstionis est, an substantiæ sibi possint adversari, vel, an substantiis conveniat habere aliquid adversum. Et ita quidem, ut substantia substantiæ adversetur per se, non autem propter qualitatem. Neque enim *Aristoteles* negat, substantias sibi per accidens contrariari, hoc est, propter qualitates.

13 *Melanchthon. lib.* 1. *Dial. pag.* 33. istam proprietatem substantiæ vocat levem & frigidam. Et satis insinuat se eam negare. *Nam, Physici aiunt*, inquit, *Quicquid corrumpitur, à contrario corrumpitur, ut terra* (fortasse legi debet aqua) *ab igni: Etsi enim ibi fit corruptio per contrariam qualitatem, tamen principale agens est forma ignis.* Apertè tamen eam negat *Ramus l.* 4 *Schol. Dial. c.* 6. *&* 11.

14 Hac in re statuo: *non solas qualitates sibi per se contrariari, sed etiam substantias, non solùm propter qualitates, sed etiam ut tales sunt.*

15 Igitur, 1. possunt sibi contrariari sive adversari *differentiæ substantiales*, veluti rationalitas & irrationalitas, sive rationale & irrationale, quorum illud hominis, hoc bestiæ differentia est. Hoc probat *Ramus* citato loco, ex ipso organo: atque *Porphyrius in cap. de spec.* differentias generis vocari contrarias. Sic etiam *Aristot.* 7. *Top. cap.* 3. §. 6. congregativum & disgregativum (quæ sunt differentiæ albi & nigri) vocat

Differentiæ substantiales contrariæ.

vocat διαφορὰς ἐναντίας contrarias differentias. Ita & *Scalig. exerc.* 307. *sect.* 3. aperte ἄλογον λογικῷ contrarium dicit. Non tam aquæ ignem *contrarium* arbitror, quàm λογικὸν ἀλόγῳ. Et *Suarez, disp.* 45. *sect.* 3. *n.* 8. ait: differentias substantiales solere Metaphysicè contrarias dici. Et in indice *ad.* 10. *Metaph. c.* 11. ait: earum repugnantiam maximè assimilari *propriæ contrarietati.*

Idem etiam probari potest ratione. Rationale & irrationale habent repugnantiam; Impossibile enim est rationale esse irrationale. At illa repugnantia non est disparatorum. Nam disparata æqualiter opponuntur pluribus. At nulli rei ita opponitur rationale, sicut irrationali, & viciſſim; Ergò illa repugnantia est per contrarietatem. Non autem per contrarietatem relativam, contradictoriam, aut privativam, ut patet. Ergò per contrarietatem specialiter dictam, qualis est adversorum. Ex qua deductione apparet, non loqui me nunc de quibusvis differentiis, sed solùm de iis, quarum *una uni* opponitur. Si enim sint duabus plures, non contrariæ; sed disparatæ sunt. 16

2. *Possunt sibi contrariari formæ substantiales;* veluti forma rei animatæ, & forma rei inanimatæ. Hæc enim duo sub genere formæ Physicæ ita sibi opponuntur, ut pariter non opponatur forma rei animatæ, aut forma rei inanimatæ, rei alii, quàm opponuntur sibi ad inuicem. Semper autem hac in re considerandum est, non esse nunc sermonem de contrarietate physicâ, quæ definitur per expulsionem unius, aut per actionem unius in alterum. Sed solùm esse sermonem de contrarietate Logicâ, quæ definire debet per duorum Entium absolutorum distantiam, & repugnantiam sub eodem genere. 17 *Formæ sunt contrariæ.*

3. *Possunt sibi contrariari substantiæ completæ.* Tales sunt homo & bestia. Corpus & spiritus, sive substantia materialis & immaterialis. Res animata & res inanimata. Corpus simplex & corpus mistum. Nam hic semper duo repugnant sibi sub eodem genere. Huc pertinet etiam quod *Scaliger* habet *exerc.* 12 *sect.* 4. Quod est contrarium, est contrarium alteri per essentiam) non Ergò per qualitates solùm.) Imò ipsa substantia contrariatur accidenti, quando utrumque sumitur, ut summum genus sub Ente. 18 *Substantiæ contrariæ completæ.*

Una principalis *objectio* est contra hanc sententiam, quòd scilicet substantiis sic repugnantibus non conveniat definitio 19 *Objectio.*

contrariorum. Ita enim datur hæc. Contraria ſunt ea, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & eidem ſubjecto viciſſim inſunt, à quo mutuò ſe expellunt, niſi alterum eorum inſit naturâ; prout eam definitionem extruunt Dd. *Conimbr. lib. Categ. cap.* 10. *quæſt. unic. art* 4. ex *Ariſtot.* 10. *Metaph. cap.* 6. *mihi eſt ca.* 4.) Ibi *Ariſtoteles* dicit, contraria ſolùm eſſe inter duo. Item eſſe ſub eodem genere. Item maximè diſtare Item eſſe in eodem ſuſceptivo, ſive materiâ. Illam tamen particulam (*niſi alterum naturâ inſit*) ibi non invenio. Hæc autem definitio ex eo non convenit ſubſtantiis, quia ſubſtantiæ non ſunt in ſubjecto.

20 *Reſponſio.* Reſp. *primò:* Non video quomodo talis definitio non poſſit applicari formis ſubſtantialibus, veluti formæ aquæ & ignis. Neque enim ulla pars definitionis eſt contra hoc exemplum. Sunt enim ſub eodem genere ſive ſuperiori, quod eſt forma phyſica vel Elementaris, indéque ſub ea maximè diſtant & eidem ſubjecto viciſſim inſunt. Sunt, inquam, in materia, quæ eſt unum commune ſubjectum omnium formarum, quæ vel per generationes introducuntur, vel per corruptiones ejicitur. Ab iſto etiam ſubjecto mutuò ſe expellunt. Expellunt, inquam, ſe tum effectivè, quod una actione ſuâ aliam ejicit, tum etiam formaliter, quòd unà poſitâ in materia, ponit impoſſibilitatem, ut exiſtat ibi forma altera. Rurſus etiam illarum formarum neutra materiæ, quæ illarum ſubjectum eſt, naturaliter ineſt. Eſt enim materia per ſe nuda ab omni forma.

21 *Solutio aliorum.* Hic reſpondent aliqui: Illas formas non eſſe contrarias, quia non ſe ita expellunt ab eodem ſubjecto, ut illud ab una ad aliam ſucceſſivè tranſeat, per aliquod medium, quod utrumque extremum participet. Sed benè hanc reſponſionem refutat *Suarez, diſp.* 45. *Met. ſ.* 3 *n* 8. quòd ſcilicet iſta conditio non ſit neceſſaria ad contrarietatem. Amor enim & odium contrariantur, inter quæ non eſt tranſitus ſucceſſivus per medium, quod conſtet ex extremis. *Evertitur.*

22 *Solutio Suarezii.* Videtur igitur dicendum, addit *Suarez* inter formas ſubſtantiales non eſſe propriam contrarietatem, quia reſpectu materiæ non habent repugnantiam ex peculiari conditione, ſed ex generali ratione formæ ſubſtantialis, ſpeciem conſtituentis. Et propterea etiam non opponuntur, ut propria extrema alicujus generis, quæ ex propriis rationibus illam propriam ac peculiarem repugnantiam inter ſe habent, quomodo

modo intelligenda est contrariorum definitio. Hæc ille.

Resp. 1. Igitur imperfecta est definitio contrariorum. Nec- 23
catur enim, cum in definitione ponitur differentia latior, apud *Evertitur.*
Aristot. l. 6. Top. c. 6. Nam definitio ista potest accommodari formis substantialibus, nisi addantur verba illa, *quæ se mutuò expellunt*, hæc conditio, quòd expellere debeant se *per peculiares rationes*, hoc est, per conditiones, quas habent, ut talia Entia sunt, non autem per communes quasdam rationes. 2. Formæ illæ substantiales, etsi ex generali proprietate formarum substantialium, sint in eadem materia incompossibiles (loquendo de specificis & totalibus formis) tamen negari non potest, quòd omninò etiam formæ istæ Elementares, aquæ & ignis, sibi invicem repugnent, in quantum sunt specie distinctorum Elementorum formæ, aut in quantum sub genere formæ Elementaris distant. Unde falsum est, quòd non habeant repugnantiam ex peculiari conditione.

Sed hanc rem de oppositione formarum substantialium, 24
juxta definitionem superiorem contrariorum obiter considero, ut *Aristotelici* habeant materiam se exercendi. Igitur directè, ut superiori objectioni respondeam,

Dico *secundò*: Ipsam definitionem contrariorum non esse 25
Logicam, sed physicam, ut fatetur *Suarez in Metaph. disp.* 45. *sect.* 3. *num* 8. *in fine*. Et patet, quia adæquata conditio argumentorum Logicorum est, ut considerentur & definiantur, secundùm quod unum arguit aliud. Physici autem est agere de actionibus & passionibus, quibus unum aliud expellit, vel corrumpit, aut ab eo expellitur vel corrumpitur. Debebant igitur *Aristotelici Logicam* dare definitionem contrariorum. Et non eam corradere ex Metaphysicis *Arist.* ubi, ut dixi, physicè de contrariis loquitur. Tum autem melior dari non potest, quàm ea, quam *Cicero*, & ex eo *Ramus* habet, quòd adversa (contraria) sint quæ sibi è regione absolutè contrariantur, quæ definitio optimè convenit substantiis.

2. *An quantitati sit aliquid contrarium?*

Negans sententia in superioribus relata est ex *Aristot. lib.* 26
Categ. cap. 6. §. 18. Eúmque hâc in parte Interpp. assueti ad Physicam significationem contrariorum sequuntur. Regius etiam proponit pro ea sententia hæc argumenta, *l.* 1. *disp. Log. de prædic. probl.* 4. *quæst.* 401.

Primò

27 *Regii objectiones.*

Primò: Quicquid primò ineſt qualitati, id non primò ineſt quantitati. Sed qualitati primò ineſt habere contrarium. Ergò illud non convenit primò quantitati. 2. Quod eſt ſubjectum contrariorum non eſt contrarium; Atqui quantitas eſt ſubjectum contrariorum, quia quantitas eſt id, quo mediante ſubſtantiæ inſunt omnia accidentia. Ergò quantitati nihil eſt contrarium. 3. Illæ formæ ſunt contrariæ, quæ in ſe agere & pati poſſint. At quantitas non eſt talis forma, Ergò quantitati nihil eſt contrarium.

28 Nihilominùs ab ea ſententia receſſit *Ramus lib. 4. Schol: Dial. cap. 7.* quem ſequuntur ejus interpp. ponitque eo loco exemplum de quantitate, magnum & parvum, multum & pauca.

29 *Sententia autoris.*

Hâc in re exiſtimo: *Quantitati poſſe eſſe aliquod contrarium.* Suntque hujus rei exempla clariſſima hæc: Curvilineum & rectilineum, obliquangulum & rectangulum ex Geometria. Item numerus par & impar ex Arithmetica. Singula hæc ſunt quantitates. Nam dividitur quantitas per iſta: Et habent repugnantiam, ut Curvilineum non ſit rectilinium, & ſic in aliis. Et tamen illa repugnantia non eſt vel ex diſparatis, vel relatis, vel contradicentibus, aut privantibus, unde relinquitur, quòd ſit ex adverſis ſive contrariis ſpeciatim dictis.

30 *Magnum & parvum non ſunt contraria.*

Exemplum *Rami* de Magno & parvo, pauco & multo non amplector. Sunt enim & iſta relativa, ut *Ariſtoteles* docet *lib. Categ. cap. 6.* Fundantur tamen in quantitate, ſicut æqualitas & inæqualitas etiàm relationes ſunt fundatæ in quantitate. Solùm eſt obſervandum: magnitudinem & multitudinem poſſe præciſè ſumi, & tum ſolùm eſſe quantitates, ſine connotatione ullius relationis. Atque ſic magnitudo eſt nihil aliud, quàm dimenſio, hoc eſt, longitudo, latitudo, profunditas. Atque ſic res minima eſt etiam magna, quia res minima iſtas dimenſiones habet, & proinde eſt diviſibilis. *Multitudo* autem præciſè ſumpta eſt nihil aliud, quàm collectio unitatum, unde etiam numerus minimus, qualis eſt duorum, multitudo eſt. Ex quo apparet, ſic nec multum pauco, nec magnum parvo opponi. Tum demum autem multum & magnum relativa facio, quando iſtud pauco, hoc parvo opponitur.

31 Ad ſolutionem argumentorum recogitandum primò eſt, quòd nunc contrarium non ſumamus Phyſicè, ſed Logicè.

Unde

Unde faceſſere nunc debet omnis actio vel paſſio unius ad alterum, quando quantitati aliquid contrarium dicimus.

Ad *primum* reſpondeo: *Primò ineſſe* poſſe bifariàm intelligi, negativè, ut *primo ineſſe* ſit nihil aliud quàm non ineſſe propter aliud prius; & poſitivè, ut *primo ineſſe* contrarietatem, ſit nihil aliud, quàm ut id, cui primò ineſt contrarietas, omnibus aliis det, ut ſint contraria. Si poſteriori modo intelligatur vox *primò*, concluſio non eſt ad propoſitum. Nam nemo dicit primò convenire quantitati, habere contrarium, hoc eſt, gratiâ quantitatis omnia cætera habere contrarietatem. Si autem vox *primò* intelligatur negativè, falſa eſt propoſitio. Nam nec quantitas, nec qualitas habent contrarietatem per aliquod prius, prius, inquam, ſubjectum, ex ejus participatione habeant contrarietatem, ſed quæcunque ſibi è regione, ut unum uni, opponuntur abſolutè, illa omnia *æquè primò* habent contrarietatem. Atque hoc ſpecialibus exemplis & quantitatis, & qualitas æqualiter convenit. 32

Ad *ſecundum* reſpondeo: Negando propoſitionem, & dico, & adjuncta ſubjectorum poſſe contrariari, ut ſunt calor & frigus, & ſubjecta ipſa poſſe contrariari, ut ſunt homo & beſtia. Unde non eſt neceſſarium, ut quod alteri contrarium eſt, Logicè loquendo, id recipiatur in alio tanquam ſubjecto. 23

In *tertio* argumento definiuntur contraria phyſicè, in quâ ſignificatione quantitati nihil eſt contrarium.

III. Quæritur:
An Calor & frigus, gravitas & levitas ſint adverſa?

Ratio dubitandi eſt, quòd *Ariſtot. lib. 2. de cœlo, cap. 2.* frigus vocat privationem caloris, & gravitatem levitatis. Privatio autem eſt terminus negans, ſed adverſa ſunt contraria affirmantia, quorum uterque terminus debet eſſe Ens poſitivum. Reſpondeo: Omninò frigus & gravitatem eſſe terminos poſitivos, ideòque frigus calori, & gravitatem levitati adverſè opponi. Privationis enim non eſt actio, vel efficacia: at frigus & gravitas agunt; Frigus enim calefacit, & gravitas movet deorſum. 34

Ad locum *Ariſtotelis* dicendum eſt, quòd ſcilicet privatio de frigore & gravitate dicuntur, non ut negentur Entia eſſe poſitiva, ſed ſolùm, ut ſignificetur ignobilitas eorum. 35

Eſt

Est enim frigus ignobilius calore, & gravitas levitate. Vide *Scalig. exerc.* 18. *Aristoteles inquit*, & cum eo *Averroës*, frigus privationem dixerunt, respicientes ad caloris nobilitatem. Atque hoc ipsum dici potest de nigredine, quam *Arist. lib.* 3. *Meteor. de Iride*, vocat privationem albedinis, non ad significandum, quasi propriè privatio sit, (ut alioqui vult *Zabarell. lib.* 1 *de visu cap.* 2. *pag.* 860.) sed solùm ad significandam ignobilitatem nigredinis, quam habet respectu albedinis. Intelligentur hæc plenius ex *axiom* 8. In quo quorumvis contrariorum alterum dicitur privatio.

IV. Quæritur:
An bonum & malum, Virtus & Vitium sint contraria?

36 Ratio dubitandi est, quòd malum est privatio Entis, eo ipso, quia est privatio boni. Bonum enim & Ens convertuntur. Quod autem est carentia Entis, non potest esse terminus positivus, & per hoc nec adversè potest dici opponi. Atque idem consequenter dicendum est de vitio. Nam vitium est aliquid malum.

37 Nihilominùs dicendum, aliquo sensu bonum & malum adversa esse, atque sic etiam virtutem & vitium. Ex *Aristot. 2. post. cap. 6.* τὸ ἀγαθὸν τῷ κακῷ ἐναντίον. *Bonum malo contrarium est.* Malum autem bifariàm sumitur, vel, ut opponitur bono transcendenti, quo sensu malum solùm est privatio, neq; sic adversè opponitur bono. Deinde malum opponitur bono morali, quo sensu malum non est privatio, sed habitus devians à mediocritate, vel actio devians à rectitudine. Habitus autem & actio sunt Entia positiva.

38 Notandum igitur accuratè, cùm malum moraliter sumimus, malum non indicare solùm carentiam rectitudinis, sed habere modum significandi compositum, nempe notare ipsum actum uel habitum, cui additur carentia rectitudinis. Vide *Suarez. disp.* 11. *Met. sect.* 1. *num.* 20. uòi dicit: Cùm bonum & malum dicuntur contraria, bonum & malum non sumi formaliter, sic enim malum est privativum, sed materialiter, pro ipsis rebus bonis & malis.

CANONES.

39 1. *Contraria distant sub eodem genere.* Ita *Aristoteles lib.* 10. *Metaph. cap.* ἐν τῷ αὐτῷ γένει πλεῖστον διαφέροντα τὰ ναντία,

τὰ ἐναντία, hoc est, *In eodem genere plurimum deferentia.* Ex hoc fundamento etiam ait, *lib. Categ. cap.* 8. §. 25. *Si contrariorum alterum sit quale, etiam reliquum erit quale, ut si justitia est injustitia contraria, & justitia est qualitas, etiam injustitia est qualitas.* Ac primùm determinandi sunt termini propositionis. Genus vulgò duplex solet statui, genus Logicum, quod opponitur speciei, quale est animal ad hominem. Et genus Physicum, quod est materia: *Suarez* igitur *in Metaphys. disp.* 45. *sect.* 2. *num.* 5. Existimat utrumque intelligi posse. Sed talis loquendi forma, distare in eodem genere nunquam solet de materia usurpari, frequenter autem usurpatur de genere Logico. Intelligamus ergò axioma de genere Logico. Addendum tamen est: Illud genus nunc latè intelligi debere pro omni superiori quomodo etiam Ens genus dicitur ad substantiam & accidens. Substantiam enim & accidens putamus esse contraria.

Deinde: cum vox *contrariorum* multis modis sumatur; ut suprà dixi. Idcircò hic sciendum, significari contraria Logicè dicta; secundum sensum *Aristotelis*. Cui contraria illud significant, quòd *Ramo* adversa. Et proinde per hanc conditionem adversa, quæ nunc contraria dicuntur, distinguuntur à privantibus & contradicentibus. Cùm enim in his altera terminus sit negatio, & non Ens, non Entis autem cum Ente nulla sit communio, idcircò in nullo genere ista convenire possunt. 40

Sensus igitur axiomatis est, quòd contraria, hoc est, adversa conveniant in aliquo genere, in quo genere (per suas differentias) opponantur. Atque sic duo sumuntur ex illa propositione, 1 Quæ sunt ejusdem speciei non esse contraria. 2. Quæ non sunt ejusdem generis non esse contraria. 41

Objicitur locus *Aristotelis ex lib. Categ. cap.* 11. *t.* 6. Necesse est, *inquit* omnia contraria in eodem genere esse, vel in contrariis generibus, vel esse ipsa genere. Album & nigrum sunt in eodem genere, quia color est eorum genus. Justitia & injustitia sunt in contrariis generibus; nam illius genus est virtus, hujus vitium. Bonum autem & malum non sunt in genere, sed ipsa sunt genera aliquorum. Hac ille. Quibus similia habet, 7. *Top cap.* 3. §. 6. 42 *Objectio.*

Hic *respondent* aliqui *Aristotelem* ea dixisse aliorum opinione, ut refert *Suarez disp.* 45. *Metaph. sect.* 2. *num.* 6. Iatis benè tamen explicatur is locus sic, Alia contraria sunt sub eodem 43 *Respondetur.*

eodem genere, nempe proximo, ut est albedo & nigredo, quorum proximum genus est color. Alia sunt sub contrariis generibus, nempe proximis, ut de justitia & injustitia dicit *Aristoteles*. Alia autem sunt etiam genera ipsa, quæ scilicet dividua sunt in species. Hæc tamen posteriora etiam optimè ponuntur sub eodem genere. Etsi enim bonum & malum sint genera, tamen sunt etiam sub genere, quod est habitus: Malum enim & bonum nunc sumuntur moraliter pro habitu bono & malo. Alioquin enim malum non est contrarium bono, sed privatio boni. Justitia autem & injustitia, etsi sint sub contrariis generibus proximis, sunt tamen sub eodem remoto, quod est habitus. Unde intelligitur contrariorum debere esse idem genus, *proximum, aut remotum.*

44 II. *Unum uni solum est contrarium.* Ita *Aristot.* 10. *Met. cap.* 4. φανερὸν, ὅτι ἐκ ἐνδέχεται ἑνὶ πλείω ἐναντία εἶναι. *Manifestum est, quòd non contingit uni plura esse contraria.* Sumit enim *Aristoteles* vocem contrariorum specialiter, pro iis, quæ *Ramus* adversa vocat. Possunt tamen hoc dici de contrariis omnibus prout vox ista etiam relativè, contradictoriè & privativè opposita complectitur.

45 *Peripatetici sententia.* Valdè torquere se solent Peripatetici, quomodo defendant illam propositionem, cum æquale & magno & parvo opponatur, virtus & vitio deficienti, & vitio excedenti. Alii determinant igitur sic: Unum uni solùm contrariari, loquendo de extremis, non autem de mediis. Alii dicunt tunc demum opponi unum uni, si alterum sit æquatum alteri sic, ut secundùm totam latitudinem alteri contrarietur. Atque hoc modò aiunt, non se habere virtutem comparandò eam ad vitium deficiens, vel excludens, sed ad vitium simpliciter, itémque non sic habere se æquale ad magis & minus, sed ad inæquale.

46 *Sententia authoris.* Accuratior tamen est determinatio hæc: Quòd contrarium uni solùm sit contrarium, manendo in contrarietate. Unde virtus quidem opponitur etiam vitiis duobus, sed non est ampliùs contrarietas. Virtus opponitur vitio, ut contrarium contrario; sed liberalitas opponitur avaritiæ, nec non prodigalitati, sed ut disparatum disparato. Idem est de æquali & inæquali, & minori.

47 III. *Contrariorum unum si sit, est & alterum.* Ita *Arist.* 2. *de cæl. cap.* 3. *t.* 19. τῶν ἐναντίων εἰ θάτερον φύσει ἐστὶν ἢ θάτερον ἐστὶ φύσει, *Contrariorum si alterum natura, necessitas*

&

ad alterum esse naturâ. Infértque ibi *Aristoteles*, si ignis sit in rerum natura, etiam terram esse. Sunt enim hæc contraria secundùm gravitatem & levitatem. Hic locus tamen apertè videtur contrarius illi, qui est *lib. Categ. cap.* 11. §. 3. Præterea non necesse est, *inquit ibi Aristoteles*, si contrariorum alterum sit, etiam reliquum esse. Hæc duo, si concilientur, manifesta erit explicatio axiomatis propositi. Igitur relativorum ea est natura, ut unum eorum positum ex se, & per se inferat esse & correlatum. Quam primum enim est, qui dicatur filius, est etiam, qui dicatur pater. Contra hæc si distinguantur contraria (adversa) tunc verum, uno contrariorum posito, ex intrinseca aliqua ratione non inferri, ut sic & alterum contrariorum. Et hoc voluit *Aristoteles in lib. Categ.* Deinde, si non illam unius ex alio intrinsecam consequentiam & illationem recipiamus, nihilominùs posito uno contrariorum ponitur alterum, intuendo ad complementum mundi. Cujus perfectio consistit in habendis omnibus speciebus. Quicquid igitur est contrarium, hoc contra aliquam speciem est contrarium. At mundi perfectio requirit omnes species. Ergo, si detur contrariorum unum, dabitur & alterum. Et hoc voluit *Aristotel. in lib. de cælo.* Videri potest *Suarez disp.* 45. *Met. sect.* 2. *num.* 18.

IV. Contrariorum eadem est scientia. Τὸ μὲν πῦρ θερμαίνει, ψύχει δ' οὐ δοκεῖ τῶν ἐναντίων εἶναι μία. Hoc est: *Ignis quidem calefacit, non autem refrigerat. At una scientia esse contrariorum apparet*, inquit *Aristot.* 8. *Phys. cap.* 1. *t.* 8. Et idem habet 1. *prior. cap.* 1. *in Probl. sect.* 30. *quæst.* 7, 11. *lib.* 4. *Metaph. cap.* 2. *t.* 16. *l.* 5. *Ethic. cap.* 1. Et per contraria quidem *Aristoteles* more suo intelligit ea, quæ *Cicero* & *Ramus* adversa vocant. Potest autem illa propositio triplicem habere sensum, ut docet *Monlorius ad lib.* 1. *de ratiocin. cap.* 1. *in Schol. n.* 4. Primus sensus est, quòd contraria sint cognoscenda in eadem disciplina, quomodo Medicus agit de ægritudine & sanitate; Physicus de calore & frigore; Est autem hoc eatenus verum, quatenus aliunde non est impedimentum, quod duorum contrariorum considerationem prohibeat in eadem disciplina. Ita Metaphysicus non potest agere de corporeo, etsi agat de incorporeo, quia illius cognitio prohibetur in Metaphysica, per abstractionem à materia, à qua corporeum abstrahi non potest. *Secundò* contrariorum est eadem scientia, quatenus unius cognitio confert ad cognitionem alterius contrarii: 47

contrarii: Validius, sanitas sita est in temperie humorum; Morbus consistit in eorum intemperie. Tertius sensus alle potest, quòd eadem scientia tractet contrarias partes quæstionis, hoc est, affirmativam & negativam, veluti, si hæc quæstio, voluptas est aliquid bonum, concludatur & negativè, & affirmativè. Et secundum hunc sensum *Aristoteles lib. 1. Rhet.* limitat hanc propositionem ad solam Rhetoricam & Dialecticam, sumpta voce *dialectica* pro arte probabiliter disputandi. Nam hæ disciplinæ disputant tantùm ex probabilibus & communioribus, quæ possunt in utramque partem æquè dari. At non sic in iis, quæ utuntur probationibus necessariis.

49 *Quæ Adversa non possunt esse in eodem subjecto.* Habetur apud *Aristot. lib. 2. Top. cap. 7. §. 2. De lib. 2. de gen. & corr. cap. 3.* Quanta, inquit, & magnitudines, *De eod. lib. de anim. text. 3.* & *de mem. & reminisc.* Et habetur idem generaliter de ἀντικειμένοις, *in 10. Metaph. c. 5.* Et contrariis (prout vox illa generalis sumitur) *in l. de somn. & vigil. cap. 2.* Ex quo sequitur eas conditiones, quæ ad veritatem illius axiomatis generalius propositi pertinent, nunc etiam valere. Repetantur ergo ea, ex superiori capite de oppositis.

50 Igitur breviter loquendo, Adversa non possunt esse in eodem numero subjecto, secundùm idem, eòdem, & eodem tempore sive momento, in excellentibus gradibus & terminis ad æmulgatitate intellectis.


51 Ac de aliis quidem conditionibus res hic clara est, solùm dubium est de gradibus excellentibus: *An adversa in gradibus excellentibus simul esse possint?* Quòd quæ id esse oporteat, apparet ex speciebus sensilibus & intelligibilibus. Nam species nigri & albi sunt in eadem parte oculi, oculi, æris, sic & de intellectu. In intellectu simul conservatur species vel notitia virtutis & vitii. Et sic in aliis.

52 Hæc in re imprimis certum est, qualitates adversas maximales non posse in eodem subjecto esse in gradibus excellentibus, ut vel ex notitia terminorum apparet. Non potest idem subjectum esse res extremè calida & extremè frigida, Dialectica, unus Epizbalis, extremè alba & nigra, Orthographus, unus Rotlefschwartz. Extremè vitiosus non est homo simul & virtuosus, eius Epizbub, unus Hertz-bube. Vide *Colleg. Conimbr. de gener. & corr. cap. 9. quæst.* prolixè.

prolixè. Sed quid sit de qualitatibus spiritualibus?

Igitur de his tres invenio apud Philosophos sententias, 53
Prima est *Goclenii*, qui *part. 1 probl. Logic. quæst. 71* de speciebus sensibilibus ait, quòd non recipiantur in eadem parte oculi. *Ut enim in speculo artificioso*, inquit, *imagines rerum objectarum nigræ & albæ apparent distinctæ non confusæ, illa in hac, hæc in illa specula parte: Ita in pupilla quæ recipit visibiles species, hæ refulgent non confusè sed distinctè. Hæc in illa, illa in hac pupillæ parte. Pupilla enim habet aliquam latitudinem.* *De qualitatibus spiritualibus: Goclenii sententia.*

Hæc sententia non est admittenda. Nam 1. contrariarum 54
rerum species uniri posse in eadem parte alicujus subjecti apparet clarissimè ex eo, quia visibile radiat ad quodvis punctum spatii. Unde necessarium est, ut ad idem punctum radiet etiam extremè album, & extremè nigrum. Ducantur duæ lineæ invicem se secantes. Una linea sit *a. b.*



in *a* sit res alba, in *b* sit oculus eam videns. Altera linea sit *c. d.* In *c.* sit res nigra, in *d.* sit oculus eam videns. Hic igitur in puncto sectionis necessariò communiter transit, & species rei albæ ex *a* ut videatur, in *b.* Et specie rei nigræ in *c.* ut videatur in *d.* Et ita in communi puncto species duorum extremorum concurrunt. Et sic duæ qualitates in excellenti gradu sunt indistinctè in eadem parte subjecti. Quòd autem etiam species istæ colorum extremorum sint id speculo & oculo, apparet apertissimè exinde, quòd in eadem parte speculi & oculi intuemur partem imaginis albam & nigram modò, variet sicus intuentis. Unde impossibile est, ut aliqua pars speculi informetur à specie nigri, & non etiam à specie albi.

Secunda sententia est *Francisci Suarez*, qui *disp. 45. in* 55
Metaphys. sect. 3 n 2. existimat, species intentionales non habere contrarium. Et probat, quia species albi & nigri insunt sine repugnãtia. Sed inprimis negari non potest, species intentionales duorum extremorum colorum, v. g. esse contrarias.

Habent enim distantiam maximam sub eodem genere.

56 De repugnantia autem sciendum est, quòd ea inter terminos contrarios attendatur in duobus. Primò, ut sic repugnantia *inter eos* præcisè, ut unum non sit aliud. Et hæc clarissimè est inter eas species. Impossibile enim est speciem albi esse speciem nigri. Aliter est repugnantia, in respectu *ad subjectum*, in quo termini contrarii sint incompossibiles. Et hanc repugnantiam non habent species intentionales, juxta quod ex *Aristotele Scalig. exerc.* 307. *sect.* 16. ait: *Contradictoria in intellectu non esse συναδυνατα, & sect.* 21. *quæst.* 961. Oppositorum rationes non esse in intellectu oppositas, & antea ostensum est, species eas in eadem parte subjecti recipi. Atque hæc repugnantia non necessariò requiritur in contrariis quâ talia sunt, etiamsi omnes alii cõtrarii termini, exceptis solis spiritalibus speciebus, eam habeant. Est enim hujus peculiaris causa quam mox dabo.

57 Igitur tertia sententia est. *Zabarell. in lib. de react. cap.* 8. *fol.* 450. *& lib.* 2. *de visu cap.* 8. *fol.* 918. Ibi existimat primò, species istas esse in eodem subjecto. 2. Esse contrarias. 3. Regulam de omnibus contrariis incompossibilibus in eodem subjecto, veram esse solùm de Entibus materialibus, non intentionalibus, seu spiritalibus, ut vocantur.

Sententia Zabarellæ.

58 Sed inquis: *Cur qualitates materiales contrariæ sunt in subjectis suis incompossibiles, & tamen simul esse possunt contrariæ species qualitatum materialium*, veluti species sive imago nigri & albi? *Resp.* Id esse ideò, quia species hæ spirituales ferè nullam, aut saltem levissimam connexionem habent cum subjectis, indèque nec ab illis pendent, sed solùm ab agente, unde videri potest, eas non tàm recipi in subjectis, quàm terminari ad subjecta.

Quæstio.

59 Hujus rei indicia duo sunt: 1. Quod post interitum causæ suæ non possunt illæ species manere superstites; & subjectum maneat, quod secus est in qualitatibus materialibus. Calor, qui productus est ab igne in aqua, potest manere in aqua extincto aut remoto igne. At species coloris, quam aliquod corpus producit in oculo aut speculo, remoto isto corpore, quod speciem produxit, statim interit manente oculo, & speculo. Aliud indicium est, quòd Entia spiritalia illa non moventur ad motum subjecti sui, sed solùm ad motum causæ suæ, quod itidem secus in materialibus. Moto corpore, movetur simul ejus figura, calor, humiditas,

humiditas, color, quicquid ſit de cauſis horum. At ſpecies in ſpeculo & oculo, non moventur ad motum ſpeculi, quieſcente corpore, à quo iſtæ ſpecies ſint productæ. Moventur autem maximè ad motum hujus corporis. Cùm igitur, ut dictũ eſt, quaſi nullam dependentiam habeant hæ ſpecies ad ſua ſubjecta, habeant autem eam maximè Entia materialia, idcircò materialia quidem incompoſſibilia ſunt in ſubjectis, non autem ſpiritalia ſive intentionalia.

VI. Contrariorum ſive adverſorum idem eſt ſubjectum. 60
Hoc videtur priori contrarium eſſe. Habetur tamen apud *Ariſtot. l. 2. Topic. 7. §. 6.* τὸ αὐτὸ τῶν ἐναντίων δεκτικόν. Et rurſus 2 *Metaph. c. 4.* ἡ ὕλη ἡ αὐτὴ τοῖς ἐναντίοις. *Materia* (in qua) *contrariis eadem eſt.*

Hac in re tria ſunt obſervanda: 1. Non convenire omnibus contrariis, prout Logicè ſumuntur, habere idem ſubjectũ, quia ſuppoſito, quòd ſubjecta ſibi Logicè contrarientur, relinquitur, quòd aliqua contraria careant omni ſubjecto. Unde inprimis hoc verum eſt de contrariis Phyſicè ſumptis, quæ mutuâ actione ſe deſtruunt & perimunt, ut intelligitur ex *Zabar. l. de tract. c. 4. 6.* 61

Objicis. Calor ignis & frigus aquæ ſunt Phyſicè contraria, & tamen non habent idem ſubjectum. Ille enim eſt in igne, hoc in aqua. *Reſp.* Calorem ignis & frigus aquæ repugnare Phyſicè ſed mediatè, quatenùs ſcilicet ignis per ſuam calorem immittit alium in aquam, qui calor aquę ab igne immiſſus, aquæ frigori contrariatur, illud expellendo.

2. Iſtorum igitur Phyſicorum contrariorum ſubjectum vel materia eſt eadem, quòd ſcilicet eidem ſubjecto *viciſſim* inſunt, & *ſucceſſivè*, non autem quòd eodem tempore recipiantur in eodem ſubjecto. Nam alioquin verum eſt, quòd *Ariſtoteles* habet, *l. Categ. c. 6. §. 25.* Contraria idem ſimul ſuſcipere non poteſt. 62

3. Rurſus: Inſunt autem contraria iſta eidem ſubjecto viciſſim, *niſi alterum naturâ inſit.* Neque enim calor & frigus, quæ contraria ſunt, inſunt eidem igni viciſſim, quia alterum iſtorum, nempè calor, naturâ ineſt igni. At eidem parieti viciſſim ineſt albedo & nigredo, & ſic in aliis. Vide hanc ultimam determinationem apud *Colleg. Conimbr. lib. Categ. cap. 10. quæſt. un. a. 5.* 63

VII. Inter contraria (adverſa) datur medium. Habetur apud *Ariſtot. lib. 10. Metaph. cap. 4.* ubi diſtinguens contraria 64

(adversa) à contradicentibus: ait, *Contradictionis quidem non est medium: Est autem contrariorum*, & idem est *cap. 7.* Ac intelligit quidem *Aristot.* peculiariter id *medium*, quod *per communicationem* dicitur. *Media illa dicimus*, inquit, *in quæ necesse est primo transmutari, quod transmutatur. Ut, in coloribus, si ex albo ad nigrum venias, prius ad puniceum & fuscum, quàm ad nigrum venies.* Tale igitur medium datur inter adversa, ut jam dictum est, inter album & nigrum esse fuscum & puniceum. Est autem præterea etiam medium *per negationem* inter contraria sive adversa, sicut inter hominem & bestiam est barba, arbor, metallum. Hæc intelligi magis possunt, ex superius explicatâ divisione contrariorum, in mediata & immediata.

65 *VIII. Semper contrariorum (adversorum) alterum est privatio.* Habetur apud *Aristot. lib. 10. Met. cap. 4.* Idemque est multis aliis locis, ut indixit *Scalig exerc. 18. in init.*

66 Duo hic obiici possunt. *Primo*, quòd contraria hoc est, adversa contradistinguuntur à privantibus. Unde neutrum contrariorum videtur dici posse privatio. *Secundò*: Privatio est terminus negans. At adversa debent habere duos terminos affirmantes. Propterea enim dicuntur contraria *affirmantia*.

Obiectiones

67 Utrumque solvitur, si exponatur quomodo alterum contrariorum dicatur privatio. Non igitur alterum contrariorum dicitur privatio propriè (idque per utrumque argumentum jam obiectum) sed dicitur solum privatio per similitudinem. Quemadmodum enim alter terminus privantium, id est, privatio, est quid ignobilius habitu (altero termino.) Ita est etiam in contrariis, ut eorum alter terminus sit ignobilior altero, & inde ad significandum istam ignobilitatem, terminus ille, qui alterò ignobilior est, dicitur privatio. Ita exponitur à *Scalig. exerc. 18. in init. Suarez ad 10. Met. c. 7. Fonseca ib. Conimb. l. 1 de gen. & int. c. 3. ad t. 18.*

Solvuntur.

Fundamentum huius interpretationis solidum est, quia illa, quæ sic privationes dicuntur, aliàs nominantur nominibus positivis, *vitium* appellat *Aristoteles* privationem, *10. Metaph. cap. 4. ad finem.* Et tamen aliàs veluti *7. Phys. cap. 3. text. 3. text. 7.* dicitur habitus. Habitus autem est res positiva. Ita strictus hoc modo dicitur privatio, *1. de gen. & int. cap. 3. text. 18.* Et tamen aliàs ea refertur inter qualitates tangibiles *l. 2. de gen. & int. c. 2. t. 18.* Sic quies dicitur privatio, ut & gravitas, *l. 2. de cœlo, c. 3. 18.* Et tamen gravitas etiam enu-

meratur inter qualitates, 2. *de gen. & corr.* t. 8. Quies autem dicitur per se sensibilis, 1. 2 *de anim.* c. 6. t. 62. At per se intelligi non convenit propriè dictæ privationi. Sicut *Plutarchus in lib. de primo frigido*, dicit privatio nec visibilis nec audibilis nec tactilis, nec alioquin sensibilis.

IX. *Contraria sunt pellentis naturæ.* Vulgare est. Et sensus illius est, quòd contraria non possint esse simul, sed quòd ubi unum est, ibi pellatur, vel non permittatur esse aliud. Dicuntur autem pellentis naturæ esse, non tam per expulsionem effectivam (quà unum contrarium agat in illud, & illud debilitando tandem extinguat) quam per expulsionem formalem, quà unum contrarium ita sit in uno, & illud ita informet, ut hoc ipsa ponatur ex hujus præsentia impossibilitas, ut coexistat alterum, quà de re suprà dixi ad definitionem contrariorum.

CAPUT. XVIII.

De relativè oppositis.

1. Relativè opposita sunt contraria affirmantia, quorum unum constat ex mutua ad alterum affectione. Ut: *Pater & filius. Dominus & servus.*

2. Ergò quæcunque sunt relata, ea etiam sunt relativè opposita.

COMMENTARIUS.

I. De Ambiguitate vocis Relatorum.

Valdè latè hæc vox usurpatur, sic quidem ut multa dicantur relata quæ huc non pertinent. *Aristot. in lib. Categ. de relatione*, Relata dividit in relata *secundum esse*, & relata *secundum dici*. Relata secundùm dici vocat ea, quę cum sint in alio prædicamento, nihilominus tamen relationem quandam sortiuntur. Tale quid est scientia. Hæc enim primò & essentialiter est in prædicamento qualitatis. Igitur relatio secundùm quam ad scibile refertur, est relatio secundum dici. Relata autem secundùm esse sunt, quæ tota sunt de prædicamento relationis, hoc est, non primò in alio aliquo prædicamento, ita Pater & Filius relata sunt. Igitur ad relativè opposita in præsenti, non pertinent relata secundùm dici, sed in primis relata secundùm esse. 1

Deinde relatio dividitur in eam, quæ est *mutua*, & quæ *non* 2

Relata mutua & non mutua.

est *mutua*. Non mutua relatio est inter habitum & privationem, quorum alterum (privatio) refertur quidem ad alterum (id est, ad habitū) utpote ex quo etiam privatio definitur, sed tamen habitus non vicissim refertur ad privationem. Mutua autem relatio est quando æqualiter relatum refertur ad correlatum, & non minus correlatum ad relatum vicissim. Ita pater per filium, & filius per patrem definitur. Ex his etiam illa, quæ sunt relata, sed relatione non mutuâ, huc non pertinent. Distincta enim sunt relata à privantibus.

3 *Relata transcendentia & prædicamentalia.*

3. Metaphysici distinguunt relationem in *transcendentem & prædicamentalem*, de qua distinctione prolixè disputat *Suarez disp. 47. in Metaph. s. 3. & 4.* Vocatur autem relatio *transcendentalis* omnis ea secundùm quam vulgò unum dicitur referri ad aliud; si maximè illa, quæ sic referri dicuntur, non pertineant ad prædicamentum relationis.

4 In hac igitur relatione non est relativa oppositio. Verè enim & propriè loquendo non sunt relata, verâ & prædicamentali relatione.

5 Quid igitur intelligitur per relata hoc loco? *Respondeo*: Relata secundùm esse, Relata relatione mutuâ, Relata relatione prædicamentali.

6 II. *De voce relatorum & relativè Oppositorum.*

Hic duo termini promiscuè usurpari solent, ita ut etiam *relativè oppositâ* dicantur *relata*, sed id est per Synecdochen, ut patebit. Nam *relata* propria dicuntur, secundùm quòd in istis Entibus est concensio. *Relativè* autem *opposita* dicuntur, secundùm quod in iis est dissensio. Igitur in quantum dicimus: *Pater est qui habet filium, & filius est qui habet patrem* notamus terminos relatos. In quantum autem dicimus: *Pater non est filius* & *filius non est pater*, notamus terminos relativè oppositos.

III. *De definitione relativè Oppositorum.*

7 Primò igitur dicuntur *contraria*. Hæc vox significat relativam oppositionem inter duo. Contraria enim sunt, quorum unum uni opponitur. Etsi enim *Aristot. 6. Metaph. 6.* dixeris, hoc de contrariis suo sensu, qui contraria vocat ea, quæ nos adversa dicimus: Nihilominus contrariis in genere illud etiam tribui potest, ut apparet intuendo species omnes contrariorum.

8 *Objectio.* *Objicitur*: Relatorum unum pluribus opponi. Ergò non esse contraria. Antecedens probatur per exempla. Pater

opponitur

opponitur multis liberis, dominus multis servis. *Resp:* Verè hic relatorum unum uni opponitur; Uni, inquam, id est correlato, quod correlatum sunt servi, vel servus. Perinde enim est, sive sub illo uno correlato significetur unum sive multa. Aliqui hoc explicant, dicentes: Oppositorum contrariorum unum uni opponi intuendo genera, non autē individua unius generis vel speciei.

Deinde Relata sunt contraria *Affirmantia.* Per hanc particulam significatur: Relata esse semper duos terminos positivos, indéque sequitur, quæcunque non sunt Entia positiva non esse relata. Ex quibus apparet: privationem, quæ aliquando dicitur referri ad habitum, non esse tamen aliquid relativè oppositum habitui, quia privatio est terminus negans. 9

Deinde dicitur, *quòd constent mutuâ affectione.* Ex hac particula apparet, primùm distinctio relativè oppositorum ab appositis aliis, inprimisque ab adversis. Termini enim adversi sunt termini absoluti, At soli termini relativè oppositi sicut relativi, ut vox ipsa indicat. Et sic apparet etiam, benè ex istâ definitione deduci hoc consectarium, Quòd, quæcunque relata sunt, eadem etiam sint relativè opposita. Unde talium Entium duplex est conditio, altera in consentiendo, juxta quam dicuntur *relata*, altera in dissentiendo, juxta quam nunc dicuntur *relativè opposita.* 10

Et rursus, cum, qui termini relati sunt, iidem sint relativè oppositi, idcircò ea quæ de relatis dixi, hic repeti possunt *ex sup. c. 12. & Introd. Log. c. 6.* Indéque hi brevior sum. 11

CANONES.

I. *In relativè oppositis non datur medium.* Habetur apud *Aristot. 10. Metaph. cap. 7.* τῶν πρός τι τὰ μὲν ἐναντία, οὐκ ἔχει μεταξὺ αἴτιον, ὅτι ἐκ ἐν τοῖς αὐτῷ γένει ἐστί. *Eorum, quæ ad aliquid* inquit, *quæcunque non contraria* (adversa) *sunt, non habent medium. Et causa est, quia non sunt in eodem genere. Quid namque scientiæ & scibilis medium?* Hęc *Aristoteles.* Repetitur idem apud *Scalig. exerc. 302. sect. 1.* Ubi reprehendit *Cardanum* quod distinguit sonos in consonos, dissonos, & medios. *Consonantia*, inquit, *& dissonantia sunt relationes. At relativa carere medio disputatur à primo Philosopho.* 12 *Medium duplex.*

Cæterùm est observandum: Medium oppositionis nunc 13

vulgò duplex statui per participationem & per negationem, ut est apud *Zabar. 1. post. cap. 3. fol. 67.* Ex quibus certum est relativa habere medium per negationem. Et enim, quod nec sit dominus, nec servus, nec pater, nec filius, nec est lapis, planta, aura, &c. Unde relinquitur quòd de relativis solùm negetur medium per participationem. Atque hoc quod etiam *Aristoteles* vocem *medii* sumit. Ait enim id esse medium, ad quod prius transitur, cùm ab extremo ad extremum fit transmutatio. In relativis igitur non datur medium, Hoc est, in relativis non est, quod verbi gratiâ, partim sit pater, & partim filius & sic in aliis.

14 *Objicis:* Simile & dissimile sunt relata. Et tamen in ea datur, quod partim est simile, partim dissimile: Imò id est in omni simili. Nam quia nudum simile est idem, idcircò nullum simile est, quod non inferant disconvenientiam aliis quàm ad id, cui simile est. *Resp.* Simile & dissimile sunt quidem termini relativi, sed non sunt relativi *ad invicem*. Hoc est, sunt termini relativi, sed non ut pater & filius, sed ut Dominus & pater. Neque enim simile refertur ad dissimile, quum vicissim, sed simile ad simile, & dissimile ad dissimile refertur. Unde apparet, exempla ista non esse ad propositum. Nam cum in relative oppositis non dicitur dari medium, intelligitur non dari medium inter terminos relativos, quatenus *ad invicem* dicuntur. Ergò sic esse non potest, ut aliquid hoc partim simile hoc, & partim simile istud. Item, ut sic partim dissimile hoc, & partim dissimile istud.

15 II. *Relativorum uno posito, remaneat alterum.* Sumitur hoc ex generali ratione oppositionis sive contrarietatis. Hæc enim excipiendo Entia spiritualia, habent non solùm repugnantiam ad invicem, sed etiam repugnantiam in subjecto. Unde si hic homo sit pater non est filius. Intelligendum autem est, cum conditionibus generaliter requisitis in oppositis, quòd scilicet intelligi id debeat respectu ejusdem, ad idem, & eodem tempore. Et id quidem sine terminorum ambiguitate: Secus enim relatorum uno posito non removetur alterum. Potest quis esse pater & filius, sed respectu diversorum. Imò potest quis esse ejusdem pater & filius, sed per ambiguitatem. Nempe potest esse filius physicè loquendo. Et tamen potest esse pater ejusdem, quia vel pastor, vel magistratus illius est.

16 Solum hic observandum est: Quia aliqua relata sunt

unius

unius nominis, velut hospes, amicus, similis frater, idcirco relativorum unum posito removeri alterum, non tamen necessariò quoad nomen, sed latenter quoad rem nomine significatam, vel cum complicatur aliquid determinans illud unius nominis relativum. Ita non sequitur, Est hospes. Ergò non est hospes. Est frater. Ergò non est frater. Sed: Hic est hospes (excipiens.) Ergò non est hospes (exceptus.) Est frater hic. Ergò non est frater alter, & sic in aliis.

III. *Relativa oppositorum, utrumque est aliquid positivum.* 17

Ita patet, quia relativè opposita sunt contraria affirmantia. Sequitur autem ex hoc, ut & prius dictum, nullam privationem esse relationem, adeoque nec nullum privans relativum esse, quod *Aristoteles* habet, *l. Categ. c.* 10. *§.* 17. 18.

Objicis, Inæquale est relativum ad aliud inæquale. Et tamen inæquale est negativum sicut *Aristoteles* testatur, *5. Metaph. 12.* ubi *ἄνισον*, inæquale vocat privationem, & addit inæquale esse, quod non habeat æqualitatem, aptum existens habere. Addit etiam generalem regulam, quòd voces incipientes *ἀπὸ τοῦ α* (quod propterea etiam *στερητικὸν* dicitur) sint privationes. 18

Resp. Inæquale est aliquid positivum. Est enim inæquale nihil aliud, quàm habens longiorem aut breviorem quantitatem alio. Est igitur solum negativum vel privatio, quoad modum significandi, vel quoad modum compositionis, aut impositionis. Sicut & alias multa incipiunt *ἀπὸ τοῦ α*, Latinè ab IN, quæ hoc ipso habent modum significandi privativum, non tamen privativa sunt, ut alibi induxi. 19

CAPUT XIX.

De contradicentibus.

Contradicentia sunt contraria negantia, quorum alterum negat ubique.

COMMENTARIVS.

Exempla sunt primò tenenda. Igitur contradicentia sunt 1
Homo, non homo: lapis, non lapis: vir, non vir: justus, non justus; fidelis, non fidelis. *Exempla.*

De voce Contradictionis.

Nunc notandum est aliquid ad vocem contradictionis. 2
Contradictio est oppositio propositionum, & sic con- *De voce.*

tradictio

Contradictionis. tradictio est cùm aliqua propositio universalis negata opponitur particulari affirmatæ, & vicissim. Ergò, sic contradictio est. *Omnis homo est doctus. Quidam homo non est doctus. Nullus homo est doctus. Quidam homo est doctus.* Hæc igitur contradictio est affectio axiomatis. 2. Vox contradictionis usurpatur pro affectione terminorum simplicium, prout videlicet duo termini simplices opponuntur, quorum alius ait, alius negat infinitè, ut homo non homo. 3. Vox *contradictionis* sumitur pro omni oppositione terminorum talium, quorum alter sit negans, sive neget infinitè, sive neget in certo subjecto. Hoc modo *Aristot. 10. Metaph. t. 7.* privationem appellat contradictionem. Ex his secunda significatio est hujus loci. Et *Aristoteles* ad tertiam significationem fatetur improprietatem. Privatio est contradictio *quædam.*

De definitione Contradicentium.

3 In definitione 1. dicitur contradicentia esse *contraria negantia.* Contraria autem negantia sunt, quorum alter terminus negat. Hoc ita esse in contradicentibus apparet exemplis positis. Terminus affirmans est homo, negans *non homo*, & sic in cæteris.

4 *Objicit* Aliquando utrumque contradicentium negat, ut *nihil, non nihil; irrationale, non irrationale; eorum, non eorum.*

5 *Resp.* In *primo* exemplo non uterque terminus est negans, nam *non nihil* affirmat. Duæ enim negationes apud Latinos faciunt affirmationem. In *secundo* exemplo irrationale est terminus affirmans. Etsi enim habeat modum significandi negativè, tamen stat pro termino positivo, cùm sit differentia substantialis bestiæ. In *tertio* exemplo cæcitas etiam est aliquid affirmans. Etsi enim cæcitas neget privativè, tamen non negat contradictoriè. Indèque sciendum est, privativam negationem comparando eam cum negatione contradictoriâ habere aliquid positivum.

6 2. Dicitur in definitione contradicentium, Quod *alterum eorum neget ubique.* Ubique autem negare, est negare de omni ea re, quæ non est contenta sub affirmato, exempli gratiâ. Exemplum ex contradicentibus est *homo, non homo.* Hic alterum eorum negat, nempe *non homo.* Et negat ubique. Nam de quacunque re non dicitur, quod sit *homo*, de ea prædicatur *non homo.* Sic lapis, arbor, aurum, argentum, domus sub

ſub homine non continentur. Ergò terminus contradicens homini, *non homo*, de omnibus illis enunciatur, Nempe, *Lapis eſt non homo. Aurum eſt non homo. Argentum eſt non homo. &c. Ariſtotelici* hanc negationem contradictoriam vocant *infinitam.*

Diſtinguuntur autem per hanc particulam à contradicentibus privantia. Nam privantium etiam alterum negat, ſed non ubique, verùm in eo tantùm ſubjecto, in quo affirmatum ſuâpte naturâ ineſt: Sic privantia ſunt; *videns* & *cæcum.* Et terminus negans eſt *cæcum.* Hic tamen terminus non negat ubique, hoc eſt, de omni re, de qua non enunciatur terminus affirmans, Nam de lapide, arbore, & cæteris non enunciatur terminus hic affirmans, neque enim ſunt videntes: & tamen etiam non de iis prædicatur terminus negans. Neq; enim lapis eſt cœcus, aut arbor eſt cœca: 7

4. Dividi ſolet contradictio in contradictionem implicitam & explicitam. *Contradictio explicita* eſt; quando exprimitur per duos terminos, quorum alteri præfigitur negatio, ut fuit in ſuperioribus exemplis. Ita contradictio explicita fuit. Homo, non homo, Lapis, non lapis. *Contradictio implicita* eſt quando terminus aliquis poſitivus additur alii termino poſitivo, qui tamen negationem illius involvit. Ut *Ferreum lignum. Græcè* ὀξύμωρον. Ligneum enim eſt non ferreum, & ferreum eſt non ligneum. Igitur eſt contradictio implicita. Nam lignum ferreum eſt non ligneum, (quia ferreum,) & non ferreum, (quia ligneum.) 8 *Contradictio explicita & implicita.*

Ut autem hæc contradictio contineatur ſub ſuperiori definitione, hæc obſervanda eſt proportio; Contradicentia ſunt contraria negantia: Contradicentia implicita ſunt negantia implicitè: Explicita negant explicitè. Sed ad porrò intelligenda hæc, aliquæ quæſtiones ſunt videndæ. 9 *Quomodo contradictio implicita contineatur ſub contradicentibus?*

QUÆRITUR:
An contradicentia ſint argumenta Logica?

Fuerunt, qui negârunt, quos ſatis oppugnârunt *Dounam. in Comm. Log. l.* 1. *c.* 16. *f.* 275. *Goclen. p.* 1. *problem. Log. q.* 85. *Urſin. in diſp. Log. Victor in Top.* aliíqui unde nos eâ de re dicemus breviter ſemnæc. 10

1. Dubium non eſt, dari contradictionem propoſitionum. Et hanc admittunt autores iſti. Eſt autem iſta cùm propoſitioni 11

Positioni universali particulatis opponitur, in diversa qualitate, hoc est, affirmata negatæ: Ut *omnis homo est doctus. Quidam homo non est doctus. Nullus homo est doctus. Quidam homo est doctus.*

12 2. Ab ea distincta est contradictio, de qua nunc loquimur. Illa est propositionum: Hæc verò terminorum simplicium. Ut sunt *Ens, & non Ens; populus & non populus:* Illa non potest absolvi unâ propositione, at hæc potest. Ut: *Quodlibet est, aut non est.* Sicut est 3. *Metaph* 3. Τὸ μὲν εἶναι ἅμα καὶ μὴ εἶναι, καὶ ἄλλα ἀντικείμενα ἅττα. Idem *esse & non esse* impossibile. *Ferem. 5. v. 7.* Juraverunt in *Non Deo*

13 בלא אלהים Vide alia discrimina apud *Doun. Dictol. eo.*

3. Hanc igitur terminorum contradictionem, verè esse argumentum Logicum ex dictis elici potest. Nam data est propositio, quæ constat ex terminis contradicentibus; & sunt multæ aliæ similes propositiones. Veluti *lex est scripta*, vel *non scripta.* Principium est *causale*, vel *non causale*, Rom. 9. Vocabo *non populum, populum*, & sic deinceps. At omnis propositio constat ex argumentis Logicis, sive est dispositio argumenti cum argumento. Et sic etiam *Aristoteles* inter oppositorum (quæ termini Logici sunt) species, numerat contradictionem, *lib Categ. cap.* 10 *lib.* 10. *Metaph. cap.* 4. & alias sæpissimè. *Aristoteles* 5. *Topic. cap.* 6. §. 7. Si proprium animalis est *animatum*, non erit ejus proprium, *Non animatum* ἔμψυχον οὐκ ἔμψυχον.

Quæstio II.

An uterque terminus contradicens possit esse affirmativus?

14 Videtur quòd sic. Nam substantia & accidens dicuntur contradicentia, ut videre est apud *Thomam, Opusc. 42. cap.* 10 Et tamen utrumque est aliud positivum. Sic apud *Scalig. exerc.* 307. § 9. Verum & falsum dicuntur contradictoria. Et tamen neutrum negat. Et vulgo statuuntur contradicentia, *esse electum, & perire. Esse lignum*, & tamen *esse ferrum*, σίδηρος ξύλον eur hultzern Seburepten mit Yhmet ſtelken Spicken enim non à cinnamomo, ſed lardo nomen habet. Een Wande, knecht non Kerpes Keth, eth Kichard ken Kein Kithiſt. Et sic in aliis.

15 Hac in re dicendum est: Contradictioni *ut talis* est essen-
Decisio. tiale esse, habere alterutrum terminum negativum, juxta

quod

quod etiam definiuntur contraria *negantia*.

Igitur ad priora exempla respondendum est: In posterioribus esse contradictionem, non simpliciter, sed quam implicitam, vel in adjecto vocant. Atque isti termini in tantum contradicentes sunt, in quantum unus alterius negationem involvit. Ita σιδηροξυλον habet contradictionem, quia idem est, quod σιδηρ& & non σιδηρ&, Ferrum & non ferrum ξυλ& & non ξυλον, lignum & non lignum, & sic in aliis. 91

Verum & *falsum* aut non sunt contradicentia, sicut nec privantia sunt *visio* & *non visio*, quæ *Scalig. supra citato loco*, privantia dicit: Aut est intelligendum per similitudinem. Quemadmodum enim contradicentia sunt sine medio: Ita etiam verum & falsum sine medio opponuntur. Quæ autem per similitudinem dicuntur hoc aut illud, non necessario illius naturam, cui similia sunt, participant in omnibus. 17 *Verum & falsum an & quomodo de contradicentia?*

Substantia autem & accidens dicuntur contradictoria, non secundum se, sed secundum aliqua attributa, secundum quod videlicet (accidens) *est in essendo*. Alterum est *non in essendo*, ut substantia. *Inesse* autem & *non inesse* sunt contradicentia: Et alterum est negativum. Ita exponitur a *Coll. leg. Coimbr. 3. Categ. cap. 4. quæst. 1. articulo. 2. Dicendum nihilominus*, & *Zabar. lib. de mist. cap. 6.* Congruit huic, quod habet *Scotus. lib. 1. Sentent. dist. 8. q. 2.* & *Seuchetus ad Scotum ibi. Extrema contradictionis*, inquit, *possunt capi dupliciter. Uno modo per se & præcise, sicut esse et non esse, dependere & non dependere. Alio modo fundamentaliter solum; Et sic ajunt substantiam & accidens esse contradictoria.* 18 *Substantia & accidens quomodo sint contradictoria?*

CANONES.

1. *Inter contradicentia non datur medium.* Ita *Aristot. lib. 10. Met. cap. 4.* Αντιφάσεως οὐκ ἔστι μεταξύ, πν& δ' ἑκάστου ἢ ἔστιν ἢ οὐκ ἔστιν. Hoc est, *contradictionis non est medium, Privationis autem alicujus est. Nam omne est æquale aut non æquale* Sic & *lib. 1. post. cap. 2. t. 13 Contradictionis per se non datur medium.* Estque idem cum illo: Quodlibet est aut non est. *3. Met. 3.* Probat autem ex hoc axiomate *Thomas*, formas Elementorum (quod *Averroes* volebat non esse aliquid medium inter substantiam & accidens, qua substantia & accidens opponuntur contradictorie Vide *Zabar de mist. cap 16.* 19

Est hic observandum, quod in superioribus aliquoties dixi, medium in oppositione (alias enim plures sunt esus significationes) 20

cationes) bifariam dici. Nempe est aliquod medium per *participationem*. Estque illud in quo reperitur natura conveniens cum utroque extremo, unde & utriusque extremi dicitur naturam participare. Tale quidem est repor inter calorem & frigus. Deinde aliquid est medium per *abnegationem*, quod vocatur medium subjecti, estque illud, quod neutrum extremorum includit, seu quod nec hoc nec istud extremum includit. Tale medium inter albedinem & nigredinem est scientia; quæ nec est albedo nec nigredo. Vide *Zaburell lib.* 1. *post. ad context* 13. Sic ergo contradictionis non datur medium, h e. nihil est, quod vel utrumque contrariorum includat, vel quod neutrum extremorum sit. Sic igitur quicquid est, est, vel homo vel non homo; Et non potest esse vel utrumque extremorum, ut sit & homo & non homo, vel neutrum extremorum, ut sit nec homo, nec non homo.

21 *Quid significent duo contradictoria eidem tribui.*

Deinde est observandum: Esse quandam formam loquendi, qua utrumque contradicentium de una eademque re enunciatur, non sic, q. sit medium inter contradicentia; sed inprimis, ut ostendatur esse ignobile quid & imperfectum, si comparetur ad terminum affirmantem contradictionis. Ita *Scal. exerc.* 30. 7. *f.* 24 Ens in potentia ait esse *Ens et non Ens.* Sic quædam animalia, ut purpuræ, dicuntur *generare et non generare*, apud eundem, *lib.* 1. *de plant. p.* 78. Sic *Androgynus* dicitur esse *mas et non mas. Luscus* dicitur *videns et non videns*, umbra dicitur esse *lumen et non lumen.* Quibus loquendi modis solùm significatur imperfecto modo Ens in potentia esse Ens, purpuras generare, *Androgynum* esse marem, luscum videre, umbram esse lumen, & sic in cæteris. Sic intelligatur etiam illud *Scal exerc.* 226. *f.* 6. Minus bene esse, est media natura inter id, quod est esse, & quod est non esse. Sic & 1. *de plant p.* 246. An fieri potest, ut quod videris, ne videris? *Potest*, inquit, *hoc modo, si scio me videri, et quid illud sit nescio.* Adde etiam quæ dicta sunt *in superiori c.* 13 *n.* 14. 23.

22 Denique est observandum: Cur *Aristoteles* dixerit Contradictionis *per se* non esse medium? *Respondet Zabarell.* 1. *post. ad t.* 13. *pag.* 670. Quòd eam particulam addiderit *Aristoteles*, propter propositiones contrarias universales, quæ habent medium, quod sit verum, cum illæ possint esse falsæ in materia contingenti. Sed jam sermo est de contradictione terminorum, non propositionum.

II. *Contradictio*

II. *Contradictio est oppositio prima.* Habetur apud *Arist: lib. Met:* 10. *cap.* 4. Enumerat ibi oppositionis genera. Et addit: *Horum quidem primum contradictio.* Dicitur autem contradictio prima non ordine doctrinæ, ut vult Keckerm. *in Syst: Log: lib: sect: 2. cap: ult: pag.* 283. (Neque enim *Aristoteles* passim agens de oppositis, de ea, quantum memini, primò docet) sed dicitur prima ordine dignitatis. Est igitur prima, h. e. perfectissima oppositio. Consistit enim dignitas oppositionis in maxima elongatione unius ab alia, vel repugnantia unius contra aliud. Ea autem maxima est in contradicentibus quippe sine medio, ut dictum priori axiomate. 23

III. *Contradictio est oppositio fortissima.* Id habetur communitur apud D d. Estque ejus rei causa monstrata in priori axiomate. 24

Videatur tamen dubium esse. Nam contradictio includitur in aliis oppositionibus. Unde omnes oppositiones aliæ videntur hoc, quo proprium habent, addere supra oppositionem contradictoriam. Et inde aliæ oppositiones videntur fortiores esse contradictione. Nam omne tale additum tali, facit illud magis tale. Antecedens patet: Sunt v. g adversa calor & frigus. Horum adversitas præsupponit frigus esse non calorem, & calorem esse non frigus. Et sic in aliis. 25 *Objectio.*

Hic dicendum est: Contradictionem esse oppositionem fortissimam, comparando eam cum aliis oppositis, in eo, quod ista opposita habent, in quantum à contradictione distinguuntur, quodque habent secluså contradictione, non in quantum eam includunt. Sicut in simili, compositum est ignobilius formâ in quantum spectatur seorsim à conditionibus formæ, non autem in quantum includit perfectiones formæ. Et rursus: Ars est ignobilior naturâ, comparando utrumque in eo, quod cujusque proprium est, non autem comprehendendo sub arte perfectionem naturæ. Ita respondet *Suarez disp* 45. *Met sect:* 1 *n.* 12. 26 *Solvitur.*

Melior tamen videtur responsio *Ferarienſis lib.* 4. *contra gentes cap* 14. qui existimat, quod addunt alia opposita contradictioni non esse augens oppositionem, sed diminuens. Cum enim alia opposita trahant oppositionem ad aliquod genus, faciunt repugnantiam limitatam. Et proculdubiò magis repugnant, quæ in nullo genere conveniunt ut sunt contradictoria; quàm quæ sunt in genere, ut sunt alia contraria Vide hanc sententiam etiam apud *Thomam opusc* 37. *a* 2. & *Colleg: Conimbr.* 27 *Melior solutio.*

Conimb. lib. Categ. cap. 10. q. unic. a. 6. Et adde *Armand. de Bello Visu tract. 2 term cap. 223. & 216.*

28 *IV.* Impossibile est duo contradictoria prædicari de eodem. Et *Aristot. in 4. Met. cap. 4.* ἀδύνατον ἅμα κατηγορεῖσθαι τὰς ἀντιφάσεις. Impossibile simul prædicari contradictiones, veluti aliquam rem esse hominem & non hominem; lapidem & non lapidem. Sic & 5. *Topic. cap. 6. §. 7. Si affirmatio, aut quod secundum affirmationem dicitur ipsius rei proprium est, non erit proprium negatio, aut quod secundum negationem dicitur, & viciſſime.* Veluti si animalis proprium est esse animatum, non erit eius proprium esse non animatum. Repetatur tamen quod de contradictoriis prædicatis dixi ad axioma 1. *num* 12.

29 Nunc intelligendum est hoc axioma cum ampliatione ad quamvis contradictionem, explicitam & implicitam, & ad quamvis potentiam, creatam & increatam. Unde in summa est impossibile omni naturæ creatæ & increatæ ut faciant, quæ vel contradictoria sunt præcisè vel etiam contradictionem implicant, esse vera simul de eodem. Atque hinc etiam obiectum divinæ potentiæ statuitur, id quod non implicat contradictionem. Unde consequenter infertur: Deum non esse impotentem, si maximè non possit id quod involvit contradictionem. Uniuscuiusque enim potentia est ex obiecto proprio æstimanda. *Omnipotens est Deus ad facienda maiora & minora. Omnipotens est ad cœlestia et terrestria. Omnipotens est ad mortalia & immortalia. Omnipotens est ad facienda spiritualia et corporalia, visibilia et invisibilia. Omnipotens est ad facienda omnia quæ voluerit. Aliàs aliqua non potest* (quæ scilicet contradictionem implicant) *Non potest mori, non potest peccare, non potest mentiri, non potest falli.* Ait *Aug. sermon. 119. de Temp.*

Caput XX.
De Privantibus.

1. Privantia sunt contraria negantia, quorum alterum negat in eo tantum subiecto in quo affirmatum suâque naturâ inest.

2. Termini hic oppositi dicuntur *Habitus* & *Privatio*.

Habitus est terminus affirmans.

4. *Privatio* est terminus negans.

COMEN-

COMMENTARIUS.

Primò notentur exempla. Igitur privantia sunt, *Videre & oculum esse. Audire, surdum esse. Loqui & mutum esse. Lux & tenebræ. Divitiæ & paupertas. Apertum & mutum esse.* &c. 1

Ipsum argumentum dicitur, *Privantia*, numero plurali, quia utrumque & quod arguit & quod arguitur, h.e. & habitus & privatio hac voce intelligitur. Ex quo intelligitur appellationem hanc Synecdochicam esse, quia specialiter imposita est à parte altera à privantium, h.e. privatione. 2

Declaranda nunc esset ambiguitas in voce habitus. Sed id satis factum est *in Introd. Log. cap. 8. comm. num. 21.* Solùm tenendum est, quod hic habitus sumatur pro omni re, quæ subjecto alicui per naturam convenit, aut convenire non repugnat. 3

De voce Privationis.

Præmittimus hic aliquid de ambiguis significationibus vocis privationis, quarum aliquas enumeravit, *Arist. 5. Met. c. 22.* στερησις λεγεται μεν τροπον, ἀν μη ἐχοντα των μὲ πεφυκοτων ἐχειν καὶ ἁπλως ἀν μη ἐχῃ. *Privatio dicitur uno modo, si quid non habeat uno modo ea quæ apta sunt habere, etiamsi illud quidem non sit aptum in habere.* Ita planta dicitur privata esse oculis. *Secundo:* Privatio est, cum aut ipsum, aut genus ejus, est aptum aliquid habere & non habet. Sic homo dicitur cæcus, & talpa cæca, cui ratione generis, (animalis) convenit videre. *Tertiò.* Si quid aptum sit habere & quando aptum est habere, & tamen non habet. Ita cæcitas privatio est, non tamen in quovis animali, secundùm omnem ætatem, sed si non habet in ea, in qua aptum est habere. Ita catulos non vocamus cæcos ante nonum diem, secundùm hanc significationem. *Quartò.* Privatio etiam dicitur βιαια ἐκστασεως, h.e. *violenta cujusvis ablatio*, & sic ex parte auferentis privatio significat actionem, ex parte alterius est passio. Sic Deus privat nos beneficiis. *Quintò.* Privatio dicitur, ὁσαιδηποτε ἀποφασεις λεγονται ἀπο τῶν, *quotiescunque negationes dicuntur per vocem* IN. Veluti, inæquale, invisibile. *Sextò:* Privatio dicitur, cum aliquid habet aliquid parùm, aut debiliter. Ita χωλος *Impes* dicitur, qui habet (non quidem nullos sed) debiles pedes. Item oliva dicitur *exossis*, quod exile quoddam os habeat. *Septimò:* Privatio dicitur, cum aliquid

habet aliud, sed non facilè vel benè. Sic *insecabile* dicitur etiam id quod non facilè aut benè secatur. *Octavò.* Specialiter dicitur privatio cum aliquid re aliquâ caret totaliter. Ita cœcus appellatur, non qui unoculus, sed qui utriusque oculi visu caret. Hæc *Arist.* ferè eo loco docet.

5 *Privatio Physica.* Sumitur autem præterea privatio pro absentia formæ futuræ, quo sensu privatio numeratur inter principia rerum naturalium. Indeque solet vocari privatio *Physica.* Talis privatio est (in aqua frigida quæ calefit) carentia futuri caloris; Et (in re calida, quæ est refrigeranda) carentia futuri frigoris; & in generatione hominis, carentia formæ humanæ, &c.

De definitione privantium.

6 Nunc declaranda est definitio privantium. Ubi de definito antè dixi intelligendum id esse Synecdochiè, quia sumit suam appellationem à privatione. 1. Dicitur quòd sint *contraria negantia.* Patet hoc. Nam habitus est terminus affirmans, Privatio est terminus negans. At contraria negantia sunt quorum alterum ait, alterum negat:

7 2. Dicitur: *Alterum negare in eo subjecto in quo affirmatum suâpte naturâ inest.* Sensus est: Quòd privatio sit negatio, sed tamen non infinita, eò quòd non negat in omni subjecto, sicut negatio contradictoria, sed negat solùm in aliquo subjecto. Sed in quo subjecto negat privatio? *Resp.* In eo subjecto quod affirmati sive habitus suâpte naturâ capax est, ita cœcitas non negat in omni re, de qua non prædicatur visus, sed negat solùm in ea re, cui suâpte naturâ convenit visus, E. solùm animal potest dici cæcum, quia solum animal suâpte naturâ est capax visûs, & sic in cæteris.

8 Cæterum *suâpte naturâ inesse* dicitur id, quod subjecto convenit saltem per non repugnantiam. Nam non omnis habitus suâpte naturâ inest, hoc est, eo modo, ut fluat ex internis principiis subjecti sui. Nam divitiæ dicuntur in Logicis hoc loco habitus (respectu paupertatis, quæ est privatio.) Ergò divitiæ suâpte naturâ insunt, suâpte naturâ unquam, non quia fluunt ex principiis intrinsecis hominis, sed insunt suâpte naturâ, quia naturæ hominis non repugnat habere divitias.

9 Hinc ergò dico: Omnem habitum esse aliquod attributum positivum, quod suo subjecto convenit suâpte naturâ, hoc est, vel per fluxum ex principiis subjecti, vel saltem per non repugnantiam existendi in isto subjecto. Privatio autem dicitur terminus

terminus negans, quo significetur, aliq iam rem positivâ alicui subjecto non convenire, quæ tamen ei convenire potuit. Vel ex principiis ejus intrinsecis, vel saltem per nullam repugnantiam. Ex quo apparet: malè & populariter dici, *Pisces esse mutos, & talpam esse cæcam* Nam cœcitas talpæ, & vox pisci per naturam non conveniunt.

3 In definitione ponitur vox *inest*: Illa autem amplianda est hoc sensu: Privantia sunt, quorum alterum suâpte naturâ inest, vel inesse debuit & potuit. Privatio enim non solùm est carentia forma quæ fuit, sed etiam quæ potuit fuisse, aut esse; sicut hominem vocamus cœcum, qui inde usquè à nativitate nunquam vidit, sed tamen secundum perfectionem naturæ suæ videre debuit. Et sic in aliis. Posteà autem in canonibus erit hoc clarius. 10

I. QUÆRITUR:

An & quomodo contradicentia distinguantur à privantibus.

Inprimis non videtur esse eorum distinctio, propter duo. 11
1. Si qua esset privantium & contradicentium distinctio, illa esset ex diversitate negationis. Et hoc nihil; quia negationes nec possunt esse differentiæ aliorum, nec alia possunt esse differentia earum, ut *Aristot.* habet de privatione, 1. *de part.* 3. Deinde videntur rectè privantia comprehendi sub contradicentibus, ut inferius sub suo superiori. Nam contradictio constituitur per negationem absolutè sumptam. Sub illa autem comprehenditur etiam negatio, in certo subjecto. Veluti si quid prorsus non sit sub hac negatione, *non videns*, etiam non erit sub hac negatione, quæ significatur per *cæcum*, & sic in aliis.

Hæc priùs sunt removenda, antequam constituamus discrimen contradicentium. 12

Igitur *ad primum* admittendum est: negationes non habere differentiam intrinsecam. Hæc enim non competit nisi Enti. Nihilominùs negationes possunt habere distinctionem, vel differentiam aliquam extrinsecam, veluti à connotatione subjecti, aliisvè, ut infrà dicetur, *sect.* 9. Et sic contradicentia & privantia adhuc satis distinguentur per hoc quòd negatio privativa connotat subjectum, in quo aptus sit esse habitus. Negatio autem contradictoria negat ubique, etiam in subjecto, quod ineptum est, ut in eo sit habitus, Vide *Suarez disp.* 54. *sect.* 3. *num.* 8. & *Zabarell.* 1. *de prim. mat. c.* 7. *text.* 10. 13 *Negationes quomodo differant.*

14 *Ad ſecundum* reſpondeo: Privantia non poſſe comprehendi ſub contradicentibus, quia negatio contradictoria ſumitur cum præciſione & remotione illius conditionis, quæ negationem privativam conſtituit, quæ eſt, connotare aliquod determinatum ſubjectum. Confer *Colleg. Conimb lcg. Cat. cap.* 10. *qu. unic. a.* 5. ubi addit hanc regulam: Quando prædicato communi (quale hic eſt negatio) tribuitur aliquid prout præſcinditur à conditione alicujus inferioris, non cenſetur inferius quod illam conditionem ſub eo contineri. Quia igitur contradicentia in ſua negatione includunt hanc conditionem, quod non determinent ſubjectum certum, idcirco ſic unum ſub altero non continetur, ſed adhuc ſufficienter contradiſtinguuntur.

15 *Diſcrimina contradicentium & privantium.* Sunt autem in ſumma varia diſcrimina contradicentium & privantium 1. eſt, quod tactum, de differentia negationis & privationis Hæc connotat ſubjectum aptum ad habendum habitum; illa non. 2. Differunt, quòd contradicentia carent omni medio, per communicationem & per negationem. At privantia habent medium negationis. Eſt enim, quod nec ſit videns nec cœcum, ut lapis. Hoc diſcrimen attingit, *Ariſtot.* 10. *Meta. h. cap.* 4. 3. Etiam differunt, quod contradictio (niſi implicita ſit) exprimitur per particulam negandi NON, ut videns, *non* videns; bellum *non* bellum. At id non eſt in privantibus.

II. Quæritur:

Privatio Phyſica et forma quomodo opponantur?

16 Privatio illa & forma ab *Ariſtotele* dicuntur principia contraria, 1 *Phyſ. c.* 6. 1, 50. Non poteſt autem ibi contrarium ſumi ex conſuetudine *Ariſtotelica*, pro eo quod eſt contrarium adverſum. Nam in adverſis utrumque eſt aliquid poſitivum. At id hic non eſt. Nam privatio etiam Phyſica, eſt non ens, eſtque nihil aliud, quàm vacuitas ſive abſentia, aut carentia formæ in materia, quæ in eam introduci debet. Vide *Sᵗᵃˢ. exerc.* 5. *ſect.* 2. *et* 1. *de plant. pag.* 183. Igitur *Toletus*, aliique interp: ad iſtum locum, ut & *Colleg. Conimbr.* 5. *Phyſ. c.* 1. *q.* 3. Contraria ibi exponunt pro privantibus. Sumpſitque hoc modo *Ariſt:* etiam vocem contrariorum, 1. *de ſomn. et vig. cap.* 1. ubi ſomnum & vigiliam contraria dicit.

17 Quid hac in re ſentiendum? Exiſtimo iſtam formam & privationem phyſicam eſſe privantium exempla. Ita patet. Nam

Nam adversa non sunt, ut jam probatum est. Nec sunt relata, eodem argumento, quia horum utrumque est aliquid positivum. Nec sunt contradicentia. Nam privatio Physica non est infinita negatio. Neque enim in lapide, in quo non est forma humana, dicimus esse privationem formæ humanæ, quia absentiæ illi non est conjuncta potentia ad hanc formam. Vide, *Zab. lib. 1. de prim. mat. c. 7. f.* 148. Relinquitur igitur ut sint privantia. *Sententia autoris.*

Objicis: Privatio Physica & Logica opponuntur. E. ista sub hac non potest comprehendi. Et confirmatur antecedens Nam privatio logica privat formâ quæ fuit, vel esse debuit. At privatio Physica privat formâ, non quæ fuit, sed quæ futura & introducenda est in materiam. 18

Ad hoc *Resp.* 1. Physicam privationem esse etiam logicam privationem ut patuit in prioribus. Unde 2. Cùm privatio physica & Logica distinguuntur, vox privationis *Logicæ* sumenda est specialiter, pro ea, quæ solùm Logica est & nullo modo Physica. Igitur omnis privatio, quam Logicus privationem dicit, est vel Logica præcisè, & quæ sic est dicitur Logica privatio, negátque solùm formam, quæ esse debuit: vel simul est; Et hac negat formam futuram. Ex quo relinquitur Logicam privationem ut sic & in omni latitudine suâ solùm negare habitum ad formam, & id quidem in subjecto apto nato. Ut neget eam quæ fuerit, vel futura sit, non pertinet ad rationem Logicæ privationis, ut sic, sed in quantum vel Physica, vel specialiter Logica dicitur privatio. 19 20

CANONES.

I. *Privatio & habitus sunt circa idem.* Ita *Aristot. l. Cat. c.* 10. §. 11. στέρησις δὲ καὶ ἕξις λέγεται περὶ ταυτόν· ἡ οἶν ἀλλις καὶ τυφλότης περὶ ὀφθαλμόν. Καθόλου δὲ εἰπεῖν ἐπὶ παν μέσυκεν ἡ ἕξις λέγεται περὶ τοῦ ἔχεται ἑκάτερον αὐτῶν. Hoc est. *Privatio & habitus dicitur circa idem, veluti visus & cæcitas circa oculum. Summatim autem loquendo, in quo natura habitus dicitur, circa illud dicitur quoq; utrumque istorum.* Est autem sensus axiõatis, non quod habitus & privatio dicitur *simul* esse in eodẽ subjecto, sed quod saltem successive, siuẽ in sensu diviso eidem rei, conveniat habitus & privatio. Arq; adeò secundùm hoc axioma, nulli rei cõpetit privatio, cui non possit etiam competere habitus. Nulla res vocatur cœca, vel surda, vel muta philosophicè, cui non conveniat visus, auditus,

vel vox. Dico *Philoſophicè:* Nam populari loquendi genere, piſces mutos, & talpam cœcam dicimus: juxtà quod *aliquem dicimus magis mutum eſſe quàm piſcem*; & *talpâ* eſſe *cæciorem*

21 Per habitum autem hoc loco (mittendo alias ſignificationes ejus) ſignificatur forma illa poſitiva, quæ privationi opponitur.

22 *II. Privatio negat in ſubjecto, cui naturâ competit habitus.* Habetur apud *Ariſtot. l. Categ. c.* 10. §. 12. *Tunc*, inquit, *dicimus ſingula, quæ habitum recipere poſſunt, privata eſſe, cum in quo natura ineſſe debet, aut quando naturâ haberi debet nullo modo ineſt. Edentulum* dicimus, non quod non habet dentes; & *cæcum*, non quod non habet viſum, ſed quod non habet, quando naturâ habere debet. Nam quædam ab ortu nec viſum (ut talpæ) nec dentes (ut infantes) habent, non tamen dicuntur edentula, vel cœca.

23 Quomodo autem intelligenda ſit vox *naturâ*, ad definitionem privantium ſatis dictum eſt. Ac inprimis quidem intelligitur de privatione Logica, rectè tamen etiam applicatur ad privationem phyſicam. Nam hæc ſemper conjuncta eſt cum naturali potentia ad recipiendam formam. Ex hoc axiomate ſequitur illud de privatione Logica: *Privatio præſupponit habitum.*

24 *III. A privatione ad habitum non datur regreſſus.* Hoc habet *Ariſtoteles, l. Categ.* 6. 10. §. 20. ἐπὶ πᾶσι στερήσεως καὶ ἕξεως, ἀδύνατον μεταβολὴν γενέσθαι εἰς ἄλληλα. hoc eſt, *in privatione & habitu impoſſibile eſt mutationem fieri ad invicem* Et addit ibi. *Et ſi ab habitu ad privationem mutatio ſit, tamen à privatione ad habitum fieri non poteſt. Neque enim qui cœcus factus eſt rurſus aſpexit, neque calvus comam recipit*, &c. Cæterùm neceſſariò ad hoc axioma addenda eſt aliqua limitatio. Nam homo tranſit ad mortem à vita, & rurſus à morte ad vitam, ut oſtendit reſuſcitatio mortuorum. Item: in homine eſt alternatio ſomni & vigiliæ, motûs & quietis, ut ab his ad iſta, & ab iſtis ad hæc ſic regreſſus. Idemq; eſt de ebrietate, & ſobrietate in aëre de luce & tenebris, &c.

25 *Limitatio axiomatis* Hac in re dicendum eſt. *I.* Regreſſum à privatione ad habitum fieri poſſe, divinâ & ſupernaturali virtute. Id autem latis apparet per reſuſcitationem mortuorum. Ex quo primùm limitanda eſt propoſitio: *A privatione ad habitum non datur regreſſus, niſi per peculiarem vim primæ cauſæ.*

II. Nihilo-

II. Nihilominùs adæquatam hanc non esse limitationem apparet, quòd per naturam detur istiusmodi regressus, ut manifestum fuit ex prioribus exemplis, de somno & vigiliâ, Luce & tenebris.

Sed quænam privationes tales sunt à quibus dari possit regressus, quænam non, non est facilè dijudicare. Certè ab aliquibus datur per naturam regressus, ut patuit de somno & vigiliâ, ab aliquibus per naturam non datur regressus, ut patet de morte. 26

Q. A quibus privationibus dicatur regressus, à quibus, non?

Suarez in indice Arist. ad l. 8. Metaph. cap. 5. q. 2. & disp. 54. s. 5. n. 19. Videtur indicare quòd naturaliter à privatione ad habitum non dicatur regressus esse posse loquendo *de eodem numero* habitu, vel formâ; veluti aërem non posse post tenebras recipere eandem numero lucem, quâ per istas tenebras privatus fuit. Posse nihilominùs à privatione dari regressum ad habitum *eundem specie*. Sed nihilominùs negari non potest, esse aliquas privationes, à quibus neque ad habitum specie eundem per naturam regressus detur, ut patet de morte hominis: Ad hoc igitur quæritur: Quænam privationes permittant reditum ad habitum (eundem specie) quænam non? 27

Duo igitur sunt respondendi modi. 1. A privatione ad habitum non dari regressum, loquendo de eo habitu, qui sit proprietas aliqua ingenita & naturalis, secus autem est, loquendo vel de actibus, vel de attributis acquisitis. Nam multi habitus amissi possunt recuperari, & multi actus intermissi possunt renovari. Ita docuit *Niphus. 1. Metaph. q. 4.* Ac fortassè non est instantia contra talem limitationem, nisi ex qualitatibus Elementaribus. Aqua enim amissam humiditatem (in congelatione) potest recipere, & similiter frigus, & tamen humiditas & frigus sunt qualitates naturales aquæ. Etsi autem proprietates Elementorum sint satis irregulares, & in multis cum aliis proprietatibus non conveniunt. Nihilominùs. 28

Secundò & melius dicitur: A privatione (nempe totali) non dari regressum. Privatio autem totalis est, quâ positâ, tolluntur causæ saltem aliquæ, ad productionem formæ privatæ, necessariæ. Negatis autem causis sufficientibus, res esse non potest. Sic ergò à morte non datur per naturam regressus ad vitam, quia mors removet necessarias causas ad vitam, animalis necessarias, nempe animam, calidum nativum, & humidum 29

midum radicale, &c. A tenebris autem ad lucem datur regreſſus, quia tenebræ non tollunt cauſas luminis. Adæquata enim cauſa luminis eſt Sol, qui non deſinit per deſitionem alicujus luminis in aliquo hemiſphærio. Videantur hâc de re
30 Interpp. *Ariſt. 8. Met. c. 5. & l. Cat c. 10.*

IV. *Privatio eſt quidam habitus.* Ita *Ariſtot 5. Met. 17.* στέρησις ἐστ ἕξις τις *Privatio eſt quidem habitus* Eſt autem in ea locutione vox, quidam nomen emolliens, & improprietatem ſignificans, unde aliàs dicitur: Habitum eſſe privationem *quodammodo*, ἢ στέρησις εἶδ & πῶς ἐστ. *Privatio ſpecies quodammodo* eſt *l. 1. Phyſ. c 8. 75.*

31 Duo igitur ſunt hic tenenda. 1. Privationem propriè & accuratè loquendo non eſſe habitum. Sunt enim habitus & privatio oppoſita. At unum oppoſitum non prædicatur de oppoſito altero. Habitus quidem eſt privatio, non tamen eſt verus habitus, ut ſpecies ejus, aut ut differentia ſpeciem conſtituens, inquit *Scal. exerc. 18 p 87.* II. Habitus & privatio habent quandam ſimilitudinem, & convenientiam, quę oritur ex diſtinctione negationis & privationis. Nam negatio (ita ſpecialiter appellari ſolet negatio contradictoria vel infinita) negat prorsùs & abſolutè. Privatio autem non negat prorsus. Nam loquendo de privatione Phyſicâ, non negat ea privatio vel materiam, vel materiæ potentiam, imò ea eſt quaſi ſubjectum privationis. Loquendo autem de privatione Logica hæc ſimiliter non tollit naturalem aptitudinem in ſubjecto cui convenit. Imò privatio Logica ſolùm convenit ei rei, quæ poteſt habere habitum. Ex quibus apparet in duobus privationem eſſe habitui ſimilem. 1. in eo, quòd (non negat) prorsùs, ſed adhuc aliquid relinquit. 2. Quòd ſubjecto tribuitur per modum alicujus inhærentis formæ, ut cœcitas oculo, & caligo aëri, &c.

31 V. *Privatio non eſt Ens: Privatio eſt Ens.* Utrumque habet *Ariſt.* Igitur privationem vocat non Ens *lib. 5. Phyſic. c. 8. t. 75.* φαμὲν γίνεσθαι τι ἐκ μὴ ὄντ, οὐ κατα συμβεβηκὸς, ἐκ δὲ τῆς στερήσεως, hoc eſt, *dicimus fieri aliquid ex non Ente, velut per accidens: Nam ex privatione.* Hic docet *Ariſtoteles*, fieri aliquod ex non Ente, quia fit ex privatione, Supponens privationem eſſe non Ens.

[33] Idem etiam docet privationem eſſe Ens. Habet enim eam, ſicut & negationem, in enumeratione Entium. *4 Met. c. 2. t. 2.*

Utrumque explicatur & conciliatur ex ambiguitate in voce.

voce Entis. *Ens* aliquando ſumitur ſpecialiter, pro omni eo ſolùm quod habet veram & realem eſſentiam. Et ſic privatio non eſt Ens. Nam privatio non habet, ſed removet eſſe. Deinde Ens dicitur generaliùs omne illud, de quo affirmativè aliquid nunciari poteſt. Affirmativa enim prædicatio fit per verbum *eſſe*. Et ſic privationes & negationes ſunt Entia. Hoc enim modo affirmativè dicimus: Cœcitatem *eſſe* in oculo. Negationem *eſſe* terminum contradicentem. Sed hic inquiramus.

I. *An non veram & realem Entitatem habeant privationes?*

Videtur quòq ſic. Nam. 1. privationi tribuitur eſſe *Gen.* 1. *v.* 2. Et tenebræ *erant* ſuper faciem abyſſi. 2. Privationes recenſentur inter opera Dei, *Eſ.* 45. *v.* 7. Ego Deus formans lucem, & creans *tenebras*, faciens pacem, & creans *malum*. Atqui & tenebræ & malum privationes ſunt. 3. Privationi bus in Scriptura tribuitur operatio, veluti, quòd tenebræ dicuntur laudare Dominum *Dan.* 3. At operatio non convenit niſi Enti reali. 4. Idem probatur ex philoſophia. Frigus *Ariſtoteli* dicitur privatio, ſicut & gravitas *l. de gen. & int. c.* 3. *t.* 18. τὸ μὲν θερμὸν κάτωφερὲς πῦς ἐστὶ, τὸ δὲ ψυχρὸν πῆξις. Et iſta tamen habent reales operationes. Frigus enim refrigerat, addenſat, &c. Gravitas ponderat & deorſum movet. Sic enim nigrum eſt privatio albi, apud *Ariſt.* 3. *Meteor de Iride*, & 10. *Metaph.* 7. Et tamen nigrum habet realem operationem, veluti congregationem visùs. 5. Non Ens non poteſt ſentire, quicquid enim ſenſile eſt, id Ens eſt, quia terminat & movet ſenſum, quæ non Entibus convenire non poſſunt. Atqui aliquæ privationes ſentiunt, ut *Ariſt.* docet 2. *de anim* ubi docet, tenebras ſentiri. 34

Nihilominùs eſt in oppoſitum dicendum, quòd privationes non ſint entia realia. Nam ſi privationes eſſent entia realia, tunc omnes privationes eſſent. Prout enim privationes ſunt, non habent diſtinctionem. Sed id non eſt. Nam omni Enti reali convenit realis eſſentia, quæ indicatur per reales operationes. Hæ autem non conveniunt omnibus privationibus. Nam quæ operatio aut eſſentia eſt nuditatis, ſilentii, &c. Igitur ad oppoſitas rationes reſpondendum eſt. 35

Ad *primum* reſpondeo: Privatio dicitur eſſe, & ens, nempe quatenus utrumq; ſtatè ſumimus, non autem ſumendo voces eas de eo, quod veram eſſentiam & reales operationes habet. 36

Ad

37 *Tenebræ bifariàm, dicuntur.*

Ad *secundam* respondeo 1. De tenebris: Tenebræ dicuntur bifariàm. *Primò*, tenebræ sumuntur præcisè, & quasi in abstracto. Et sic non sunt ens, nec aliquid creatum. Et sic *August. lib. 1. de gen. contra Manich. c. 4.* Tenebræ non sunt aliquid, sed ipsa lucis absentia, sicut silentium non aliqua res est, sed ubi sonus non est, silentium dicitur. Et nuditas non aliqua res est, sed in corpore, ubi tegumentum non est, nuditas dicitur. Sicut & inanitas non est aliquid, sed inanis (vacuus) dicitur locus, ubi non est corpus. *Secundò*, tenebræ sumuntur quasi concretè, pro ipso corpore tenebroso, sive pro aëre obscurato, aut etiam aëris obscurâ qualitate. Et secundùm hoc tenebræ sunt Ens, & aliquid creatum. Vide *Lombardum l. 2. sent d. 12. c. d.*

38 2. De malo dico, ibi intelligi malum pœnæ, hoc est, calamitatem. Et in specie oppositio ad pacem indicat intelligi hic bellum. Calamitates autem & in specie bellum, non sunt propriè privationes. Similis acceptio est *Amos 3. v. 6.* Num erit *malum* in civitate, quod non fecerit Dominus? Ubi *Lutherus* vertit per Unglück. Confer *Damasc. lib. 4. de orthod. fid. c. 20.*

39 Ad *tertiam* respondet *Lombardus d. loc.* Tenebras etiam sumi, *Dan. 3.* pro aëre tenebroso. Ubi ibi non assignatur operatio privationi. 2. Tum etiam non intelligitur ibi operatio indicans esse reale. Tenebræ enim benedicunt, non loquendo aliquid, sed solùm occasionaliter, seu præbendo occasionem, sicut idem de cœlis dicitur *Psal. 19. v. 1.* De quo *Chrysost. Hom. 9. ad populum Antioch: Tacet cœlum, sed ipsius effectus vocem tubâ clariorem emittit per oculos, non per aures docens.*

40 Ad *quartam*: Frigus, & gravitas & nigredo dicuntur ab *Aristotele* privationes, sed impropriè & per similitudinem. Vide *sup. c. 17. can. 8.*

41 Ad *quintam*: Privationes, ut tenebræ, dicuntur sensiles, non per se, sed per accidens, quod privationibus, & non Entibus non repugnat. Video igitur tenebras, non quasi tenebræ speciem sui spargant & actuent oculum meum, sed quia non video lucem. Aut etiam non videntur tenebræ sub ratione propriâ, sed sub specie nigredinis. Et sic adhuc videntur per accidens.

42 *VI. Privatio et habitus non sunt in eodem genere.* Est 4. *Top. c. 4. §. 5.* Unde infert *Aristoteles*: Si aspectus sit sensus, quòd

quòd cœcitas non ſit ſenſus. Eſt autem id clarum, quia privatio eſt non Ens. Habitus Ens. At Ens non & Ens in nullo genere conveniunt. Hinc colligitur, vitium (quod *Ariſtot.* 10. *Met. c.* 4. privationem vocat) non eſſe verè privationem virtutis, quia cum virtute eſt in eodem genere. Utrumque enim eſt habitus, & ſic in aliis.

VII. Privatio non ſuſcipit magis & minùs. Hâc de re 43
inveniuntur contraria. Aliqui enim, diſtinguentes negationem à privatione, dicunt negationem non poſſe ſuſcipere magis & minùs. Privationem autem poſſe. Et ita eſſe apparet. Nam mors proculdubiò privat magis animal operationibus ſenſitivis, quàm ſomnus. Et tenebræ magis privant à lumine, quàm umbra. Sic & amiſſio decem graduum caloris, privat magis quàm amiſſio gradum duorum, triúmve. Alii tamen negant privationem magis & minùs ſuſcipere. Elegans eſt hac de re locus *Plutarchi in lib. de primo frigido.* τερπνὰς ἀφιμὶ δέχεται τὸ μᾶλλον, ἢ ἧττον. Οὐδ' ἂν εἴποι τὸ ἕτερον ἑτέρου μᾶλλον πεπηρῶθαι τὴν μὴ βλεπόντων, ἢ σιωπᾶν τὴν μὴ φθεγγομένων, ἢ τεθνάναι τὴν μὴ ζώντων. *Privatio nulla ſuſcipit magis aut minùs. Neque enim dixerit aliquis, alium alio magis cæcum eorum, qui non vident, aut tacere eorum, qui non loquuntur, aut mortuum eorum, qui non vivunt.*

Hâc in re dicendum eſt 1. *Privationem non ſuſcipere magis* 44
& minùs. Loquendo de privatione, ut eſt privatio. Nam intenſio & remiſſio eſt, prout magis minúſve radicatur aliqua Entitas in ſubjecto. At privatio non dicit Entitatem, ſed eam removet. Ergò nec habet etiam eam magis minúſve radicatam in ſubjecto.

2. Dicendum eſt: *Privationes partiales (quæ dicuntur)* 45
non eſſe purè privationes & in totum. Privationes enim partiales negant quidem formam, quia privationes ſunt, ſed tamen adhuc aliquid Entitatis relinquunt, quia partiales ſunt. Sunt igitur ſolùm & purè loquendo privationes in quantum aliquam Entitatem removent, de cætero autem non ſunt privationes, in quantum ad huc aliquid de habitu oppoſito relinquunt. Etſi non ſit diffitendum, voce *privationis* etiam quandoque comprehendi abſolutè amiſſionem partialem formæ, ut *Ariſtoteles* docet, 3. *Met. c.* 22. & nos ſuſuprà retulimus.

Sic ergò ex his 3. dicendum eſt: *Privationem (partialem)* 46
ſuſcipere magis & minùs, in quantum habitus oppoſitus,
quem

quem totum privatio partialis non tollit, magis minùve radicatur, relinquitur. Illa ergò privatio partialis erit maxima, quæ pauciſſimos gradus de habitu oppoſito reliquerit; ea erit minima, quæ plurimos gradus de habitu oppoſito reliquerit.

47 *VIII. Privatio non ſentitur.* Hoc paſſim occurrit apud Philoſophos. Aſcribam hac de re verba *Plutarchi ex lib. de primo frigido.* στέρησις ἔστε ὁρατοῦ, ἔστε τε ἀκουστὸν ἔστε αἰσθητὸν. Φησὶ ταῖς ἄλλαις αἰσθήσεσι γνωστόν, hoc eſt, *privatio nec viſibile, nec audibile, nec tangibile, nec aliàs ſenſibile quid eſt.* Et apparet veritas hujus. Nam privationes ſunt non Entia. Non Entia autem non poſſunt movere. Ac quicquid eſt ſenſibile, hoc movet ſenſum. Intellectus quidem intelligit privationes, ſed hoc non fit, quaſi privatio propriam ſuam ſpeciem ingeneret intellectus, ſed quia intellectus comparet eam ad habitum, ut per remotionem illius eam cognoſcat. Talis autem comparatio non ingreditur ſenſum, cujus operatio eſt recta ſolum, non diſcurſiva.

48 *Objectiones.* Ut rem pleniùs cognoſcamus, formabimus objectiones: 1. Nigredo ab *Ariſtot in Meteorologicis* dicitur privatio, indéque *Zabar. lib. 1 de viſu. cap.* 2. dicit, eam non minus eſſe privationem albedinis, ac tenebræ ſunt privatio luminis. Et tamen nigredo ſentitur. *Deinde* frigus eſt privatio *Ariſtotcli 2. de gen & int. c. 3. t.* 18. Et tamen reponitur inter objecta tactûs *lib. 2 de an. cap.* 11. *t.* 217. *Tertiò*, quies & grave ab *Ariſtot. de cœl. t.* 18. dicuntur privationes levitatis, motúſque. Et tamen grave etiam eſt objectum tangibile. Quies autem refertur etiam inter ea, quæ ſunt per ſe ſenſilia, apud *Ariſtot. 2 de an. cap. 6. t.* 64. Ubi recenſet eam *Ariſtot.* inter ſenſilia communia. Senſilia autem communia ſunt ſenſilia per ſe, ut præcedente textu *Ariſtoteles* dixerat. *Quartò*, *Ariſtot. 2. de an. t* 103. docet, guſtari etiam inſipidum. At inſipidum eſt privatio ſapidi. *Quintò*, probatur per experientiam. Nam experitur quivis ſe audire etiam ſilentium, ubi non eſt ſonus; & eſſe tenebras, ubi non eſt lumen. Et ſic in cæteris. At ſilentium & tenebræ privationes ſunt.

49 *Objectio. Privatio ambiguè dicitur.* Pro deciſione totius rei duo ſunt notanda: Unum de voce privationis, alterum de ſenſibili. Vox ergò *privationis* quandoq; ſumitur impropriè. Et tunc dicitur (non quod dicitur eſt habitûs carentia, ſed) quod eſt ſpecies ignobilior è duobus contrariis. Eſtque hic modo loquendi valdè uſitatus

Ariſtoteli

Aristoteli, ut docent *Conimbr: 2. de gen. cap. 3. ad t. 18. in explic.* Et hoc dicitur frigus caloris, quies motûs, nigredo albedinis, gravitas levitatis privatio. Frigus appellatur privatio caloris, respicienda ad caloris nobilitatem, inquit, *Scalig exerc.* 18. Idémque insinuat de cæteris. Atque sic ex hoc apparet, quid ad secundum & tertium respondendum sit. *Privationis* enim vox in superiori axiomate sumitur pro eo, quòd verè privatio est, & in rigore, non autem impropriè, quatenus etiam quædam Entia positiva, propter ignobilitatem suam dicuntur privationes.

50 *Nigredo non est verè privatio.*

Indéque dicendum est de nigredine. Neque enim verum est, nigredinem accuratè loquendo privationem esse, ut vult *Zabarella*. Habet enim nigredo causas veras & naturales, unde fiat, & præterea operationes Physicas & reales, visûs congregationem, &c. Hæc autem indicant essentiam ejus positivam, neque conveniunt privationi propriè dictæ.

51 *Sensibilium differentia.*

Deinde, sensibile etiam duplex est, per *Aristot. 2. de an. cap. 6.* Sensibile aliud est per se sensibile, aliud per accidens. Atque hinc dicendum: privationem saltem per accidens sentiri, quatenus scilicet non est objectum, quod potentiam sensitivam excitet. Atque hoc solum probatur ultimo argumento. Nam aliâs per experientiam patet, quòd privationes per se sensibiles non sint. Nam quilibet in se experitur, quòd silentium, v. g. non moveat actuet sensum suum, ut ingeneret ei peculiarem sui speciem, quòd faciunt ea, quæ per se sensibilia sunt. Quanquam *Pluv. l. de prim. frigido.* non sentiri, sed intelligi solùm dicit privationes, ἀπὸ τῆς σιγῆς ἀκούομεν· ἀλλὰ κὰν μηδενὸς ἀκούωμεν σιγὴν νοοῦμεν *Non audimus silentium, sed cùm nihil audimus, silentium intelligimus.*

52

Denique de *insipido* distinguendum est. Insipidum aliquando sumitur privativè, pro eo, quod saporem non habet. Deinde insipidum dicitur, non quod nullum saporem habet, sed quod non habet saporem jucundum. Tertio insipidum dicitur, quod valdè parum habet de qualitate gustatili, & denique quod excellit in qualitate gustatili. Ex quibus dicendum secundùm primam significationem esse sensibile solùm per accidens, sicut aliæ privationes, insipidum autem secundùm cæteras significationes non significat privationem.

53 *Summa dictorum.*

Ex hic omnibus adæquata limitatio est: Privatio propriè dicta, (quatenus distinguitur contra Ens positivum) non est sensibilis, scilicet per se. Unde duo relinquuntur. 1. Privationem

nem propriè dictam esse sensibilem per accidens. Deinde privationem impropriè dictam, hoc est, Entia privativa, quæ aliis ignobiliora sunt, esse sensilia enim per se.

54 IX. *Privationis nulla est differentia.* Ita *Aristot. 2. de parts an. cap. 3.* ἐπ δὲι διαφορὰ στερήσεως ἡ στέρησις, ἀδύνατον γὰρ εἶδη εἶναι τὸ μὴ ὄντος, οἷς τῆς ἀποφάσεως. *Non est differentia privationis, quâ privatio est. Impossibile enim est species esse non Entis, veluti carentia pedum.*

55 *Objicis:* An non differt cœcitas à surditate, tenebris, silentio? *Resp.* Determinando propositionem positam. Privationi non convenit differentia *intrinseca* scilicet, quæ peculiarem speciem faciat. Nam intrinseca differentia, quia facit speciem, facit Ens. At privatio non est Ens. Nihilominus extrinsecæ differentiæ possunt dari privationum, quarum duæ sunt potissimùm. *Primò* enim discernuntur per subjecta. Ita distinguitur surditas à tenebris, quarum ille est in homine, hæ sunt in aëre. *Deinde* discernuntur per oppositos habitus. Ita eædem privationes distinguuntur, quòd surditas dicat carentiam auditûs, tenebræ luminis.

Extrinsecæ differentiæ privationum.

56 X. *Privatio definitur mentione sui subjecti, & oppositi habitûs.* Axioma sumitur ex *Aristot. 6. Top. cap. 6. §. 5.* Τὸ γὰρ στέρησιν λεγόμενον ἐναντίον ἀναγκαῖον ὁρίζεσθαι διὰ θατέρου. Τὸ δὲ λοιπὸν, ὅταν δεῖ διὰ τῆς στερήσεως λοιπὸν, ὁρίζεσθαι. Hoc est: *Id, quod secundùm privationem dicitur contrarium necessarium est definire per alterum. Alterum verò (habitum) non amplius oportet per privationem definiri.* Et postea §. 8. Δεῖ τὸν καλῶς ἀποδώσοντα τὸ τί ὅτι, γιγνώσκειν ὅτι ἡ στέρησις ἀποδόναι καὶ τί ὅτι τὸ ἐστερημένον, hoc est: *Oportet eum qui benè vult definire privationem, dicere, & cujus sit privatio, & quid sit id quod privatum est.* Declarâtque hoc ibi *Aristoteles* per exemplum ignorantiæ & cœcitatis. Cœcitas non debet definire solùm aspectûs privatio, sed aspectûs privatio in oculo. Ergo ignorantia definienda est non privatio solùm, sed privatio scientiæ in intellectu.

57 Duo sunt circa hæc observanda: 1. Definitionem hic intelligi pro qualicunque descriptione. Nam definitio perfecta privationibus non convenit. Neque enim genus habet, neque differentiam, quia utraque notat essentiam, illud communem, hæc coarctatam. At essentia non convenit privationi, quæ est non Ens. 2. Cùm subjectum requiritur in definitione privationis, intelligendum est subjectum primum. Id

Duæ observationes.

indicat

indicat *Ariſtoteles citato loco.* Ait enim peccare eum, qui non definit ignorantiam per illud, in quo gignitur ignorantia, aut cùm id adjunxerit non expoſuerit, in quo *primò* eſt, ut puta non dixerit in facultate rationali, ſed in homine, vel in anima.

XI. *Privationis nulla eſt efficacia.* Item: *Privativum non eſt cauſa poſitivi.* Πᾶσα στέρησις ἀργόν ἔστι καὶ ἀνενέργητον. *Omnis privatio eſt aliquid otioſum et inefficax.* Inquit *Plutarch. lib. de primo frigido.* Et patet hujus veritas. Nam quemadmodum eſſentia indicatur per operari. Ita non eſſe indicatur per non operari, At privationes non ſunt. Alterum autem axioma tritum eſt in ore Philoſophorum. Videatur *Zabar. de reg. aëris, cap. 2. et 5. Scalig. exerc. 11. ſect. 1.* Et patet. Effectum enim non debet excedere virtutem ſuæ cauſæ. Poſitivum autem excedit conditionem privativi. 58

Uſus horum axiomatum eſt ad oſtendendum frigus, gravitatem, & nigredinem propriè non eſſe privationes, quæ tamen ſic ab *Ariſtotele* diſtinctis locis dicuntur. Nam ſingulis convenit operatio. Frigus refrigerat, condenſat, &c. Gravitas ponderat, & deorſum movet. Nigredo congregat viſum, &c. 59

Ut tamen magis intelligatur axioma, aliqua ſunt opponenda. 1. Peccatum originale eſt privatio. Dicunt enim ἀνομίαν, *Johan.* 3. Et tamen generat concupiſcentiam actualem, aliósque pravos motus. *Deinde* mors Chriſti eſt privatio, & tamen eſt cauſa ſalutis noſtræ. *Tertiò* mors quandoque contingit ex ſolo jejunio, vel fame. At jejunium & fames ſunt ſolùm privationes, nempe ſunt non comedere, vel abſtinere à cibo. Mors autem complectitur mutationes reales, nempe ſubſtantialem mutationem hominis, qui corrumpitur, & cadaveris quòd generatur. *Quartò* Media aëris regio verè frigida eſt, ut oſtendunt concretiones frigidiſſimorum corporum, quæ ibi fiunt, veluti nivis, & ſimilium, & tamen illa frigiditas ibi non eſt, niſi ex privatione ſive defectu cauſarum calefacientium; nempe nec eò pertingit reflexio radiorum ſolarium, à qua cauſa gignitur calor in aëre inferiori, nec eo pertingit vis ignis ſuperioris, unde incaleſcit ſuperior aër. Ex harum igitur cauſarum remotione, relinquitur in medio aëre frigiditas. Et frigiditas tamen eſt Ens poſitivum. 60 *Objectiones.*

Ad *primum* horum reſpondendum eſt: Peccatum originale 61

Solvuntur objectiones.

nale non esse nudam privationem, sed potiùs esse habitum corruptum. Nam scriptura quandoque definit id peccatum per defectum, ut 1. *Corinth.* 1. *Animalis homo non potest capere ea, quæ Dei sunt.* Quandoque etiam dicit esse concupiscentiam, quæ sit efficax in membris nostris, ad pariendos malos fructus, ut *Rom.* 7. Videatur hac de re *Apolog. Aug. Confess. fol.* 55. *edit. Lipsi anno* 1606. & notentur ibi dicta *Thomæ, Bonaventuræ,* & *Hugonis,* Adde etiam *Lomb. lib.* 2. *sent. d* 31. *B.*

62 Ad *secundum:* Cùm mors Christi dicitur esse causa salutis nostræ, inprimis complectitur totam obedientiam Christi, activam & passivam, & sic non est nudè privatio. Deinde cùm mors causa dicitur salutis, tùm intelligitur solùm de causa meritoria. Causa autem meritoria, non est, ut sic dicamus, causa Physica, neque enim illa influit in productionem effectûs, sed solùm est, ut sic dicamus, causa moralis, cui tribuitur effectus non per aliquem influxum ejus, sed per imputationem alterius, quomodo etiam ille, qui consulit aut rogat, solet ejus rei causa dici, quæ efficitur, ab eo, qui secundùm consilium aut petitionem alterius facit. Vide *Suarez in Metaph. disp.* 17. *s.* 2. *n.* 6. Privationis autem nulla est efficacia, quæ scilicet verum ejus influxum denotet.

63 Ad *tertium* dico: Mortem non consequi ex jejunio, ut nudâ privatione. Quod apparet ex ordine mediorum, per quem ex jejunio devenitur ad mortem. Nam per jejunium abstinetur à cibo, inde consequitur, ut desit pabulum, pro voracitate caloris naturalis, unde rursus consequitur, ut deficiat calor, & deficiat enim humidum radicale, quod deficiente humido nutrimentali, depascitur nativum calidum. Sic ergo adhuc sunt solùm privationes. Inde autem primò sequitur, si imminuatur calor, ut frigus sit fortius, quàm oportet & si imminuatur humidum, ut siccum sit fortius, quam oportet utrumque esse ad constitutionem viventis. Frigiditas autem & siccitas sunt qualitates positivæ. Et sic per has, quæ positivæ sunt, in morte mutationes reales fieri possunt, & non à jejunio adequate solùm.

64 Ad *quartam* 1. respondeo: Aerem mediæ regionis non esse absolutè frigidum, id quod eorum experientia probat, qui aliquando in media ista regione fuerunt, neque tamen tantam ad frigiditatem senserunt. Vide *Zabar. lib. de reg. aëris, cap* 8. & *Ramum in Schol. Dial. lib.* 7. *cap.* 1. Est igitur ille

De frigiditate aëris medii.

aër

aër frigidus solùm comparare, quia non est tam calidus, sicut aër extremarum regionum. Deinde nec illud probat frigidissimorum corporum concretio, quæ ibi fit, ut apparet ex hoc ordine. Nam vapores ascendentes habent naturalem frigiditatem, ad quam qualitercunque reduci medius aër, eo ipso, quia non est summè calidus; postquam autem aliqua impressio frigoris facta est, tunc vapores illi seipso reducunt, non secus ac vinum, primò calefactum qualitercunque à ventriculo, postea magis invalescit in seipso, ac sibi dat majorem calorem, quàm acceperit à ventriculo, ut eruditè disputat *Zabar. de reg. aëris, cap. 7.*

Determinatio igitur integra hæc est: *Id quòd nudè & solùm privatio est, non habet effectus veros & positivos, qui per realem & Physicum influxum ei conveniant.* 65 *Summa dictorum*

XII. Privatio non potest esse differentia. Hoc *Scaliger* habet *exerc.* 11. Et sumitur ex *Aristot. lib. 6. Topic c. 6. s. 5.* Peccatur, *inquit*, ἐὰν ἀποφάσει διῃρῆ τὸ γένος, hoc est, si negatione dividatur genus. Et itidem in fine illius capitis dicit, quòd differentia debeat esse non repugnans speciei, veluti quòd differentia substantiæ debeat esse substantialis differentia, relativi relativa. Ergò etiam differentia positiva debet esse positiva. Sic igitur peccatur, ait *Aristoteles:* ἐὰν τὸν γεγραμμὴν ὀξυγώνιον μὴ ἁπλατῆ λέγωμεν. *Si definientes lineam dicamus esse longitudinem carentem latitudine.* 66

Objicitur: Ergò malè definitur bestia, quòd sit animal irrationale, sive ἄλογον. Item: Deus, quòd sit Ens immensum, infinitum, invisibile, &c. Nam vox *IN*, sicut Græcam *alpha* (ex quibus singulæ illæ voces compositæ sunt) est nota privationis, sicut *Aristoteles* ait, *lib. 5. Met. cap. 22.* ἀσαχῶς ἀποδόσεις λέγονται ἀπὸ τοῦ α, τοσαυταχῶς καὶ ἐκ στερήσεως λέγονται. 67

Resp. 1. Non esse perpetuum, ut verè sit privatio, quod indicatur voce *IN*, aut Græco α. Nàm quandoque significant relationem diversitatis, ut inæquale, impar, aliquando significant positivum contrarium, ut injustus, intemperans, &c. Et nihil aliud voluit *Aristoteles*, recensens varias significationes vocis *privationis*, quàm quod secundùm quendam modum significandi, omne illud dicatur nomine *privationis*, quod enunciatur per στερητικὸν α, nequaquam autem indicat, semper id esse privationem *verè & propriè* dictam. Deinde esse observandum, sæpè in defectu vocabulorum 68

 ponì

poni vocabula privativa pro differentiis, non quasi differentiæ rerum sint privationes, sed in quantum vocabula privativa supplent significationem positivorum. Vide hac de re *Scalig. exerc. 65. s. 4. 5.* Ex his soluta sunt objecta exempla.

69 *XIII. Privatio non est in prædicamento.* Ita *Scaliger* habet *Exerc. 1. s. 2.* Intelligitur autem sic, quòd per se non sit privatio in prædicamento. Nam per reductionem est in prædicamento. Sicut enim per reductionem & collationem cum habitu cognoscitur & definitur, & quodammodo Ens dicitur, ita etiam in prædicamento ponitur. Vide *Fonsecam lib. 5. Met. cap. 7. q. 4. sect. 2.* Adde ea quæ habeo *in introd. Log. cap. 2. in comm. n. 66.*

70 *XIV. Privatio est malefica,* ἡ δ' ἐπὶ ἔλαττον τῆς ἐναντιώσεως, πολλάκις ἂν φαντασθείη τὸ πρᾶγμα τὸ τοιοῦτο κακοποιὸν αὐτῆς ἐναντίζοντι διὰ διανοίαν· δεῖ θεωρεῖν. Hoc est: *Altera autem pars contrarietatis,* (hoc est, privatio, quæ contrariatur formæ) *sæpè videatur illi, qui ad maleficium ejus intendit mentem, nihil esse prorsus.* Ita *Aristot. 1. Physic. cap. 9. t. 80.* Loquitur autem ibi *Arist.* de privatione Physicâ. Sed quomodo illa est malefica? Non propriè, quomodo maleficum aliquid dicimus, quia alii noxam sive damnum affert. Nam privatio in hoc ipso textu dicitur non Ens. Non Entis autem non est operatio. Malefica igitur est hoc sensu, quòd, cui convenit privatio, ei etiam convenit corrumpi posse. Significat enim privatio vacuitatem introducendæ, atque in ea materia possibilis formæ. Hoc sensu etiam à veteribus quibusdam dicebatur materia meditari maleficium, secundùm quod ipsa propter convenientem sibi privationem, & indifferentiam ad varias formas, promovet quasi rerum corruptiones Vide *Percr. lib. 5 Phys. cap. 2. in fin. & Colleg. Conimbr lib. 1 Phys. cap. 9. q. 7. a. 2*

71 *Objicis:* Cœlo convenit materia. Ergo & privatio. Et tamen ibi privatio non est malefica hoc sensu: Quia cœlum est incorruptibile. *Resp.* Incorruptibile vocatur cœlum solùm, quia non datur causa naturalis, quæ activitate suâ corrumpat cœlum. Nihilominùs corruptibile est intuendo, quòd etiam materia (cœlestis) propter generalem suam potentiam ad formas omnes naturales potest informari ab alia forma.

72 *XV. Inter privantia datur medium.* Habetur apud *Arist. 10. Met cap 4.* & tactum est suprà in distinctione contradicentium & privantium. Non intelligitur autem hic medium

per

per participationem. Neque enim datur μᾶλλον ἧττον ἢ στέρησις, ut *Plutarchus* ait: (quod intelligendum est juxta ea, quæ de intentione & remissione privationis dixi, *Can. 7.*) Sed intelligitur medium per negationem. Est enim res, cui nec conveniat loqui, nec mutum esse, cui nec conveniat videre, nec cœcum esse, ut lapidi.

Et sic fuit secunda classis locorum Dialecticorum, in dissentaneis, sequitur tertia de comparatis.

Caput XXI.

De Comparatis in genere.

1. Hactenus fuerunt duæ classes argumentorum, videlicet consentanea & dissentanea, quæ simul sunt argumenta simplicia. Sequuntur comparata.

2. Comparata sunt argumenta, quorum unum cum alio confertur.

3. Ergò in omni comparatione saltem tria sunt. *Duo termini:* qui ad invicem comparantur, & terminus, in quo comparantur, qui appellatur *tertium* comparationis.

4. Dividuntur comparata inprimis quadrifariam.

5. *I.* Comparatio est vel secundùm identitatem, vel secundùm diversitatem.

6. Secundùm *identitatem* est, cùm termini comparati in tertio comparationis dicuntur convenire, talis est comparatio Parium, similium, &c.

7. Secundùm diversitatem comparata sunt quæ in tertio comparationis disconveniunt, ut Imparia, Dissimilia.

8. *II.* Comparatio est plena, vel contracta.

9. *Plena* est, cùm duabus propositionibus explicatur comparatio, quarum prior habeat unum terminum comparatum cum medio comparationis. Altera alterum, cum tertio comparationis. Ut: *quemadmodum bulla citò evanescit. Ita homo citò evanescit.*

Prior propositio hujus comparationis vocatur ὑπόθεσις, & speciali significatione *propositio.* Posterior ἀπόδοσις vel ἀντιπόδοσις, sive *redditio.*

10. *Contracta* comparatio est, cum comparatio unâ solùm propositione explicatur, ut: *Homo est similis bullæ.*

11. *III.* Comparatio est continua, vel disjuncta.

12. Comparatio *continua* est, cùm solùm termini tres sunt comparationis, ex quibus sicut primus ad secundum, ita

ſecundo ad tertium eſt, ut: *Quemadmodum ſe habent duo ad quatuor, ita quatuor ad octo.*.

13. Comparatio diſjuncta eſt, in qua ſunt termini quatuor comparationis, ex quibus ſicut 1. ad 2. & ſic 3. ad 4. terminum eſt, ut: *Quemadmodum ſe habent 2. ad quatuor, ita 5. ad 10.*

14 IV. Comparatio ſpecialiter dividitur ſecundùm modum comparationis.

15. Eſt igitur comparatio vel in *quantitate*, vel in *qualitate*. De quibus in ſeqq.

COMMENTARIUS.

1 Vox *comparatorum* bifariam ſumitur: Aliquando comparàta idem ſunt, quod æquata vel paria. Sic *Cicer. de am.* ait. *Geſta Romanorum nullâ cum gente* comparanda eſſe, Et ex hac ſignificatione Oratoriâ populari aliqui, exiſtimârunt, comparata nõ debere fieri genus parium & ſimilium, 2. Quintilianus accipit pro comparatis in quantitate, iiſque omnibus & ſolis. Definit enim comparata, quòd ſint ea, quæ minora ex majoribus, majora ex minoribus, paria ex paribus probant. 3. Comparata ſunt, quæcunque ad invicem conferantur ſeu paria, ſeu ſimilia ſint. Ita *Ariſtoteles* uſurpat vocem *comparationis*. Vide 2. *Top cap.* 10. & 6. *Top. cap.* 7. Et hoc poſteriori modo eam ſumimus.

2 Ponuntur autem *comparata* numero plurali, ad ſignificandum, quòd utrumque relatorum, ſive utrumque eorum, quæ conferuntur, complicentur in una hac voce.

3 Definitio ipſa per ſe clara eſt.

4 De requiſito comparationis, quo dicitur *debere eſſe in ea tres terminos*, duos qui comparantur, & tertium, in quo fit comparatio, notandum eſt, quòd illi termini non neceſſariò ſint realiter diſtincti, aut etiam eſſentialiter. Poteſt enim comparari idem ad ſe ipſum, à ſe ipſo autem nihil differt eſſentialiter. Sic dicimus: *Tullius eſt idem qui Cicero: Johannes eſt idem, cum in Academiam abiit, & cum rediit: Paulus eſt idem infans & ſenex.*

De Comparationis Diviſione ſecundùm identitatem & Diverſitatem.

5 Rurſus cùm omnis comparatio dicitur ſignificare identitatem vel diverſitatem, ſciendum eſt, vocèm *identitatis*, ſumi generaliter, & hoc ſenſu eadem dicuntur, quæcunque in aliquo

Idem bifariam dicitur.

aliquo tertio conveniunt. Hoc modo dicitur: Quæcunque ſunt eadem in aliquo tertio, ſunt eadem inter ſeſe. Indéque ſecundùm hanc ſignificationem ſimilia & paria ſunt etiam comparata ſecundùm identitatem. Similitudo enim eſt convenientia in qualitate, paritas in quantitate. Aliàs vox idem ſignificat identitatem in eſſe ſubſtantiali, quo ſenſu dicitur, ſimilia non eſſe eadem, ſed hac ſignificatio poſterior hujus loci non eſt. Suntqué hæc etiam clara ex inſpectione definitionis in Theorematibus poſitæ.

Cæterùm ex hac diviſione apparet, quòd quæcunque comparantur, ſint eadem vel diverſa. Unde identitas & diverſitas rerum, ſunt fundamentum comparationis; & proinde; prout aliqua genere, vel ſpecie, vel numero, vel accidente, &c unum ſunt, aut differunt, ita etiam comparantur in iſtis. Habet autem *Ariſtot. lib. 1. Top. cap.* 1. multa de eodem & diverſo, indicia identitatis & diverſitatis, qua breviter huc refero, & ſuperficiariè, quia non adeò multum conducunt ad noſtrum inſtitutum. 6 *Fundamentum comparationis eſt rerum identitas & diverſitas.*

1 *Maximè propriè idem eſt quod eſt numero unum. Sect.* 1. 7

2. *Ex conjugatis ſumitur argumentum identitatis:* Si juſtitia eſt idem quod fortitudo, etiam iuſtus eſt idem quod fortis, & juſtè quod fortiter. *Sect.* 2. *Axiomata Ariſtotelis de identitate & diverſitate.*

3. *Si oppoſita ſunt eadem, etiam, quæ his opponuntur, ſunt eadem*, ibid.

4. *Quæcunque ſimpliciter eadem ſunt, eorum quoque ortus & interitus ſunt iidem, Sect.* 3. 8

5. *Quorum alterum maximè dicitur quidvis, ſi & alterum maximè eorum dicatur, ſecundum idem eadem ſunt.*
Ita *Xenocrates* probat vitam beatam & probam eſſe eandem, quia inter omnes maximè eſt eligenda vita beata & proba. Unum enim eſt, quod maximè eligendum. Et ſic in aliis. Si ignis eſt maximè calidus, & aër eſt maximè calidus, aër & ignis idem ſunt, *Sect.* 4. Quanquam intelligenda eſt iſta regula, cum limitatione, ut attingit *Ariſtot. Sect.* 5.

6. *Quæcunque ſunt eadem inter ſe, ſunt etiam eadem inter quoad tertium, ſecus ſunt diverſa, Sect* 6. 9

7. *Quæcunque ſunt eadem, iis etiam eadem accidunt. Et ſi non eadem accidunt ſunt diverſa, Sect* 7.

8. *Quæ ſunt eadem ſunt in eadem Categoria.* Secus differunt; veluti, ſi unum ſit quantitas, aliud quantitas, *Sect.* 8.

9. *Quæ sunt eadem, eorum genus est idem.* Secus differunt, §. 9.

10. *Quæ sunt eadem, habent eandem generis differentiam, secus differunt.* Ita differunt duo, si utrumque quidem sit scientia, aliud tamen scientia speculativa, aliud practica. Sect. 10.

11. *Quæ sunt eadem, eorum alterum, si recipiat intensionem vel remissionem, etiam alterum recipit, secus differunt. Imò si utrumque quidem intendatur vel remittatur, id tamen sit inæqualiter, adhuc differunt.* §. 11.

12. *Si utrumque eidem adjectum non efficiat idem, differunt,* § 12.

13. *Quæ sunt eadem, ab iis, si idem detrahatur, adhuc tamen remanet idem,* §. 13.

14. *Quorum unum ex hypothesi aliquâ positâ tollitur, aliud non tollitur, illud ab eo diversum est.* §. 14.

15. *In iis, quæ eadem sunt, quæ alteri attribuuntur, alteri quoque attribuuntur. Ex quibus alterum attribuitur, etiam alterum attribui debet,* § 15.

16. Supra hæc omnia observandum: *Quæ eadem genere aut specie sunt, non idcirco eadem numero esse,* §. 16.

17. *Quorum unum potest esse sine altero, non sunt idem,* §. 17.

De Divisione comparationis in plenam & contractam.

11 Divisio comparationis in plenam & contractam fit ratione dispositionis; indéque sic plena appellatur, quæ disponitur in duabus propositionibus, contracta quæ in una. Quæ omnia satis apparent ex Theorematibus.

De Divisione comparationis in continuam & disjunctam.

12 Comparatio continua & disjuncta vulgò solet solùm assignari in similibus: sed omninò in paribus eadem divisio etiam locum habet, & proinde rectè tribuitur generi amborum. Nam eodem modo in Paribus aliquando tres, aliquando quatuor termini sunt: veluti *quemadmodum se habet linea duorum, ad lineam quatuor pedum, ita se habet linea sex pedum, ad lineam pedum duodecim.* Item quemadmodum se habet pedalis ad tripedalem, ita tripedalis ad lineam sex pedum.

De

De divisione secundùm quantitatem & qualitatem.

Ad hanc divisionem inquirendum est: 13

An Comparata sufficienter dividantur in Paria & similia & quæ his opponuntur?

Videtur quòd non. Nam multa dantur exempla comparatorum, atque adeò axiomata ex comparatis, quæ ad ista genera reduci, ex iisque resolvi non posse videntur. Nam comparatio istorum est solùm ex adjunctis. Quantitas enim & qualitas sunt adjuncta rerum comparatarum. Atqui in longè pluribus comparari res una cum alia potest præter adjuncta. Nam *primò* comparari potest res cum re in uno subjecto vel diverso. Hinc axiomata: *Ignorantia æquè est in anima, ac scientia. Non idem subjectum est prudentiæ ac divitiarum. Item: Non ei, cui convenit sanitas, etiam doctrina convenit.* Prius habet comparationem ad subjectum idem: Posterius ad subjectum diversum. *Secundò:* Possunt res comparari in genere. Sic dicimus, *Pygmæus æquè est homo ac Gigas. Bestia æquè est animal ac homo. Accidens non est æquè Ens ac substantia, &c. Tertiò:* Possunt res comparari ad eandem speciem, veluti individua ejusdem speciei, ut: *Petrus æquè est homo ac Paulus. Quartò:* Potest eadem res secum comparari secundùm identitatem numeralem, *Tullius est idem, qui & Cicero.* *Dubia.*

Quintò: Possunt aliquæ res comparari in materia, ut *Æquè cœlo convenit materia, ac subcœlestibus. Plumbo æquè competit materia minerali, ac auro.* Item potest fieri comparatio in formâ. *Plantæ non minùs habet animam, quàm etiam homo. Cœlo æquè convenit natura ac Elementis.* Alia mitto. Hæc autem omnia exempla non videntur congruere ad comparata, quatenus ea solùm restinguunt ad Paria, Imparia, Similia, & dissimilia. Et ad hunc fere modum *Keckermannus* ampliat doctr nam comparatorum *in System. Log l. 1 s. 1, cap. 4.* Unde longè plura præter paria & imparia, similia & dissimilia fecit comparationis genera, veluti identitatem genericam, specificam, numericam, formalem, essentialem, hypostaticam, & convenientiam in subjecto. 14

Nihilominùs alii comparationem sufficienter existimant dividi, per paritatem & imparitatem, similitudinem & dissimilitudinem. Fecit id *Ramus lib. 1. Dial. cap. 18.* quem sequuntur illius Interpretes. Et præter eos doctissimus Regius 15

lib 4. disp. Log. probl. 19 in loco comparatorum. Titelmannus lib. 5. Dial. c. 27. Hunneus lib. 5. Dial. pag. 297, 323. aliíque plurimi.

16 *Duo modi explicandi sufficientiam hujus divisionis.*

Duplex autem modus esse potest explicandi istam sufficientitam, 1. Si putetur strictè sumi vox *comparationis*, ut non intelligatur communiter de omni collatione duorum in aliquo tertio, sed solum de accidentali collatione, quæ fit in adjunctis. Unde sic comparatum non opponeretur absoluto & simplici, sed opponeretur eidem; Et comparatio identitati ταυτότητι. Utraque enim & comparatio & identitas est sub collatione unius ad alterum, tanquam sub genere, & sic identitas esset collatio in tertio aliquo essentiali, comparatio autem collatio in tertio accidentali. *Aristoteles* certè ἴσα καὶ ὅμοια æqualia, & similia distinguit contra ταὐτὰ, 10. *Met. c. 3. & 5. Met. cap 9. & 5.* aliísque locis.

17 *Rejicitur posita sententia.*

Hunc tamen modus nullus superiorum autorum intendit. Estque reverà inutilis. Nam ita in Logicis præter locum comparatorum oporteret esse locum eorum, quæ eadem sunt, quod extra omnem necessitatem est, cùm nulla causa sit, cur vox *comparatorum* limitetur ad solam collationem accidentalem.

18 Alter modus esse potest, si putetur latè sumi paritas & imparitas, similitudo & dissimilitudo Et hic modus necessariò tenendus est. Si enim latè sumitur comparatio, pro omni collatione unius cum altero, clarum est, paria & imparia, similia & dissimilia, non ea solùm dici, quæ quantitate & qualitate prædicamentali conferunt, sed etiam quæ conferuntur in aliis tertiis. Nam dubium non est, in aliis præter quantitatem & qualitatem prædicamentalem esse comparationem.

19 Atque sic patet, quid respondendum sit ad superiora exempla. Nam etsi referantur ibi Entia comparari, non in quantitate & qualitate prædicamentali solùm, sed etiam in genere, specie, individuali essentiâ, subjecto, materiâ, formâ &c. tamen in omnibus istis insinuatur, quòd æqualiter aut inæqualiter, similiter vel dissimiliter, conveniat illis genus, species, numeralis entitas, materia, forma, subjectum. Et sic satis sub paribus, &c. comprehenditur. Apparebitque illud clariùs per ea, quæ infrà dicentur, in speciali doctrina parium & cæterorum.

CANO-

CANONES.

1 *Comparata vi comparationis ſunt æquè nota.* Axioma eſt *Rami, lib.* 1. *Dial. cap.* 18. Ita æquè nota ſunt homo & flos, in quantum conferuntur in ſubitaneo interitu, *Pſal.* 90. Et ſic etiam vir bonus, & arbor poſita juxta decurſus aquarum, in quantum conferuntur in fructificando, æquè nota ſunt, *Pſal.* 1. Qui ſenectutem *ſtipulam* dicit, facit, ut cognoſcam & diſcernam, quòd utrumque defloruerit, ait *Ariſtot. 3. Rhet. cap.* 10. Dicitur autem *vi comparationis*, quia ſeponendo comparationem, & ſpectando res ipſas, quæ comparantur, inæqualis poteſt eſſe comparatorum notitia. Poſſunt enim comparari cauſæ cum effectis, quorum illæ notiores ſunt his. 20

II. *Comparata etiam ficta arguunt, fidémque faciunt.* Habetur etiam apud *Ramum cit. loc.* Sic & *Ariſtot. 2. Top. cap.* 10. *Similis eſt*, inquit, *& cæterorum ratio, tam quæ ſunt, quàm quæ eſſe videntur.* Loquitur autem de loco comparationis. Ita ſuperbos eſſe humiliandos, & deponendos, illuſtrari poteſt non ſolùm vero exemplo Diaboli præcipitati, & protoplaſtorum, ſed etiam ficto exemplo *Icari.* Ita, Tyrannos fingere cauſas exercendæ tyrannidis, illuſtrari poteſt per fabulam, de lupo bibente ſupra ovem, & tamen eam accuſante, quaſi iſti aquam turbaret, ut hoc prætextu in eam ſævire poſſet. 21

III. *Comparativum ſupponit primitivum.* Ita habet *Zabar. l.* 1. *poſt. cont.* 16. *fol.* 676. Per primitivum autem intelligit poſitivum. Habetur idem apud *Ariſtot. 2. Top. c.* 11. *ſect.* 3. *Si quid magis et minùs dicitur, etiam ſimpliciter eſt, veluti, quod non eſt bonum vel album, etiam non erit magis vel minùs bonùm vel album.* Poſſunt autem ex iſto generali axiomate duo extrui ſpecialia; alterum affirmativum, *cui convenit comparativus* (vel ſuperlativus, nam hic etiam comparat) *ei etiam convenit gradus abſolutus.* Si *Virgilius* eſt doctior *Horatio*, certe etiam doctus eſt. Item, ſi *Virgilius* eſt doctiſſimus Poëta, etiam doctus Poëta eſt. Alterum negativum: *Cui non convenit primitivum, ei etiam non convenit comparativum.* Veluti, ſi *Tityrus* non eſt doctus, etiam non eſt doctior *Menalcâ.* 22

Præterea notat *Ariſtoteles cit. loc.* non valere hoc axioma reciprocé, ut cui non convenit comparativum, ei nec conveniat abſolutum. Etſi enim *Paulus* non ſit magis vel minùs 23

homo,

homo, quàm *Petrus*, non tamen idcircò non eſt homo. Si *Horatius* non ſit doctior *Virgilio*, non tamen idcircò *Horatius* non doctus eſt.

24 *IV. Quæ ſunt eadem uni tertio ſunt etiam eadem inter ſe, Ariſtot. 4. Metaph. & 7. Top. cap. 1. §. 6.* Hic canon pertinet ad ea, quæ comparantur ſecundùm identitatem. Eſt autem ejus duplex ſenſus. *Prior* hic: Quæ conveniunt aliquo tertio, conveniunt inter ſe, intelligo proportionaliter ad illud tertium: Quę ſunt eadem uni tertio, hoc eſt, quantitati, aut quæ conveniunt in quantitate, illa etiam inter ſe conveniunt, h. e. ſunt æqualia: Et quæ in qualitate conveniunt, conveniunt etiam inter ſe, hoc eſt, ſunt ſimilia. *Alter* eſt hic: Quæ ſunt idem, quoad aliquod tertium, illa etiam ſunt inter ſe eadem. Et ſic loquitur *Ariſtot. cit. loco ex Topicis* Veluti, ſi *Marcus* & *Tullius* idem ſunt quod *Cicero*, etiam *Marcus* eſt idem, qui *Tullius*, & viciſſim. Atque ſic adhuc illud axioma eſt intelligendum cum proportione. Nam quæ ſunt idem realiter, quoad aliquid tertium, illa etiam inter ſe ſunt idem, poſſunt tamen differre ratione. Item, quæ ſunt idem cum alio re & ratione, etiam inter ſe talia ſunt. Eſt autem hoc principium ſic intellectum verum in creaturis, & in rebus finitis; In re enim infinita, qualis eſt divina eſſentia, non eſt verum abſolutè; illa enim propter infinitatem ſuam poteſt eſſe idem cum oppoſitis relationibus, quæ tamen inter ſe non poſſunt eſſe idem. Vide *Suarez. diſp. 7. Met. ſ. 3 n. 8.*

25 *V. Quod naturâ tale eſt, eo quod non naturâ tale eſt, eſt magis tale.* Hic Canon, ut & ſeqq. pertinent ad comparata ſecundùm diverſitatem. Eſtque ſumptus *ex 3 Top. c. 5. Sect. 2.* Ita aqua minùs calida eſt, quàm ignis, quia hic per naturam, illa ab extrinſeco calida eſt. Deus melior eſt, quàm ulla res alia, quia illi bonitas eſt naturalis, his adventitia.

26 *VI. Si, cùm duo habent idem, unum eorum quid faciat, quod alterum non facit, id quod facit, eſt magis tale.* Ita finis medius, & ultimus habent amabilitatem, ſed hic per amabilitatem ſuam excitat appetitum agentis, quod non facit finis medius. Igitur iſte hoc amabilior eſt. Ignis & aër ſunt Elementa calida. Ille per calorem accendit ſtupam, quod non facit hic. Ergò ignis eſt magis calidus, quàm aër. Eſt *Ariſtot 3. Top. c. 5. Sect. 4.*

27 *VII. Si ambo idem efficiunt, ſed aliud magis id efficit, id*

eſt

est magis tale. Est *ibid. sect.* 5. Ita, si duo colores habeant admixtam nigredinem, & per hoc uterque congreget visum, ille qui magis congregat, habet plus nigredinis. Et hoc verum est de eo, quòd quid efficit per se: Fieri enim potest, ut per accidens major virtus producat minorem effectum; ut lignum grave ad libras 10. aut suprà, non tam gravitat descendendo per aquam, quàm vel minimus lapillus. Idque propterea, quia, partes ligni interspersum habent aërem, à cujus levitate impeditur ligni descensio, quod non est in lapide. Ita etiam decem partes ignis in tenui non tam calefaciunt, quàm quatuor partes ejusdem ignis in denso, veluti ferro aut lapide.

28 *VIII. Si duo comparentur ad tertium, & hoc sit majus eorum uno, minus eorum altero, tum id quod minus est, est majus eo, cui primò comparatur.* Est *ibid. sect.* 4. Sic comparo ignem, qui levis est cum aqua, quæ etiam levis est. (Ascendit enim ex centro terræ supra terram) & cum alio levi, hoc est, aëre. Hic levitas aëris est major levitate aquæ; Et eadem est minor levitate ignis. E. etiam aquæ levitas, est minor levitate ignis.

29 *IX. Ex adjunctione etiam appareat, quodnam magis aut minùs tale sit.* Veluti, si duo adjungantur eidem, & unum faciat aliud tale, alterum non, id est magis tale. Est *ibid. sect.* 7. & simile est cum priori septimo, & octavo.

30 *X. Quo ablato relinquitur minùs tale, id est magis tale.* Est *ibid. sect.* 9. Ita charitas magis pertinet ad vitam Christianam, quàm donum miraculorum. Nam si ab aliquo auferatur charitas, minùs relinquitur vita Christiana, quàm si auferatur donum miraculorum.

31 *XI. Quæ suis contrariis sunt minùs mixta, magis talia sunt.* Est *ibid sect.* 10. τὰ τοῖς ἐναντίοις ἀμιγέστερα, μᾶλλον τοιαῦτα. Ita candidius est, cui minus nigredinis admixtum est, & doctior est, qui minus habet de ruditate.

32 *XII. Quod magis suscipit rei definitionem, id est, magis tale Ibid. sect. ult.* Ita albedo est color disgregans visum. Ergò quod magis disgregat visum, id etiam magis album est.

33 XIII. *Propter quod unum quodque tale est, illud magis tale est Aristot.* 1. *post.* c. 2. t. 15. Ἀεὶ δ' ὁ ἔχει ἕκαστον ὄνεκα τοῦτο μᾶλλον ἔχει, hoc est, *Semper propter quod existit quodque, illud magis existit;* Veluti, parens diligit præceptorem propter filium. Ergò filium magis diligit. Ut axioma

hoc

hoc explicemus, priùs formamus objectiones contra illud.

34 Homo punitur propter injuſtitiam. Ergò injuſtitia magis puniturs Item. Homo eſt ebrius propter vinum: Ergò vinum magis eſt ebrium. Deus afflixit filium propter nos: Ergò nos magis afflixit. Chriſtus deſcendit de cœlo propter nos: Ergò nos magis deſcendimus. Non crederem Evangelio, niſi Eccleſiæ me commoveret autoritas, inquit *Auguſtinus contra Epiſt. Fundam cap.* 5. Ergò Eccleſiæ magis credendum eſt, quàm Evangelio. Abſurda hæc ſunt.

35 Igitur hanc ad rem dicendum eſt: aliquos hanc propoſitionem ſolùm intelligere de ſubordinatione finium, & non eſſe veram ſecundùm eos de cauſis efficientibus.

36 Ut res plena ſit dico *primò*: In ſubordinatione finium, propter quod unum quodque tale eſt, illud magis tale eſt. Veluti navigator movetur ad navigandum propter pecuniam: Ergò ad pecuniam magis movetur. Ægrotus movetur ad conſulendum medicum propter ſanitatem: Ergò ad ſanitatem magis movetur, quàm ad medicum.

37 *Secundò*. præterea tamen Philoſophi intelligunt hoc dictum de cauſis efficientibus, ſicut & *Ariſt. cit. loc.* uſurpavit. Sed tunc limitandum eſt. Vulgaris limitatio eſt, (quam etiam Martyr attingit *Claſſ*: 1. *L. c. 1. 6. n* 10.) intelligendum eſſe axioma de cauſis efficientibus totalibus ſeu adæquatis. Sed *Zab: l. 2. Poſt. ad 1. 16. p. 676.* notat duas conditiones, quæ requiruntur ad illius propoſitionis univerſalitatem. *Prima* eſt, ut attributum utrique inſit, ſi enim non inſit, non poterit alterutri vel magis, vel minùs ineſſe. *Altera* eſt, ut ſuſcipiat illud attributum magis & minus. Propter defectum prioris conditionis, non ſequitur. Homo eſt ebrius propter vinum. Ergò vinum eſt magis ebrium, quàm homo. Nam & utrique (homini & vino) non ineſt ebrietas. Item, homo propter injuſtitiam punitur. Ergò injuſtitia magis punitur. Nam injuſtitiæ non ineſt puniri. Propter defectum poſterioris conditionis non ſequitur. Filius habet animam, vel eſt homo propter patrem; Ergò pater magis habet animam, vel eſt homo, quàm filius; quia eſt hominē, vel habere animam non recipit magis & minùs.

38 Sed quid nunc reſpondendum eſt ad dictum *Auguſtini*. Nam utraque conditio convenit creditioni & ad Evangelium, & ad Eccleſiam. *Reſpond: Auguſtinus* loquitur de ſe adhuc Manichæo, In converſione autem plurimùm ſæpè perſuadent externa,

externa, antequam profunditas religionis ex Evangelio vel Scripturâ cognoscatur. Igitur est Elenchus à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter. Simile est, quod *Johan.* 4. Samaritani primùm crediderunt in Christum, propter verbum mulieris, *vers.* 39. Sed posteà, cùm venissent ad Christum, credebant non propter loquelam mulieris, sed propter sermonem ejus (Christi) *vers.* 41. 42.

Tertiò est observandum, sæpè in applicatione hujus propositionis congruenter qualitercunque inflectendam esse vocem. Veluti Deus affligit filium propter nos. Ergò nos magis affligere debet. Filius Dei descendit de cœlo propter nos: Ergò magis voluit nostram salutem, quàm ut filius esset in cœlo: Aut dicimus, deficere hanc regulam in causis impulsivis.

XIV. *Comparatio non debet esse inter res diversi generis* 39
Ita *Arist.* 7. *Phys* c. 4. & *Thomas* 1. *part.* q. 6. c. 2. Ita dulcedo inconvenienter dicitur major, vel minor lineâ. Sic quæri non debet: An *Averroës* doctior fuerit, an *Bartholus?* Item: An serra fabri, an verò malleus ædificatoris sit instrumentum utilius? Item: An utilior sit methodus Synthetica, an analytica? quia ad diversi generis scientias isti ordines pertinent. Vide *Zabarell* 2. *de Method* c. 19.

Objicis: Deus & creaturæ passim comparantur in Scripturis, & ista tamen sunt diversorum generum. *Resp. Thomas* 40
d. l. & q. 4. *a.* 3. *ad secundum*. Ea quæ sunt diversorum generum non possunt comparari, illa tamen, quorum alterum sub nullo genere, alterum sub aliquo genere est, posse comparari, inprimis secundùm excessum unius supra aliud. Et tale quid ait esse Deum & creaturas.

XV. *Comparatio ad res sacras, non debet sumi ab obscœnis.* 41
Omnis enim comparatio distrahit ad res distinctas. Cùm igitur res sacræ referant intellectum ad cogitandum religiosè, turpe est simul intellectum abducere ad res prophanas. Ex his judicari potest, quid sentiendum sit de simili Zuinglianorum, quo ostendere volunt, Christo datum quidem potestatem, non tamen potentiam; quemadmodum taurus habet quidem potestatem totius gregis, sed tamen non habet potentiam, &c: Horret animus.

XVI. *Quæ sunt æquivoca, non possunt comparari.* Axioma 42
hoc usurpat. *Aristot.* 7. *Phys.* c. 4. t. 24. in comparatione motuum. Æquivocatio autem intelligitur pugnare cum naturâ

comparationis

comparationis, quæ est ex parte medii comparationis. Igitur quæ conveniunt in eodem tertio æquivoco, illa in eo non possunt comparari. Veluti quoniam acutum æquivocè dicitur de stylo & morbo, & sonis, & vino, ideircò dici non potest Stylum esse acutiorem morbo, aut vino, aliisve.

Caput XXII.

De Comparatis in quantitate.

1. Comparata in quantitate sunt, quæ ex sua collatione sunt æqualia vel paria, aut inæqualia seu imparia.

2. Paria sunt, quorum quantitas est una. *Aristoteles & Plato pares sunt doctrinâ. Petrus & Paulus pares sunt dignitate. Semen Abrahæ par est pulveri terræ, &c.*

3. Notæ parium sunt, *par, pariter, æquale, æquare, adæquare, æqualiter, æquè, non impar vel dispar, tantum quantum, tot, quot, toties, quoties, tamdiu, quamdiu, non magis, non minus.*

4. Imparia sunt, quorum quantitas est diversa, ut, *Goliathus est major Davide.*

5. Horum igitur aliud est majus, aliud minus.

6. *Majus* est, cujus quantitas excedit.

7. *Minus* est, cujus quantitas exceditur.

8. Notæ imparium vulgò dicuntur hæ: Non tàm, quàm non tantum, quantum; & sic in aliis negationibus paritatis. Item comparationes, ut major, minor, doctior, nigrior, candidior. Item verba significantia excessum aut defectum, *ut:* eminet, superat, excellit, antecellit, præcellit, præstat, vincitur, superatur.

Commentarius.

De paribus sive æqualibus.

1 *Par* bifariam sumitur. Aliquando sumitur absolutè, & cum *impari* est differentia, vel proprietas numeri, apud *Aristot: 1. post: text: 75.* Atque tum *par* dicitur numerus, qui in numeros æquales, integros est divisibilis. Sic binarius est dividuus in duas unitates. Quaternarius in duos binarios. Quinarius autem sic non potest dividi; dividitur autem vel in 2. & 3. vel in 1. & 4. qui numeri sunt inæquales vel in duo & sem. item duo & sem, qui non sunt numeri integri. Aliquando autem par intelligimus comparatè, quod scilicet cum

cum alio comparatur ſecundùm quantitatem eandem. Et ſic quicquid dicitur par, id eſt alii par. Et ſignificationi huic congruit iſta, quâ Rhetoribus compar eſt, quando duæ pares enunciantur clauſulæ. Pares autem dicuntur clauſulæ, quæ æquales ſunt magnitudine aut numero ſyllabarum. Vide *Ariſtot: in Rhet. ad Alexand: c. 28.*

Scaliger putat. *par* dictum à *περὶ*. *Par*, inquit, *lib. 2. de plant: pag: 339. rectiſſimè, quod non excederet. Quoniam juxtà poſitæ partes iiſdem limitibus præfinirentur. Hoc fuit* Περὶ, *unde pars.* 2

Ex ſuperioribus apparet, cùm comparata in quantitate dicuntur, tum paria & imparia, tum æqualia & inæqualia, quòd id non fiat reſpiciendo ad diſtincta genera quantitatum, quaſi ſcilicet dicantur paria & imparia, reſpiciendo ad quantitatem diſcretã ſive numerum, æqualia verò & inæqualia recipiendo ad quantitatem continuam. Nam ſignificatio illa paris & imparis, ſecundum quam complicantur cum numero, diverſa eſt à præſenti, adeò quidem, ut quæ ſunt imparia Arithmeticè, Logicè ſæpè non imparia ſint, ſed paria. 3

Æqualia. Hæc altera vox eſt, per quam præſens noſtrum argumentum ſignificatur. Sumitur etiam ambiguè. Specialiter æqualitas refertur ad quantitatem prædicamentalem. Sic accipitur 5. *Metaph. cap.* 15. Cùm contra ſimilitudinem & identitatem *Ariſtoteles diſtinguens* æqualitatem, ait eam eſſe in quantitate. Aliàs tamen etiam quæ ſunt eadem genere vel ſpecie ſunt æqualia genere & ſpecie: Sic etiam intelligitur, quod eſt *Lib. Categ. cap. 6. §. 26. Maximè proprium, eſt, quantitatis dici ſecundum eam æquale & inæquale.* Generaliter autem æqualia dicuntur non ſolùm quæ eandem quantitatem habent (prout vox *quantitatis* prædicamentaliter ſumitur, ſed etiam in genere omnia ea, quæ eandem rationem, modum, eſſentiam, virtutem habent, & ſic ſunt æqualia eſſentiâ, virtute, dignitate, &c. Et ſic etiam *Ariſtoteles* intelligendus eſt cum æquale & inæquale facit primas Entis differentias, *lib. 4. Metaph. cap 2. & lib. 11. c. 3.* Vide *Ramum ad lib. Categ. c. 7.* & hæc poſterior ſignificatio noſtro inſtituto congruit. 4

Sic ſatis de definitione, nunc ut porrò viam mihi ſternam ad explicandam definitionem *Parium* inquirendum eſt. 5

An paritas ſit in ſolâ quantitate.

Per quantitatem nunc intelligo quantitatem prædicamentalem, hoc eſt, illud Entis genus, quod contradiſtinguitur ab 6

aliis

aliis prædicamentis, & dividitur per quantitatem continuam & discretam. Estque summa hujus quæstionis: An quantitas (continua & discreta) solùm sint tertium illud, in quo comparantur, ea quæ paria dicuntur, Igitur affirmatio est *Keckermanni, in Syst: Log. lib. 1. sect 2 cap. 4 pag. 165.* Alii tamen Logici ferè omnes sub paribus in Logicis comprehendunt non solùm ea, quæ comparantur in tertio, quòd sit quantitas, sed etiam alia. Illis igitur parium exempla sunt hæc etiam: *Pygmæus æquè est homo ac gigas: Fœmina æquè est homo ac mas:* Ubi tertium comparationis est substantia, nempe homo. *Petrus & Paulus æquales sunt in Apostolatu.* Hic tertium comparationis est relatio, nempe Apostolatus. *Aristoteles & Plato æquales sunt scientiâ.* Hic tertium comparationis est qualitas. *Paulus non minùs laborat, ac alii Apostoli.* Hic tertius comparationis est actio. Et sic philosophantur omnes qui sufficientiam divisionis comparatorum, in paria & imparia, similia & dissimilia agnoscunt, quos suprà recensui: quibus adde *Taurell. de rer. æter. pag. 516. Thomas* etiam 1. *part. quæst 41. art 1.* æqualitatem ponit non solùm in quantitate Molis, sed etiam in quantitate intensiva. Et addit, istam hic bifariam esse. 1. Considerando quantitatem virtualem in radice, hoc est, ipsâ perfectione ipsius formæ vel naturæ. 2. Considerando eam in effectibus formæ. Ac primus quidem effectus formæ est ipsum esse, altera est operatio. Unde sic etiam æqualia sunt, quæ æquè habent idem esse & æqualiter operantur. Et juxta hoc etiam personæ divinæ (quæ quantitatem Molis non habent) dicuntur æquales ab *Athanasio in Symb. & Augustino lib. de fid. ad Petr. cap. 1.* Certè cùm duas res ejusdem, calores, ejusdem, inquam, quoad gradus, comparamus in isto eodem calore, non satis dicimus, si eas similes dicamus. Possunt enim similes dici, si altera ad tres, altera ad quatuor gradus colorem habeat. Optimè ergò non tam similes, quàm æquales calore dicuntur res istæ. Vide *Ramum l: 4. Schol. Dial c. 7.* Confer, quę aliàs de hac re dixi *in Introd. Log. c. 6. in comm. n. 39. seqq:*

7 Non nunc sequimur vulgarem consuetudinem, ut paritatem etiam extendamus ad ea, quæ comparantur ad tertium, quod quantitas non est.

8 Speciosa objectio est; Sic non remanere discrimen inter similia & paria. Nam, ut nunc visum est, paria etiam dicuntur quæ conveniunt in qualitate, sicut dicebam, pares esse

res,

res, quæ ejuſdem gradûs calorem habent. At hæc definivimus eſſe ſimilia, quæ in qualitate conveniunt Commodiùs hæc ſolventur in ſequenti capite, ubi vide,

Explicatur Definitio Parium.

Paria ſunt, quorum quantitas eſt una. Genus ſubintelligitur ex priore Theoremate, quòd ſcilicet ſint argumenta comparata. 9

Differentia aſſignatur iis verbis, quibus definiuntur ab *Ariſtot. 5. Met. c. 15.* ἴσα ὧν τὸ ποσὸν ἕν. *Æqualia quorum, quantum* (quantitas) *unum* (*una.*) Non tamen utrinque ſenſus idem *Ariſtoteles* enim diſtinguit ἴσα æqualia, contra ταυτὰ, eadem, quæ ab eo definiuntur, quòd ſint illa, ὧν μία ἡ οὐσία, *quorum eſſentia eadem.* Et ſic ſub iis, quæ hic ταυτὰ dicit comprehendit ea, qua conveniunt in genere vel ſpecie, ut videre eſt 5. *Metaph. c. 9.* Hæc tamen nunc comprehenduntur ſub paribus, prout prius exemplum parium ponebam, etiam ex iis, quæ genere conveniunt, ut: *Pygmæus æquè eſt homo ac gigas. Deinde Ariſtoteles* ibi per quantitatem intelligit, quantitatem prædicamentalem, Hic autem ea vox latiùs ſumitur, ut mox videbitur. *Denique, Ariſtoteles* quantitatem requirit ad paritatem ſolum tanquam tertium comparationis, ideòque illa paria ſunt, quæ conveniunt in aliquo tertio, quod ſit quantitas: Nos autem quantitatem ponimus in definitione parium, non quaſi ſemper aut ſolum ſit medium, in quo paria conferuntur, ſed voce *quantitatis* nos ſignamus modum, quo, quæ paria dicuntur, comparantur ad ſuum tertium, ſive illud ſit quantitas, ſive non, ut ſtatim pleniùs dicam. 10

His præmiſſis, ut intelligatur noſta definitio, inprimis accuratiſſimè obſervandum eſt, quod dixi, quantitatem non venire ad definitionem parium, quaſi ipſa ſemper ſit medium hujus comparationis. Inprimis, quia ſæpiſſimè contingit æquales dici, reſpectu alicujus tertii, quod niſi impropriiſſimè quantitas dici poteſt. Ita comparatur Pygmæus & gigas in eſſe humano, At eſſe humanum, vel homo nullo modo poteſt dici quantitas. Sic ignis & Sol comparantur in calefactione, At calefactio non poteſt dici quantitas. Et ſic in aliis. Non tamen hoc volo, quaſi paritatis tertium vel fundamentum nunquam poſſit eſſe quantitas. Contrarium enim evidens eſt, cùm duos homines æquales di- 11

cimus longitudine. Duos agros æquales latitudine. Duos exercitus æquales numero militum.

12 Solùm igitur quantitas ponitur in hac definitione, tanquam modus comparationis. Ergò sic paria sunt, quæ comparantur ad suum tertium, quicquid hoc tandem sit, sive sit quantitas, sive qualitas, sive substantia, sive actio, sive passio, hoc modo, ut unâ eâdemque ratione ista paria conveniant, hoc est, ut exactè, & omni modo in eo tertio conveniant, in quo conveniunt, ut illud tertium magis vel minùs, intensiùs vel remissiùs uni vel alteri non conveniat. Atque sic, verbi gratiâ: Pygmæus & gigas paria sunt in esse humano, & proinde utrumque eorum in eadem quantitate habet esse humanum. Unum eorum non habet esse humanum magis vel minùs, nec alterum intensiùs vel remissiùs, sed, ut uno verbo dicam, æquè esse humanum competit utrique. Sic etiam duo milites sunt pares in fortitudine & proinde uterque eorum in eadem quantitate habet hanc qualitatem sive fortitudinem, nec eam unus magis aut majorem habet, quàm alter. Et sic in aliis

13 Ex quibus etiam intelligitur alterum, quod antè dixi; nempe quantitatem hic non sumi prædicamentaliter, sed dici, hic quantitatem unam & eandem, cùm extrema (res quæ comparantur,) ad suum tertium conveniunt in eodem indivisibili modo, ordine, ratione, numero, magnitudine.

14 Sed inquis, Cur illa exacta & omnimoda convenientia significatur voce *quantitas una*? Resp. id esse inde, quia exacta ista convenientia concipiatur nobis sub ratione æqualis numeri & magnitudinis, & per ἀναλογίαν ad ista. At numerus & magnitudo sunt propriè quantitatis. Quod enim est (Pygmæum æquè hominem esse, ac gigantem) aliud, quàm Pygmæum non minùs, & gigantem non plùs hominem esse, istum hoc, & hunc isto. At plùs & minùs primò sunt in quantitate. Sic & duos milites æqualiter fortes esse, est nihil aliud, quàm in uno fortitudinem tantam esse, quanta est in altero, vel in uno fortitudinem tot gradus habere, quot gradus ea habet in altero: At tantum & quantum, tot & quot primò sunt in quantitate. Et sic in aliis,

15 Et rursus ex his nunc satis intelligitur discrimen patium & similium. De quo tamen pleniùs erit seq. capite.

CANONES DE PARIBUS.

1. *Paria non suscipiunt magis vel minùs.* Hoc est, quæ paria

paria ſunt, non ſunt magis vel minùs paria. Paritas ergò conſiſtit in indiviſibili. Ita quinque & quinque paria ſunt, ſi alterutri eorum addas unum ſaltem, non ſunt ampliùs paria. Lineæ duorum pedum ſunt pares, ſi alterutri earum addas minimam quantitatem, non ſunt amplius pares. Calores duo, quorum uterque ſit ad gradus octo, pares ſunt, ſi alterutri addas vel detrahas gradum caloris unum, non ſunt ampliùs pares, ſed impares.

Specioſum eſt, quòd *objici* poteſt ex *Ariſtotele. lib. Categ. c.7. §.7.* Simile & diſſimile, æquale & inæquale dicitur magis & minùs. At æquale & par nunc ſunt idem. Ergò etiam per dicitur magis & minùs. Et confirmatur: Nam magis pares ſunt ætate quorum alter novem, alter decem eſt annorum, quàm quorum alter quinque eſt annorum, alter viginti. *Reſp. Ariſtotelem* ibi non loqui in rigore philoſophico, ſed locutione populari, ut exiſtimat etiam *Toletus* & *Conimbr: ad lib. Categ. cap.7. ad 1.4.* quibus adde *Fonſecam. 5. Metaph: c.15. q 5. ſ.2.* Quod autem locutio iſta vulgaris, & non Philoſophica ſit, apparet. Nam cur magis paria ſint novem & decem, quàm quinque & viginti, eſt non aliundè, quàm quòd 10. non tam excedunt 9. quàm 20. excedunt 5. At ubi eſt exceſſus accuratè loquendo, non eſt paritas, ſed imparitas. Exceſſus enim pertinent ad majora, quæ ſunt ſub imparibus. Si autem magis propriè loqui velimus, dicendum eſt, 20. & 9. magis inæqualia eſſe, quàm 9. & 10. Inæqualitas enim admittit aliquam latitudinem. Unde quæ magis approximant ad æqualitatem, illa minùs ſunt inæqualia, & contrà. 16

2. *Parium exacta eſt convenientia.* Hoc ſequitur ex priori, & ſumitur *Ariſtot.* 10. *Metaph. c.* 3. ubi conſtituens diſcrimen ſimilium & æqualium, ſeu parium, ait, æquales lineas eſſe eaſdem, & æqualia quadrata eſſe æqualium angulorum: atque adeò in iis æqualitatem eſſe unitatem. Ac ſimilia non requirunt, ut ſint ſimpliciter eadem, ſed ſatis habent, ſi in ſpecie conveniunt. Indéque majus quadratum poteſt eſſe minori ſimile, eodemque modo lineæ inæquales poſſunt eſſe ſimiles. Ita minùs album poteſt eſſe ſimile magis albo. Ex quibus apparet ſenſus axiomatis noſtri, qui eſt, quòd parium longè major & exquiſitior ſit identitas, quàm eſt ſimilium, ut eſt inductum. 17

3. *Quod de uno parium affirmatur, id affirmatur etiam de altero, & contrà:* Veluti, ſi calore duæ res pares ſunt, tum 18

si una earum habent calorem ad gradus duos, etiam altera earum habet duos gradus. Et, si una earum non habet gradus tres caloris, nec altera habebit. Pertinéntque huc contrariæ consequentiæ factæ ex contrariis. Hæ enim fiunt parium collatione.

19 Cæterùm intelligitur axioma de paribus in quantum, & quoad paria sunt, hoc est, respectu tertii, in quo paria comparantur. Extra hoc non valet axioma.

20 Æquipollentia axiomata sunt: *Parium est eadem ratio. De paribus idem est judicium. Quod valet in re pari, valet etiam in re compari. Paribus paria congruunt.*

II. De Imparibus.

21 De voce *imparium* & *inæqualium*. (Hæc enim æquipollentia sunt) judicari potest ex prioribus, quæ dicta sunt ad vocem *paris* & *æqualis*, *Scaliger*, *lib.* 1. *de plant. p.* 340. existimat melius dici *super par*. *Impar*, inquit *non perinde ac par è re ipsa dictum est super par enim melius*. Verùm nos vulgarem vocem retinemus.

De definitione Imparium.

22 Definitio etiam Imparium ex iisdem satis illustris est. Solùm est observandum Cùm dicitur *imparium* quantitatem esse *diversam*, vocem *diversi* hic opponi illi, quod non est idem. Sicut *Aristoteles* ait, 3. *Metaph cap.* 9. *Diversum opponitur ei, quod non est idem.* Quantitas diversa ergò idem est, quòd quantitas non eadem, &c. *Ramus* dicit *lib.* 1. *Dial. cap* 19 *Imparia sunt quorum quantitas non est una.* Et *Aristot.* 5 *Met. c.* 22. Ἄνισον *inæquale est, quod non habet æqualitatem.*

23 *Objicis.* Definitio non debet esse negativa. Ergò malè dicitur, Imparia sunt, quæ *non* habent æqualitatem: vel, quorum quantitas non est una. *Resp.* Antecedens duplicem habet sensum. Si igitur definitio significet totum complexum ex definito, & definitione, tum illius sensus hic est, quòd axioma continens definitionem non debeat esse negativum. Et contra hunc sensum non peccat ista definitio. Nam, negatio, quæ in eo est, facit solùm negationem prædicati, non axiomatis; quia copula ista postponitur. Si autem definitio significat id, quod contra distinguitur contra definitum, hoc est solùm id complexum, quod est ex genere, & differentiâ, sic sensum habet hunc, quòd definitionis genus aut differentia non debeat esse negativa, ut *Aristoteles* habet 6. *Top. cap.* 6.

cap.6.§.5. Et tunc respondendum est, differentiam in definitione non debere esse negativam, cum exceptione, quam ipse *Aristoteles* tradidit *6.Top.c.6. §. 7. Fortasse*, inquit, *necesse est, definitionem in nonnullis uti negatione, ut in privationibus. Nam cœcum est, quod non habet visum, &c.* At impar & inæquale *Aristoteli* privationes sunt 3. *Met.c.* 22. Id tamen, quo sensu intelligendum sit, supra dixi *cap.* 19.

III. De divisione Imparium in Majora & Minora.

Divisio hæc nascitur ex ipsa ratione imparis. Igitur impar dicit negationem paritatis vel æqualitatis. Ita est, vel quia excedit aliud, quemadmodum 4. excedens 3. vel quia aliud exceditur, quomodo tria exceduntur à quatuor. Et ista dicuntur majora. Hæc minora. Atque hæc sunt in omni imparitate. Est enim in omni imparitate aliquid excedens, & aliquid quod exceditur, *Aristot. lib.2. Top.c.*10. Locum majorum & minorum vocat, ἐκ τοῦ μᾶλλον, καὶ ἧττον. *Ex eo quod est magis & minùs.* Et inde aliqui *Latini* Locum *à magis* malunt dicere, quàm locum *à majori.* Item locum *à minus*, quàm *à minori.* Sed inquirendum est. 24

In quo consistat excessus majorum, & defectus minorum?

Aristotelici majus τὸ μᾶλλον vocant, non respectu rei, sed respectu probabilitatis. *Ramus* autem & illius Interpretes, ut & *Keckermannus*, aliique *majus* vocant respectu rei. Ergò *Aristoteli* majus est, quod est probabilius. *Ramo* autem & cæteris majus est, quod est res major. Exempla gratiâ, cùm sic arguo: *Petrus* non timuit facere sacrilegium Ergò etiam non timebit furari. Hoc argumentum *Aristotelicis* est à minori ad majus. Minùs enim probabile est, quod antecedit, (facere scilicet aliquem sacrilegium) quàm quod sequitur (furari aliquem) At *Ramo* est à majori, quia majus, sive major res est, quæ antecedit, (sacrilegum esse) minor, quæ sequitur (furem esse.) 25

Hâc in re existimo non admodùm laborandum esse, quia quæcunque sententia horum accipiatur, semper per eosdem Canones argui potest, illos, inquam, qui dirigunt ad consequentias à minori & majori, quomodolibet sumpto. Quanquam magis placet locutio *Ramæorum*, propterea, quia sententia *Aristotelicorum* non potest adæquari toti do- 26

ctrinæ majorum & minorum. Cùm dico: Illi homines ſunt impares futurâ gloriâ, comparatio eſt majorum & minorum. Et tamen non apparet, quomodo extra collationem Syllogiſticam ſit probabilitas in alterutra major vel minor. Nam probabilitas locum habet ſolùm in ſententiis, earumque collatione. Et proinde probabilitas major minórve non eſt, niſi in explicatis (non autem in contractis) comparationibus, ut benè obſervavit *Doun. in Log. lib. 1. c. 10 p. 319.* Confer *Bethuſ. comparationum, Log. lib. 1. comp. 6. p. 954. ſeqq.*

CANONES DE IMPARIBUS.

27 1. Reſumantur Canones, qui ſuprà relati ſunt *c. 22. & ſeqq.* pertinentes ad comparata in diverſitate, ſub quibus ſunt imparia.

28 2. *Quæ comparantur ſecundùm magis & minùs ſunt ejuſdem ſpeciei.* Magis & minùs propriè referuntur ad qualitatem, ut *Ariſtoteles* docet *lib Categ cap.* 8. In quantitate dicitur majus & minus. Nihilominus ad imparitatem, quæ in quantitate eſt, pertinet hoc axioma. Nam in imparibus quantitas late ſumitur, ſic ut comprehendat etiam quantitatem virtutis ſive perfectionis, quam intenſivam vocant, quæ qualitas eſt, & perinde in ea dari poteſt magis & minus. Exempla ſint: Qui comperantur in fide, ut alteri conveniat fides languidior, alteri firmior, illorúmque uterque nihilominùs fidem habet. Et magis doctus, & minùs doctus, doctus eſt. Quilibet novit hujus orationis veritatem, mas eſt fœcundior fœminâ. Ergò fœmina etiam fœcunda eſt. Ait *Scalig* 1. *de plantis.* Probat hinc *Zabarell lib. de fac. anim. cap* 3. *&* 1 *de prima mut. cap* 9. potentiam agendi, & benè agendi non differre ſpecie. Rurſus *lib de calore cœleſti, c.* 11. *& lib.* 2. *de qualit. clement. c.* 6. probat, omnem calorem eſſe ejuſdem ſpeciei, etſi alius alio intenſior ſit. Item magis & minùs album eſſe ejus ſpeciei, *lib. de miſt. cap.* 7. Rurſus *lib.* 2. *de miſt. gener. & inter. c.* 14. non eſſe diverſas putrefactionis ſpecies, etſi alia magis, alia minùs putreſcant.

29 3. *Ad unum majus vel minùs magis, ſequitur alterum majus vel minus.* Eſt *Ariſtot.* 2. *Topic.* 10 §. 3. Veluti: ſuppoſito, quòd voluptas ſit aliquod bonum, ſequitur id, quod magis voluptas eſt, eſſe magis bonum. Item ſuppoſito, quòd injuriam facere malum ſit, majorem igitur injuriam facere, eſt majus malum.

4. *Cùm,*

4. *Cùm unum de duobus dicitur, & illi non ineſt, cui magis veriſſimile eſt ineſſe, nec illi inerit, cui minùs videtur ineſſe.* Et rurſus: *Si cui minus veriſſimile eſſe, ineſt, etiam alteri ineſt.* Eſt *Ariſtot. dict. loc* §. 4. *& 7. Rhet.* Veluti: Pontificii dicunt, renatorum juſtitiam eſſe perfectam, Igitur ſi non inſit ea, quibus maximè veriſſimile eſt ineſſe (ut Apoſtolis, qui peccata ſua confitentur, ut videre eſt *Rom. 7.*) nec inerit cæteris. Rurſus, ſi concupiſcentia eſt in ſanctiſſimis Apoſtolis, veriſſimile eſt, eam etiam eſſe in aliis hominibus. Sic *Ariſtot. 2. Rhet c.* 23. Si Dii non omnia ſciunt, multò minùs homines. Et: propinquos facilè verberat, qui patrem. Si alii artifices non ſunt mali, multò minus Philoſophi. 30

5. *Cùm duo de uno dicuntur, & quod magis videtur ineſſe, non ineſt, ne id quidem quod minus ineſſe videtur, inerit. Si autem quod minus videtur ineſſe, ineſt, etiam quod magis videtur ineſſe, inerit.* Videre *Ariſtot. 2. Top.* 10 §. 5. Si puer aliquis non poteſt portare libram unam, etiam non poterit portare libras decem. Rurſus, ſi poteſt portare libras decem, etiam poterit portare libram unam. Hic autem videndum, ne tranſitio fiat ad diverſa genera. Neque enim, ſi *Alexander* poteſt domare maximum exercitum, (quod magis eſt) poteſt etiam docere vel profiteri, (quòd minùs.) domare enim exercitum, & docere diverſi generis ſunt. 31

6 *Cùm duo de duobus dicuntur, ſi quod magis videtur ineſſe, non ineſt, ne reliquum quidem reliquo inerit. Si autem quod minùs videtur alteri ineſſe, ineſt, etiam reliquum reliquo inerit.* Ibidem *Ariſt.* §. 6. Ut ſi vir robuſtus non poteſt ferre 100. pondo. Etiam puer non poterit ferre mille pondo. Et ſi puer poteſt ferre mille pondo. Etiam vir robuſtus poterit ferre 100. pondo. Et hæc poſteriora axiomata ſunt apud *Ariſtot.* (ut dictum eſt) quæ ſic comprehenduntur à Dd. Colonienſ: In Hiſpan. *tract.* 5. *fol.* 219 *fac.* 2, 1. Vel comparamus duo ſubjecta ad unum prædicatum, ut Rex non poteſt expugnare Caprum. Ergò nec miles. 2, Vel duo prædicata ad unum ſubjectum, ut Rex non poteſt expugnare villam. Ergò nec civitatem. 3. Vel duo prædicata ad duo ſubjecta, ut Rex non poteſt expugnare villam, Ergò nec miles civitatem. 32

Ad mentem Rami, Iſta ſuperiora axiomata ſic proponi poſſunt. Si non ineſt, quod minus eſt, etiam non inerit, quod majus eſt. Item: ſi ineſt, quod majus eſt, etiam inerit quod minus eſt. 33

34 Pertinent autem præterea huc axiomata quibus cognoscitur unum altero dignius & nobilius esse. Ista enim habent imparem dignitatem. Ergò sequuntur ad ista.

CANONES.

De comparata Entium nobilitate.

35 De nobilitate & præstantia Entium, quam unum habeat præ alio, dicturo, aliqua sunt prægnoscenda. Igitur 1. nobilitas Entis semper est in comparatione duorum, factâ in aliquo tertio. Unde intelligitur, sicut comparatio aliàs solùm attenditur penes unum aliquod tertium; Ita etiam sæpè esse aliquid nobilius altero in uno tertio, quod tamen sit ignobilius eodem in tertio alio. Sic forma & compositum nobiliora sunt quàm materia absolutè, & tamen in Philosophia *Aristotelica*, in quantum ei tribuitur æternitas, est ea istis nobilior. Sic etiam apud *Aristotelem*, cùm motus cœli, & lux solis sint æterna, etsi accidentia sint, tamen considerando æternitatem, nobiliora sunt, quàm aliquæ substantiæ, ut asinus mortalis. Et tamen absolutè hic, tanquam substantia, istis & nobilior. Vide *Zabarell lib. de mistione, cap.* 13. *pag.* 479 *& de sensu agente, cap.* 8. Est autem hoc in omni axiomatum determinatione subintelligendum.

36 *II.* Prægnoscendum. Optimam & potissimam nobilitatem Entis indicari ex operationibus. Operationes autem fluunt ab essentia. Ideóque istarum nobilitas indicat essentiæ nobilitatem. Vide *Coll. Conimbr. lib.* 2. *de cœl. cap.* 1. *qu.* 2. *art in fin.*

37 *III.* Prægnoscendum pleraque axiomata esse Topica. Topicis autem axiomatibus sufficit, si (non necessitatem, sed) qualemcunque probabilitatem habeant.

AXIOMA PRIMUM

38 *Quod est diuturnius & constantius magis est nobile, quàm id, quod minùs tale* Τὸ πολυχρονιώτερον ἢ βεβαιότερον αἱρετώτερον ἢ ἧττον τοιοῦτο. *Aristot.* 3. *Top. cap.* 1. §. 3. Aliàs dici solet sic: *Quò quid est diuturnius, cò est præstantius.*

39 Ad determinationem autem axiomatis sciendum est 1. Absolutè ex qualicunque longiori duratione non posse fieri judicium de majori præstantia. Aliàs enim quercus nobilior esset, quàm homo, & quivis lapillus, quàm rosa, quià diu turniota-

turniora ista; quod tamen secus est. Vide *Taurell. part. 2. de rer. ætern. pag.* 219. *& Scal. exerc.* 287. *Neque* inquit ibi, *trecenti anni magis quicquam sunt, quàm* 300. *dies, imò verò quàm horæ tres: Quoniam æquè interit, quod vixisse videtur diu* Sic etiam plantarum genus, sit simul sumatur, longævius est, quàm animalium genus apud *Scalig. exerc.* 375. Et inter animalia vivacissimus est Elephas, apud *Aristot. 4. de gen.* Neque tamen Elephas aliis animalibus, vel plantæ animalibus præstantiores sunt.

Igitur 2. Determinatio duplex esse potest 1. Dici potest cum Versore *ex comment. in. 3. Topic. in init.* Tum scilicet diuturnius esse præstantius, si uno non habeat præeminentiam ante aliud, nisi per hoc, quod est duturnius. 2. Dici potest cum *Perer. lib. 12, de tempt cap. 7.* Cùm tres ordines sint durationis; æternitas, ævum & tempus, tùm aliquid esse nobilius altero, sit sit durabilius, excedendo totum ordinem aliquem. Per hoc igitur, quæ sunt in tempore, sunt ignobiliora iis, quæ sunt in ævo vel in æterno. Et rursus, quæ mensurantor ævo, ignobiliora erunt iis, quæ sunt æterna. Sic igitur à duratione nobilior erit Deus, quàm alia quia ipse æternus. Item nobiliores erunt angeli, quàm aliæ creaturæ, quia illi durant per ævum. Eodemque modo anima rationalis, quàm formæ aliæ. Non poterit autem dici, quercum esse nobiliorem homine ex duratione. Nam etsi quercus sit durabilior, quàm homo, non tamen istâ duratione suâ excedit totum genus durationis humanæ, Nam utrumq; corpus est in tempore. Tũ autem quercus esset nobilior ex duratione. Si homo quidem esset in tempore; quercus verò esset in ævo vel æterna. 40 *Determinatio duplex axiomatis?*

Dices: Pœna æterna ignobilior est, quàm temporalis. *Respond:* Pœna æterna ignobilior est, quàm temporaiis in esse suo, hoc est, in ratione pœnæ. Etsi homini eligibilior sit temporalis, quàm æterna. Unde si etiam quantum ad eligibilitatem determinandum sit axioma, dicendum erit: quod diuturnius est, id esse eligibilius, tum, si servetur generalis ratio objecti electionis. Objectum autem electionis est id, quod est eligenti *bonum*. Unde sic non procedit objectio de pœna. Nam pœna est aliquod malum. 41 *Objectio.*

11. *Quod per se est optabile, optabilius est eo, quod est optabile propter alterum.* Ut: Benè valere est melius: quàm exerceri (*corpore.*) Illud enim est optabile propter se, hoc verò propter alterum. Τὸ δι' ἑαυτὸ αἱρετὸν, τὸ δι' ἕτερον αἱρετῶ αἱρετώτε- 42

αἱρετώτερον, οἷς τὸ ὑγιαίνειν ἢ γυμνάζεσθαι, τὸ μὲν γὰρ δι' ἑαυτὸ αἱρετόν, τὸ δὲ δι' ἕτερον. Est *Aristot. 3. Top. cap. 1. §. 6.* Sic, *Dic mihi,* (inquit *Augustinus lib. de quant. an. c. 26.*) *si duæ quædam res tibi proponantur una, ad quam perveniendum sit altera, per quam pervenire possint, quam istarum pluris pendis, & quam cui præponis?* Respondet ibi Adeodatus filius *Augustini: Quis dubitat eam præstare, ad quam sit perveniendum.* Sic felicitas nobilior est quam virtus, quia hæc eligibilis est propter hanc. Et vivere nobilius est, quàm edere. Edimus enim ut vivamus; non autem vivimus ut edamus. Sic habitus speculativi nobiliores sunt, quàm practici: Quia speculativi appetuntur propter se. Practici autem propter aliud, veluti propter sanitatem restituendam, vel administrandam Rempublicam aut domum, &c.

43 Advertendum autem est. 1. Axioma loqui de appetitu vel voluntate, directâ per rectam rationem & prudentiam, quod igitur taliter est optabile propter aliud, id est nobilius. Alioquin enim sordidus animus potest studere, ut diteſcat ex studiis, ideóque consequitur eruditionem propter divitias; nec tamen divitiæ sunt meliores eruditione.

44 *Eligibilia propter aliud duplicis generis.* Advertendum est, *secundo;* Ea quæ sunt eligibilia propter aliud, esse duorum generum: aliqua sunt elegibilia propter aliud, ut non sint eligibilia propter se, sicut frænifactoria ars est eligibilis, sed solum propter aliud, nempe propter equestrem. Si enim equis nemo uteretur, nullus usus esset frænifactoriæ. Et hæc per se sunt eligibilia propter aliud. Alia autem sunt eligibilia propter aliud, ut etiam sunt eligibilia propter se. Ideóque his accidentale est ordinari ad aliud. Sic cognitio Physicæ ab aliquo eligitur propter Medicinam, quæ tamen Physica cognitio maximè per se est eligibilis. Hinc dico, axioma inprimis procedere de priori genere eligibilium. Nam quæ posterioris generis sunt, modò sunt nobiliora, modò ignobiliora iis, ad quæ referuntur, sicut apparet de Physica, quæ est nobilior Medicina, sicut ad artes Architectonicas sæpe refertur cognitio Matheseos, Geometriæ, & Opticæ, quæ tamen cùm etiam per se eligibiles sint, neutiquam hoc ipso fiunt ignobiliores Architectonicis.

45 *III. Quò quid est difficilius. eò est nobilius.* Hoc axioma sumitur ex *Aristot. 3. Topic. cap. 2. text. 14* καὶ τὸ χαλεπώτερον (scilicet αἱρετώτερον ὅτι) μᾶλλον γὰρ ἀγαπῶμεν ἔχοντες, εἰ μὴ ὅτι ῥᾳδίως λαβεῖν. Et quod est difficilius (est eligibilius)

gibilius.) Charior enim nobis est eorum possessio, quæ non facilè acquiri possunt.

Ad determinandum axioma ponendum est dubium. Igitur si difficilius est nobilius faciliori, sequetur actiones semivirtutum nobiliores esse, quàm actiones virtutum. Illæ enim difficulter fiunt, propter repugnantiam affectuum, hæ autem facilè, quia affectus sunt compositi & correcti per imperium rationis. Unde in universum signum comparari habitûs dicitur facilitas & hilaritas, & constantia in operatione. Signum autem habitûs nondum acquisiti, difficultas operandi. Sicut difficulter discit tyro Logicæ, facilè autem artifex Logicus. & sic in reliquis. 46

Quapropter ad intelligentiam axiomatis & dubii solutionem sciendum est ex *Piccolhom: grad. 2. Philos. Moral. cap. 7. in fin. & grad. 3. cap. 14:* quòd difficultas duplex sit, alia est ex dispositione & constitutione agentis, alia est ex parte objecti nobilioris & eminentioris. Igitur quod primo modo est difficilius, hoc non nobilius, sed ignobilius est, sicut apparet in operatione tyronis Logicæ. Si quid autem sit difficile suppositâ agentis dispositione justâ vel perfectione, solùm propter objecti eminentiam, illud demum est nobilius faciliori. Estque secundùm hanc difficultatem nobilior gubernatio Reipublicæ, quâm domûs privatæ: nobilior item operatio animæ, qua occupatur ipsa in cognoscendis entibus immaterialibus, quàm ista, quâ occupatur circa materialia, & sic in aliis. 47 *Objectio.*

IV. Bonum, quò est communius, eò est præstantius. Hoc axioma sumitur ex *Arist. 3. Topic. cap 2. text. 19* ὧν ἔξεστι τοῖς φίλοις μεταδιδόναι, αἱρετώτερα ἢ ὧν μή. *Quæ cum amicis communicare licet, sunt eligibiliora, in quæ non licet communicare.* Contrarium tamen videtur huic axiomati, quod ibidem dixit *Aristot. text. 15.* Τὸ ἰδιώτερον αἱρετώτερον τοῦ κοινοτέρου. *Proprium est nobilius communi.* 48

Ad intelligentiam & conciliationem horum dicendum est ex Colonien sibus, in *Aristot. 3. Topic. sect. 29. fac. 3.* Quòd bonum proprium sit melius communi, isto scilicet, circa quod usus unius impedit usum alterius, quale quid est equus aliquis communis in civitate. Si quod autem commune à pluribus possit possideri circa impedimentum hujus vel illius, ut par in regno, tum communius bonum est nobilius particulariori, 49

Adver-

50 Advertendum præterea adhuc, communius bonum eſſe præſtantius, ſi alioquin cætera ſint paria. Nam ſi per aliam quandam conditionem particulare bonum nimis excellentem habeat nobiliratem ſupra bonum commune, tum communitas boni hujus non facit, ut hoc communi illi particulari anteponatur. Neque enim cereviſia, tanquam bonum communius, nobilior eſt, quàm vinum, aut argentum, quàm aurum; & ſic in aliis. Deducnnt ex hoc axiomate Latini, Politicam eſſe nobiliorem Ethicâ, quia iſta agit de bono publico, hæc de privato, ut refert *Piccolhomineus in introd. Philoſ. Moral cap. 9.* Sed invertendum eſt argumentum. Nam Politica agit de bono limitato ad Rempublicam. Ethica autem de bono agit communiùs, prout eſt indifferens ad bonum in Republica & Oeconomia.

51 *V. Quod eſt in nobiliori, id eſt nobilius.* Hoc axioma ſumitur ex *Ariſtotel. 3. Topic. cap. 1. text. 11.* Τὸ τῷ βελτίονι καὶ τιμιωτέρῳ ἐπάρχον, αἱρετώτερον, οἷς θεῷ ἢπερ ἀνθρώπῳ, καὶ ψυχῇ ἢπερ σώματι. *Quod rei meliori & honoratiori ineſt, magis eſt eligendum, ut* (quod ineſt) *Deo* (magis) *quàm* (quod ineſt) *homini, &* (quod ineſt) *animo* (magis) *quàm* (quod ineſt) *corpori.* Hinc igitur probatur Monarchiam eſſe nobiliorem ſtatum imperii, quàm Ariſtocratiam, vel Democratiam, quia Monarcha etiam eſt Deus. Itidem probatur eruditionem nobiliorem, quàm ſanitatem, quia iſta eſt in anima, hæc corpore. Sic *Ariſtotel. lib 1. Met. cap. 2.* probat Metaphyſicam eſſe ſcientiam nobiliſſimam, quia maximè conveniat Deo.

52 *Objectiones.* Duo objiciuntur: *Primò* igitur quidam uſurpant hoc axioma ad oſtendendum, quòd ars ſit præſtantior naturâ quia ars eſt in mente. Natura autem eſt infra mentem, & eſt etiam in iis, quæ mente carent. Vide *Piccolhomin. grad. 5. Philoſ. Moral. cap. 58.* Et tamen verè loquendo, ars naturâ non eſt nobilior. *Deinde* objiciunt quidam: Ignorantia eſt in mente, & vitia moralia in voluntate, vel aliâ animæ parte. Sanitas autem eſt in corpore. Ergóne ignorantia & vitio talia ſunt præſtantiora ſanitate.

53 Reſp ad *primum*: in eo nullam eſſe difficultatem. Nam ars quidem eſt in mente, adeóque eſt accidens alicujus rei valdè honoratæ. Natura autem non eſt in ſubjecto minùs honorato, quia cum ſit ſubſtantia non eſt in ſubjecto, ſed eſt ipſum ſubjectum. In axiomate autem fit comparatio duorum adjunctorum,

adjunctorum, vel accidentium, quæ ſunt in duobus ſubjectis nobilitate differentibus.

Ut autem *poſterius* abſolvetur, & ſic axioma determinetur. Reſpondent quidam (*Colonienſes lib. 3. Top. f. 27. ſ. 2.*) *Ariſtotelis* axioma intelligendum *de iis quæ poſitiva ſunt.* Nam de privationibus dicendum eſſe in oppoſitum. Sicut enim habitus ſubjecti melioris eſt melior, ita privatio in ſubjecto eſt pejor, ut proinde ignorantia ſit pejor, quàm ægritudo, quia iſta dicit abſentiam melioris boni. Sed determinatio non eſt ſufficiens. Nam vitia moralia non ſunt privationes, ſed habitus poſitivi. 54 *Colonienſium determinatio.* *Rejicitur.*

Idcircò dicendum eſt: Fieri in poſito axiomate comparationem non omnium Entium tam bonorum, quam malorum, ſed bonorum ſolùm. Si igitur *Bonum*, quod eſt in meliori eſt etiam melius. Hæc determinatio ſumitur ex dicto loco *Ariſt.* Nam *in text. 9.* fecit ſubjectum ſequentium propoſitorum, nempe τὸ ἀγαθὸν bonum. 55

VI. Quò quid eſt ſimplicius, eò eſt præſtantius. Cajetanus de Ente & eſſen. cap. 2. exiſtimat: ſimplicitatem nullam dicere nobilitatem in Ente, cùm non ſit aliquid poſitivum, ſed privativum ſolùm. Eſſe enim aliquid ſimplex, nihil eſſe aliud, quàm non habere multitudinem partium. Sed tamen in oppoſitum ſunt plurimi Dd. qui poſitum axioma uſurpant. Videatur *Soncinas 4. Met. q. 14.* & *Scotus lib. 1. ſent. diſt. 8. q. 1. ad primam*, & *Lychetus* ex profeſſo refutans *Cajetanum* hac in parte *lib. 1. ſent. d. 8. q. 1. part. 1.* Etſi enim ſimplicitas non inducat vel efficiat majorem nobilitatem; tamen indicat eam, removendo imperfectionem compoſitionis. Nam quod compoſitio imperfectio ſit, id patet ex eo, quia omne compoſitum habet dependentem perfectionem à partibus; Quod autem ſimplex eſt, habet independentem. At perfectio independens nobilior eſt, quàm dependens. 56

Cæterùm, ut determinetur axioma, movendum eſt dubium. Igitur ſi ſimplicius ſit nobilius compoſito, tum ſequetur: Elementa eſſe nobiliora quovis miſto, imò materiam eſſe nobiliorem quovis corpore naturali, etiam cœlo & homine. Hominem enim eſſe maximè compoſitum verè videtur dixiſſe *Scalig lib. 2. de plant. pag. 359.* unde enim dicit. *Exerc. 140. ſ. 1. pag. 472.* Quædam approximare Deo, atque ſic nobiliora eſſe, ſimplicitate, ut mentes immateriales; quædam verò, compoſitione, ut hominem. Ubi ſatis aperte *Scal.* 57 *Objectio.*

docet,

docet, hominem præstantiorem aliis esse, propter compositionem.

58 *Solvitur.* Igitur primò videtur distinguendum, cùm *Scalig. d. lib. exerc.* 140. Duo esse simplicia, unum esse simplex, summum, & primum, ut Deus; sed aliud esse simplex imum, quod est materia. Hinc dicendum: Quod in genere corporum simplicius est, hoc esse ignobilius; ibi enim simplicitas arguit absentiam plurium formarum, & proinde indicat majorem accessum ad simplex imum. Ita elementa erunt ignobiliora quibusvis mistis cùm mista includant perfectionem Elementorum, & habeant præterea perfectionem propriam. Ἐν παντὶ γὰρ τῷ συνθέτῳ πάντα τὰ ἁπλᾶ εἶναι, *lib. 2. de gen. & corr. cap. 8.* Si quid autem simplicius sit in alio genere Entium, cum per istam simplicitatem Ens Deo approximet, igitur, propter accessum ad simplex primum, videtur tunc sequi major nobilitas. Et sic Angeli fiunt nobiliores quibusvis corporibus. Ita in totum sentit *Gerhard. de Monte in Thom. de ente & essent. fol. 4. a.*

59 Sed tamen plena non est determinatio. Nam in genere corporum, cœlum est simplicius, quàm quoddam mistum & tamen istud hoc est simplicius. Dicamus ergo cum *Fran. Suarez. disp. 30. Met. sect. 4. num. 3.* Non semper absolutè, quòd est simplicius, idem est nobilius. Est enim simplicior pars quàm totum, non est tamen perfectior; & similiter accidens sæpè est simplicius, quàm substantia, licet sit inferiori ordine & gradu Entis. Sic & omne genus est simplicius specie. Species enim propter adjectionem differentiæ ad genus, habet peculiarem perfectionem, & omnes istas, quæ in genere sunt. Et tamen genus est ignobilius specie Sistendo igitur intra eundem ordinem, ac cæteris paribus, simplicitas perfectionem indicat.

60 *VII. Actus est nobilior potentiâ.* Ergóne actu nebulonem esse, melius & nobilius est, quàm esse nebulonem potentiâ? *Respondendum* est: determinando axioma ex *Aristot. lib. 9. Met. cap. 9.* ὅτι βελτίων τῆς συνδιάας δυνάμεως ἡ ἐνέργεια, ὅτι ἡ κακῶν χείρων ἡ ἐνέργεια τῆς δυνάμεως, hoc est, *in bonis melior est actus, quàm potestas. In malis autem melior est potentia, quàm actus.*

61 *VIII. Agens nobilius est patiente.* Hoc axioma sumitur ex *Aristot. lib. 5. de an. cap. 5. t. 19.* Τιμιώτερον τὸ ποιοῦν τοῦ πάσχοντος, hoc est: *Agens est nobilius patiente.* Advertendum

dum autem est 1. In isto axiomate fieri comparationem talium duorum, quorum hoc patiatur ab isto, & istud agat in hoc. Ideoque agens nobilius est patiente, eo scilicet, in quod agit. Aliâs autem, si comparatio fiat ad diversa, non procedet axioma.

Deinde advertendum est ex *Zabarell. lib. de react. cap. 4.* 62
Actionem bifariam sumi, *uno* modo pro impressione alicujus gradûs qualitatis, *altero* modo, pro impressione tali, ut sequatur victoria adversus patiens. Hoc posteriori modo sumitur, cùm dicitur, actionem fieri à potiori vel valentiori. Hinc autem in proportione, *Agens* dicitur, uno modo, omne illud, quod alteri aliquem gradum alicujus qualitatis imprimit. Altero modo dicetur illud, quod non qualemcunque qualitatem alteri imprimit, sed quod illud totum transmutat.

Hinc dico: Axioma intelligendum de agente secundùm 63
posteriorem significationem. Nam ut clarum est ex doctrina de reactione; frigidum ad gradus tres, agit etiam in calidum ad gradus octo; & tamen frigidum ad gradus tres non est nobilius calido ad gradus octo. Agit igitur frigidum imbecilliùs calidiori, solùm imprimendo calidiori gradum aliquem. Illud autem, calidum videlicet, non solùm frigido imprimit aliquos gradus, sed etiam vincit, ita, ut frigidum non tam egisse, quàm passum esse dicatur.

Tertiò advertendum: rationem hujus axiomatis peti posse 64
ex priori. Agit enim agens, in quantum est actu, & patitur aliquid in quantum est potestate ad aliud. Unde si actus nobilior est potentiâ, agens quoque nobilius erit patiente. Vide *Zabar. de part. an. cap.* 8. Hinc inferendum: eandem determinationem hic valere, quæ valuit de comparatione actûs & potestatis, quòd scilicet verum sit solùm axioma de agente *in bono*. Unde non sequitur, decipiens est agens, & is, qui decipitur, est patiens. Ergo, si agens sit præstantius patiente, sequitur decipientem etiam esse præstantiorem iis, quos decipit.

IX. Quod est origine posterius, id est. præstantius. Hoc 65
axioma sumitur à Philosophis ex *Aristot. 8. Phys. cap. 7.* ubi dicit *Aristoteles*: τὸ τῇ γενέσει ὕστερον τῇ φύσει πρότερον εἶναι). Hoc est: *Illud quod generatione posterius est, naturâ prius esse.* Et id rectè quidem. Nam per *naturâ prius* hic non potest intelligi aliud, nisi quod secundùm ordinem naturæ generantis prius dicitur. Contradistinguitur enim ab illo, quod

est

esse prius secundùm ordinem generationis. At quod secundùm ordinem naturæ existendi est prius, ad nos quandoque
67 posterius esse, quia quod incipitur à parvâ, optimum solet esse, vt tandem illud ordinem alia-
66 rum. Ex hac deductione evidens est determinatio axiomatis. Neque enim absolutè dicendum est, quod est posterius origine, esse perfectione prius. Pendent enim sæpe ex posterioribus viliora, sicut & accidentia origine posteriora sunt substantiis. Dicatur ergò: Posterius origine, est præstantius si priora ad posteriora ordinentur. *Solum ea sententia vera est*, inquit *Turcellinus Homeus grad. 5. Philos. moral. cap. 10. in ordine formarum & gradium perfectionis in eadem regenerabili recipientium, dum præcedens parat pro subsequente.* Iudicet ergo colligi potest, animam rationalem nobiliorem esse quàm sunt animæ aliæ, quia propter hanc sunt istæ.

67 X. *Corpus animatum est nobilius inanimato.* Obiicitur, cœlum esse ignobilius formicâ planâ, & quâvis bestiâ. Hæc enim sunt animata, illud verò anima caret. Huius igitur occasione huius axiomatis quæritur:

An cœlum sit ignobilius quâvis re animatâ?

Aristoteles videtur pro negante sententiâ esse dicens *lib. 2. de cœlo, cap. 2. text. 16. Est quoddam corpus divinius aliis corporibus, quæ sic circa nos sunt, separatum, præstantiorem habens naturam, quantò plus ab istis corporibus distat.* Item dicens *Aristot. 1. de part. an. cap. 1. & 5.* & passim, ubi istud corpus divinum, divinissimum corpus cœlum appellatur. Idemque confirmatur à figura, motu, substantiæ simplicitate, quibus cùm sint nobiliora in cœlo, quàm aliis, videtur iudicare, illud etiam nobilius esse. In oppositum autem est axioma propositum: Animatum est nobilius inanimato.

68 Ad decidendas has difficultates sunt, qui negant huiusmodi veritatem. Sic enim *Marsilius seut. 1. q. 2. art. 2. Conclus. ultima*: Cœlum esse præstantius quâvis re animatâ præter hominem. Verùm axioma facilè confirmatur. Nam optima ratio iudicandi de nobilitate rei sumitur ex operationes, ut suprà *n. 36.* dictum. Operationes autem vitales animales simpliciter sunt nobiliores, quàm cœlorum inanimatum operationes.

Solutio Marsilii Refellitur.

69 Ideòque missâ hac sententia, negant aliqui, cœlum aliquem esse inanimatum. Unde aiunt: Cœlum nobilius esse solùm secundùm corporeitatem sumptum, vel quia in eius sibi intelli-

Solutio aliorum.

intelligentiâ motrice. Igitur priori modo cœlum esse inanimatum quidem, & sic ignobilius etiam; tamen non posteriori.

Sed hæc sententia duabus falsis hypothesibus nititur: Unâ, quòd cœlum moveatur ab intelligentia: Alterâ, quòd cœlum si moveatur ab intelligentia, possit dici animatum, quod tamen non magis dici potest, quàm navim esse animatam, quia moveatur ab homine habente animam. 70 *Refellitur*

Tertiò, aliqui determinant axioma. Sic igitur dicit *Pererius lib. 2. Phil. nat. c. 6.* ut animatum dicatur nobilius inanimato, comparationem fieri debere in his, quæ sunt ejusdem generis vel ordinis. *Quocirca in mortalibus*, inquit, *animatum nobilius est inanimato*; sed *animatum mortale non est nobilius inanimato immortali & incorruptibili, quale est cœlum.* 71

Nos pro decisione quæstionis & intelligentiâ axiomatis dicimus primò: Axioma esse generale, quod corpus animatum cujuscunque generis sit, sive sit perfectum, sive imperfectum nobilius sit, quàm animatum. Id enim confirmatum est antè, contra *Marsilium*, ex utrorumque operationibus. Et hoc adeò verum esse putat *Augustinus*, ut soli muscæ, quæ est animal imperfectum præferat; *lib de duab an, c. 4.* Vide *Colleg. Conimbr. l. 1. de cœl. c. 1 quæst. 2. art. 2.* Est hoc statim sequitur: Cœlum etiam ignobilius dicendum esse, quàm quamvis rem animatam. Et quanquam de bestiolis imperfectis videatur durum esse, eas cœlo præferre, si tamen admittamus, alias bestias cœlo nobiliores esse, jam quicquid cœlo has anteponit, idem etiam bestias reliquas eidem præponet. 72 *Decisio autoris.*

Dicimus 2. Etsi cœlum ignobilius sit quavis re animatâ, possunt nihilo minùs media inveniri, secundùm quæ dicatur etiam cœlum præstantius esse rebus animatis, qualia fortassè esse possunt ea, quæ in principio allata sunt, de motu circulari, figurâ rotundâ, &c. Ita sentit *Thomas 1. part. q. 70. a. 4. ad 2.* Ubi differit, animal simplicitur nobilius esse cœlo, cœlum tamen secundùm quid esse nobilius animali, tum quia forma ejus in totum perficit materiam, ita, ut sit inseparabilis, nec amplius sit in potentia ad aliam formam, quod non facit anima in animali, tum etiam propter motum, qui sit à nobiliori motore. Hæc *Thomas* verè quidem, quantum ad rem principalem, non autem quantum ad exempla. Videatur idem *lib. 1. contra gentes c. 20.* 73

74 XI. *Ingenerabile est præstantius generabili.* Atque materia est ingenerabilis. Forma autem generabilis. Ergò ista est hâc nobilior, quod tamen absurdum. Forma enim est perfectiva, materia autem perfectibilis. Illa actus rationem habet, hæc potentiæ. At perfectum & actus nobiliora sunt perfectibili & potestate. Et alioquin dici solet Peripateticis bona, quæ sunt in corporibus naturalibus, provenire à forma, mala verò materiâ. Et ipse *Aristot. l. 1. Phys. c. 9. t. 13.* formam materiæ præfert. Καὶ μᾶλλον φύσις αὕτη (ἡ μορφὴ) τῆς ὕλης. *Magis natura est hæc* (forma) *quàm materia.* Igitur dicendum est ex *Pereyio, lib. 6. de form. cap. 4.* Ingenerabile bifariàm dici loquendo pro eo, quod propter suam perfectionem est supra generationem, ut intelligentias, aliquando autem pro eo, quod propter suam imperfectionem est infra generationem, tanquam prope nihil existens, & sic materia est ingenerabilis. Igitur quod est ingenerabile primo modo, ut sit supra generationem, hoc est nobilius generabile. Posterior autem ingenerabilitas indicat imperfectionem.

75 XII. *Incorruptibile est præstantius corruptibili.* Hinc iterum videtur sequi, materiam esse nobiliorem formâ. Nam forma est corruptibilis, materia autem incorruptibilis. Si enim corrumpatur, V. G. bos, corrumpitur ejus forma; Materia autem manet; Eadem est in bove & cadavere, s. sub forma diversa.

76 Dicendum: Incorruptibile esse nobilius, in iis, quæ sunt ejusdem ordinis & rationis, ut si ambo sint materiæ vel formæ, vel composita substantiæ. Neque enim quantitas cœli, quæ est incorruptibilis, nobilior est, quàm forma equi, quæ est corruptibilis. Vide *Perer. l. 6 de form. c. 4.*

77 Addi tamen potest: Si incorruptibile aliquid sic sit, ut nec naturalem, nec obedientialem potentiam habeat ad non esse, tam simpliciter esse nobilius. Et sic solus Deus est incorruptibilis. De quo D. *Augustinus lib 7. Confess. cap. 4. Ut iam invenieram melius esse incorruptibile, quàm corruptibile, ita & (Deus) quicquid esses, esse incorruptibilem confitebor. Neque enim ulla anima unquam potuit, potestve cogitare aliquid, quòd sit te melius, qui summum & optimum bonum es.*

78 XIII. *Quorum causæ sunt præstantiores, ea ipsa sunt præstantiora.* I. Inprimis verum est axioma de causis, conjunctim

junctim sumptis. Igitur si quid omnes causas nobiliores habet, quàm aliud, est quoque nobilius.

II. Secundum etiam verum est *de forma*. Nobilitas enim Entis sumitur à nobilitate essentiæ. Essentia autem ejus nobilior est, cujus forma est nobilior. Est enim hæc vel tota essentia, vel ejus pars potissima. 79

III. *De fine* itidem hoc asseritur à *Titelmanno l. 5. Cons. Dial. c 16.* Quòd, quorum nobilior est finis, ea sunt nobiliora. Hinc *Soul. exere 287.* Ego *inquit*, triticum & uvam, & asellum etsum, qui ad molas est, auro, adamanti, Elephanto, antepoluerim. Sunt enim admiranda, quorum officium sive finis est, miracula conservare. Miraculum autem ullum in natura homo. Ab his autem, non ab illis conservatur. 80

IV. *De materia* distinguendum est. Verum enim videtur esse solùm de materia immanente. Unde vestis de serico præstantior est, quàm de lino. Non autem procedit de materia transeunte. Nam semen nobilius est, quàm terra. Et tamen primus homo ex terra factus, nobilior erat, quàm homines post eum geniti ex semine, vide *Taurell. part. 3. de rer. æter. pag. 542.* Atque sic nec fœmina nobilior est viro, quia ista (*Eva*) facta sit ex costa, hic autem (*Adamus*) factus sit de limo terræ. 81

V. Si verum sit de efficiente, tum sequetur, quod est productum per creationem nobilius esse eo, quod est productum per generationem. Hoc tamen hoc est non verè universè. Neq; enim rana, si à Deo nunc creëtur, nobilior erit, quàm homo ex parentibus genitus. Si tamen intelligatur axioma intra eundem ordinem Entium, admitti posset hoc productum per creationem nobilius esse alio producto per generationem, nobilius, inquam, quantum ad hoc tertium. In moralibus autem semper verum est axioma, nisi contingentur & per accidens. Actio enim moralis hominis moraliter præstantioris alio nobilior est, quàm alterius, veluti actio temperantis, quàm continentis. Dico, *Nisi contingenter*. Nam boni etiam quandoque graviter labuntur. Denique hic de causa corrumpente observanda sunt ista: Quorum corrumpentia bona sunt, ipsa sunt mala, Exemplum est de Magistratu & furto. Et quorum corrumpentia sunt mala, ipsa sunt bona. Exemplum est de iniquo judice corrumpente judicium. 82

XIV. *Quod semper aut ut plurimum utile est*, melius 83

est eo, quod aliquando. *Est 3. Top. cap. 2. §. 6.* Sic Justitia & temperantia sunt præstantiora fortitudine, quia istis vanus hâc rariùs utimur.

84 *XV. Quod est in prioribus, id est præstantius.* Est. 3. *Top. c. 1. §. 13.* Ita sanitas est præstantior robore, quia hæc est in certa constitutione ossium & nervorum, illa in Symmetria calidi & frigidi, humidi & sicci, quæ priora sunt nervis & ossibus, ait *Aristot. 2. de part. an. cap. 1.* ubi primam compositionem in animali statuit eam, quæ Ex Elementis, vel eorum virtutibus, hoc est, valido & frigido, humido & sicco. Secundam, quæ est ex primis illis in paribus similaribus, nervis, ossibus. Tertiam, quæ est in paribus organicis, ut facie.

85 *XVI. Eligibilius est, quod eligit potius vir prudens & bonus, aut lex recta, aut cujusque rei studiosi qui in ejus electione versantur, quâ tales sunt, aut ii, qui in unoquoque genere scientes sunt, aut quæcunque plures omnésve eligunt, ut arte Medica quod plures vel omnes Medici eligunt.* Singulorum clara sunt. Sumiturque Canon ex *3 Top. c. 1. sect. 4.*

86 *XVII. Quod est in genere, nobilius est eo, quod in genere non est.* Ita nobiliora sunt abstracta concretis, ut Justitia justo. *3. Top. c. 1. sect. 5.*

87 *XVIII. Quod est per se tale, nobilius est eo quod est per accidens tale. 3. Top. c. 1. Sect. 6. 7. 8.*

88 *XIX. Finis est nobilior iis quæ ad finem diriguntur.* Ex duobus autem id, quod ad finem proprius accedit, *3. Top. c. 1. Sect. 14. 15.*

89 *XX. Possibile est nobilius impossibili,* ibid. *Sect. 18.*

XXI. Cujus efficientis finis est nobilior, id est nobilius Sect. 19.

90 *XXII. Quod per se est pulchrius, honestius, & laudabilius, id est nobilius, Sect. 20.*

91 *XXIII. Cùm duo sint valdè ad invicem vicina (& ἀπάτησις) nec possumus cognoscere, quâ unum alteri præstet, ex consequentibus judicandum est.* Cui enim consequens est majus bonum, id est, cui pervenire per eligibilius. Et si utrinque consequentia mala sunt, cui minus malum est consequens, id est magis eligendum. *3. Top. c. 2. Sect. 1.*

92 *XXIV. Plura bona sunt anteponenda paucioribus, aut simpliciter aut quando alterâ in alteris sunt pauciora in utribus. 3 Top. c. 2. Sect. 2.*

93 *XXV. Eadem cum voluptate sunt magis eligibilia, quam sine voluptate Sect. 3.*

XXVI.

XXVI. *Eadem cum ἀοῦπία (indolentiâ) magis sunt eligibilia, quàm cum dolore. Sect. 4.* 94

XXVII. *Quod tempore magis valet, eo tempore est magis eligibile.* Ita magis eligibilis est prudentia in senectute, quàm in pueritia. *Sect. 5.* 96

XXVIII. *Id quod si omnes habeant, alteros non egemus magis est elegendum, quam id, quod si omnes habeant, indigemus reliquo.* Sic justitia nobilior est fortitudine. Si enim omnes justi sint, non opus est fortitudine. At si omnes fortes sint, opus est justitiâ. *Sect. 7.* 97

XXIX. *Quorum corruptiones sunt magis fugiendæ, ea sunt magis eligenda. Itémque, cujus contrarium est magis fugiendum, id est magis eligendum.* Contrà est in generatione. *Quorum generationes sunt magis eligendæ, ea ipsa sunt magis eligenda. Sect. 8.* 98

XXX. *Quod bono vel meliori est similius, id est nobilius.* Excipe, si illud absquin sit ridiculum. Sicut simia similior est homini, quàm equus. Et tamen iste est melior, 3. *Top. cap. 2. 9. 10. 11. 12.* 99

XXXI. *Bonum, quò est illustrius (ἐπιφανέστερον) eò est nobilius. Sect. 13.* 100

XXXII. *Quod à malis magis segregatum est, est magis eligibile. Sect. 16.* 101

XXXIII. *Si hic simpliciter est illo melius, etiam illius optimus est melius hujus optimo.* Si homo est melior equo, etiam optimus homo est melior optimo equo. *Sect. 17.* 102

XXXIV. *Si optimus optimo est melius, etiam simpliciter est melius.* Si optimus homo optimo equo est melior, etiam simpliciter homo est melior equo simpliciter. *Sect. 18.* 103

XXXV. *Quæ erga amicum agere volumus, sunt meliora iis, quæ erga quemvis.* ut verè benefacere, quam videri benefacere. *Sect. 20.* 104

XXXVI. *Quæ ex abundanti, necessariis sunt meliora.* ut bonè vivere melius est quàm vivere simpliciter. *Sect. 21.* Hic addit *Aristoteles*, quod est melius, non tamen hic esse eligibilius. Fortasse, inquis, magis eligendum est, quod est necessarium. Melius autem est quod est ex abundanti. 105

XXXVII. *Eligibilius est, quod sine alio eligitur, aliud autem non sine hoc. Sect. 23.* 106

XXXVIII. *Si duorum alterum negemus, ut reliquum videatur inesse, illud est nobilius, quod videri volumus inesse*

Ut Laboriosos nos esse negamus, ut videamur ingenioli, §. 24.

108 *XXXIX. Cujus absentiam, qui molestè ferunt, minus reprehendi sunt, id est optabilius*, §. 25. *Et cujus absentiam, qui non ægrè ferunt, magis reprehendendi sunt, id est optabilius, sect. 26.* Ita liberi sunt meliores divitiis, quia magis reprehendendi sunt, qui non ægrè ferunt amissionem liberorum, quàm qui divitiarum.

109 *XL. Eorum quæ sub eadem specie continentur, quod habet propriam virtutem, nobilius est eo quod non habet.* 3. Top. c. 3. Sect. 12.

110 *XLI. Si alterum bonum efficit id, cui adjungitur ad alterum non prius est nobilius. Si verò ambo efficiant, id est præstantius, quod magis efficit* 3. Top. c. 3. Sect. 4.

111 *XLII. Conjugata sese consequuntur in nobilitatis comparatione.* Si juste agere est nobilius, quàm fortiter agere. Etiam justitia est nobilior fortitudine. Et tectò, *ibid* §. 5.

112 *XLIII. Si alterum sit majus bonum, aut etiam majori maius, alterum bonum minus illud est nobilius. Sect. 6. 7.*

113 *XLIV. Cujus exuperantia est optabilior exuperantiâ alterius, id est nobilius.* Ita eligibilior est amicitia excellens quàm divitiæ excellentes. Ergò sic ista est melior, *Sect. 9.*

114 *XLV. Quod sibi quisque mavult propter se parare, quàm propter alium, id est, huic anteponendum*; ut amicitia divitiis, *Sect. 10.*

115 *XLVI. Quæ ab eadem re ablato, quod relinquitur est minus illud est minus, Sect. 13.*

Caput. XXIII.

De comparatis in qualitate, similibus ac dissimilibus.

1. Fuerunt comparata in quantitate; sequuntur comparata in qualitate.

2. Comparata in qualitate sunt, quæ ex comparatione dicuntur similia aut dissimilia.

Similia sunt, quorum qualitas est eadem, ut vita hominis est instar fumi.

4. Ad similia pertinent etiam Parabolæ, & Analogia.

5. *Analogia* est similitudo composita trium vel quatuor terminorum, ut sicut se habet aurum ad ignem, ita etiam amicitia

amicitia ad durum tempus, quoad utriusque probationem. Item sicut se habent 2. & 4. Ita 4. & 8. utrumque quoad proportionem duplam.

6. *Parabola* est imago multiplicata, seu similitudo parabolica est, cùm plura unius rei accidentia habent imaginem ad rem aliam. Sic à seminatione potest sumi parabola ad ministerium verbi.

7. Pertinent etiam ad locum similium: *Locus à translatione.*

8. Translatio est verbi à propria significatione ad impropriam, propter rerum significatarum similitudinem accommodatio. Ut si amor est, veluti ignis. Ergò facile proditur suo lumine.

9. *Dissimilia* sunt, quorum qualitas est diversa, ut, Impii non sunt, sicut beati. Hi permanent. At illi disperguntur, ut pulvis. *Psal. 1. v. 3, 4.*

COMMENTARIUS.

De voce Similis.

I. Similia dicuntur, quorum est eadem qualitas, specialiter sumendo qualitatem, secundum quod ab omnibus Entium generibus distinguitur. Ita intelligo *Aristot. 5. Metaph. cap. 15.* cùm ait: ὅμοια ὧν ποιότης μία. *Similia, quorum qualitas eadem.* Et ex hac significatione *Armand. de Bello Vis. tract. 2. term. cap. 253.* facit quatuor genera similium, pro numero specierum qualitatis. Vel enim similitudo est in habitu & dispositione. Et sic similes sunt, qui comparantur, in doctrina vel scientia. 2. Vel est in potentia naturali, ut cùm duo comparantur in eadem potentia visiva. 3. Vel est in qualitate patibili, ut: Cùm duo comparantur in colore. 4. Vel est in forma & figura, veluti, si una duorum facies. 1

II. Vox similium latiùs extenditur etiam ad alia Entia, veluti sunt passiones. Sic *Aristoteles 5. Metaph. cap. 2.* ait: ὅμοια λέγεται, ταῦτα τ' αὐτὸ πεπονθότα, ἢ ἔχοντα μίαν ἢ πολλὰς ἢ κατὰ πάθος ἢ κατὰ πάντα, ἐνδεχόμενον τῶν ἐναντίων, &c. Hoc est, *Similia dicuntur quæ vel* vel idem passa *sunt, quæ in pluribus passionibus conveniunt, quàm differunt, vel quorum qualitas est una, & in quibuscunque alteratio contrariorum contingit.* 2

III. Adhuc tamen latiùs similia dicuntur, ad omnia ista, quæ in una forma vel specie, vel attributo alio conveniunt, 3

ut sic etiam aliqua similia dicantur, quæ conveniunt in eo *substantiali passione, actione*, aliisque generibus. Enunciat *Aristot.* ait: agens debere esse simile patienti. Hoc est, id secundùm quod agens agit, & id secundùm quod patiens patitur, debent convenire in subjecto aliquo communi vel genere. Et sic hic convenientia in genere vel subjecto dicitur similitudo, ut exponunt *Coimbricenses ad l. 1. de gen. & corr. fol.* 16. Sic etiam unumquod quodque dicitur nutriri simili. *lib. 2. de an: cap. 4. t.* 45. Sic etiam generans dicitur generare sibi simile, simile, inquam, in specie, vel, ut *Aristoteles* ait, *lib. 2. de coel: cap. 4. t.* 49. tale, quale est ipsum generans, velut, quòd unus ursus ursum, leo leonem generat. Et hæc similitudo, quoad hæc exempla, est in termo, quod sit substantia. Atque adeò una summa, sic *Aristoteli* similia sunt omnia, quibus idem convenit, ὅσα ἓν τι κοινὸν ἔχουσιν ὑπάρχειν. Quæ in tenui aliquibus unum conveniunt, hactenus similia sunt, ut *Top. cap.* 17 *Sect.* 4. Et hac significatio maximè est hujus loci.

4 Potest autem idem dici de dissimili. Nam oppositorum eadem est ratio. Oppositæ autem dicuntur simile & dissimile, *Metaph. cap.* 9.

De voce Dissimile.

II. *De definitione similium & dissimilium.*

5 Definitio similium hæc est: *Quorum qualitas est eadem.* Quæ eodem modo habetur apud *Aristot. cit.* 5. *Metaph.* Intelligenda tamen aliter, ac latiùs est, quàm ista, ut partim ex iis quæ de voce *similium*, jam, partim ex iis, quæ ad definitionem *parium*, *supra cap.* dixi, intelligi potest.

6 Per *qualitatem* hic non intelligitur specialiter illud Ens, quod dividitur per habitum, potentiam naturalem, qualitatem, passibilem, & figuram. Sed generaliter hic qualitas dicitur vel forma substantialis vel accidentalis, quorum ratio vel attributum sunt eadem. Sic etiam differentiæ substantiales dicuntur, *quales*, à *Porphir. in Isagoge cap.* 3. *sect.* 17. Et substantiæ secundæ dicuntur significare *quale quid*, *lib. 1. de gen. cap.* 8. *sect.* 16. Item *Plato* quasvis formas vocavit *quales*. Et omnia accidentia sic dicuntur prædicari in *quale*. Unde quasi per circulum hanc rem illustrem, qualitas hic tam latè sumitur, quàm latè dicitur similitudo. Unde cùm aliqua dicantur similia aut specie, vel actione, vel passione, vel situ, &c. ad hæc omnia pertinebit qualitas. Et quæ in horum aliquo sibi conveniunt, dicuntur *similia*.

Qualitas quid sit?

7 Ex his judicari etiam potest, quomodo intelligenda sit definitio

definitio *dissimilium*. Qualia enim utrinque eodem modo intelliguntur. *Definitio*

Diversum autem hic idem est quod *diversum in definitione impiorum*, ubi vide *cap. præced.* *dissimilium*

8 Nunc specialius explicandum est, in qua re sit similitudo, quod consequenter tamen intelligendum est de dissimilitudine.

Quæstio I.

In qua re sit similitudo.

9 De hoc quæro, quodnam sit tertium comparationis illorum quæ similia dicuntur, *Aristot. lib. Categ. cap. 8. Sect. 30.* *Similia & dissimilia*, inquit, *secundum solas qualitates dicuntur. Simile enim alterum alteri non est, nisi quæ est qualis. Quare proprium qualitatis fuerit, secundum eam simile vel dissimile dici.* Intelligit autem ibi *Aristoteles* qualitatem prædicamentalem. Has tamen latius simile extendit, ut mox videbitur.

10 Hac in re procedo per distinctas propositiones: 1. *Similitudo in substantia.* Sic gignens genito dicimus simile in specie, veluti hominem homini, sive patrem filio, inesse humano. Item, ursum gigni hem genitum esse ursi. Sumitur ex *Aristotel. 2. de an. cap. 4. text. 49.* *Similitudo in substantia.*

11 2. *Similitudinis tertium potest esse quantitas.* Ita similes dicimus duos in longitudine vel latitudine, secundum quod longitudo vel latitudo proportionaliter eadem est in utroque. Neque enim omnis convenientia in quantitate est paritas, sed ea solum, quæ est exacta, & præcisè est ad eosdem gradus. Pares ergò sunt, quorum uterque habet magnitudinem octo pedum. At similes sunt, quorum alter habet magnitudinem octo pedum, alter paulò minor, aut major est. Sumitur etiam ex *Aristotele 10. Metaph. cap. 3.* *Similia*, inquit, *sunt quæ etsi non simpliciter idem sunt, convenium tamen in specie, quemadmodum majus quadratum minori simile est, & inæquales lineæ inæquales. Hæc enim similes quidem, at non eadem vel æquales sunt.* *Quantitas*

12 3. *Similitudo est in qualitate.* Hoc per se clarum est. Qualitas enim est maximè principale fundamentum similitudinis, ut ex *Aristotele cit. Categ. cap. 8. §. 30. & 5. Metaph. 15.* apparet. Sic *August. Epist. 119. ad Jan.* Comparat Ecclesiam cum uva, quia ista in hac mortali-

tate

talitate carnis constituta est *mutabilis* (qualitas) sicut illa.

14 *Quæstio.* Sed quæritur: *An duorum convenientia in qualitate ejusdem gradûs, sit adhuc similitudo.* Ratio dubitandi est quòd ista sint paria. Nam quæ habent qualitatem in eodem gradu, habent aliquem ejus gradum in eadem quantitate; alter non habet majorem, verbi gratiâ, eruditionem, nec alter minorem. At talis convenientia est paritas, ut supra visum est. *Resp.* 1. Quæ conveniunt in qualitate ejusdem gradûs, recte dicuntur paria, ut ostensum est. 2. Nihilominus etiam ista rectè dicuntur similia. *Nam gradus similitudinis.* Nam similitudinis summus gradus comprehendit etiam sub se æqualitatem, ut *Thomas* docet 1. *part. quæst.* 4. *art.* 3. *Quædam*, inquit, *dicuntur similia, quæ communicant in eadem forma secundùm eandem rationem, et secundùm eandem modum. Et hæc non dicuntur similia solùm, sed etiam æqualia in sua similitudine. Sic duo æqualiter alba dicuntur similia in albedine. Et hæc est perfectissima similitudo.* Alio modo *dicuntur similia, quæ communicant in forma secundùm eandem rationem, sed non secundùm eundem modum, sed secundùm magis ut minùs. Vt minus album dicitur* simile *magis albo. Et hæc est similitudo imperfecta.* Tertio *modo dicuntur aliqua similia, quæ communicant in eadem forma secundùm similitudinem generis vel alicuius analogi. Quomodo agentibus æquivocis* assimilantur *effectus, et quævis creatura Deo.* Sic etiam 1. *part. quæst.* 4. *art.* 1. *ad secundùm. Ubi attenditur*, inquit, *æqualitas secundùm quantitatem virtualem, æqualitas includit in se similitudinem, & aliquid plus, quia excludit excessum. Quæcunque enim communicant in una forma possunt dici similia, etsi inæqualiter illam formam participent: sed non possunt dici æqualia si unum altero perfectiùs eam formam participet.* Sic & *Colon. lib.* 1. *de gen. & int. fol.* 16. *b.* vocant similia, quæ non solùm in specie, sed etiam in gradu speciei conveniunt. Ad rationem dubitandi priùs positam seq. quæstione respondebitur.

15 *Et relatione.* 4. *Similitudo est in relatione.* Ita similes dicimus officio domini, paternitate & aliis.

16 *Actione & passione.* 5. *Similitudo est in actione & passione.* Similia dicimus. ταῦτὸ πεπονθότα *quæ idem passa sunt.* 3. *Metaph.* 9. De cæteris etiam clarum, quòd similes res dicantur situ, habitu, tempore, sive ætate, loco.

Quæstio

Quæstio II.

An & quomodo differant Similia et Paria?

Franciscus Titelmannus paria sub similibus comprehendit. Unde *lib. 5. consid. Dial. cap. 27.* dividit comparationem in eam, quæ est majoris ad minus, & minoris ad majus, & similium. Et rursus, *cap. 29.* ait, à simili duci argumenta, cùm id, quòd assumitur cum eo, quòd probatur simile vel æquale (quòd aliàs paribus convenit) habet verisimilitudinem. Sic etiam *Hunnæus lib. 5. Log. pag. 324.* Similium & Parium aut nullum, aut pertenue discrimen esse ait. Idque propterea, quia eadem exempla referantur ad similia & Paria. 17 *Aliorum sententiæ*

Hac in re dicendum est: *Paria à similibus omninò differre* Nam I. *Aristoteles* passim ea distinguit. Vide *5. Metaph. cap 15. 10. Metaph cap. 3. lib. Categ. cap. 6. Sect. 26. et cap. 8. Sect. 30. II.* Satis evidentia possunt dari discrimina parium & similium. Similia dicunt convenientiam in eadem forma. At paria connotant negationem omnis defectûs & excessûs. Et inde inæqualiter calido possunt esse similia in calore. At inæquale calidu sine repugnantia non possunt dici pariter vel æqualiter calida. Vide *Aristotel. 10. Metaph. cap. 5. et Thomam, 2. part. quæst: 42. a. 1. ad secundam.* III. Similia possunt esse magis minúsve similia, tum prout qualitas magis minúsve in uno radicata est, quàm altero, tum etiam prout duo in pluribus conveniunt, quàm alia duo, ut *Aristoteles* docet, *5. Metaph cap. 9.* & clarius *3. Rhet cap. 2.* At id non est in paribus. Paritas enim nullam habet latitudinem. Alia mitto. 18 *Decisio autoris.*

Quæstio III.

An simile dicatur relatione mutuâ?

Affectio relationis est in voce similis. *Similis enim est alicujus similis* ait *Scalig. 1. de plant. 169.* At an illa relatio mutua sit, quæritur. Ratio dubitandi est; quòd Theologi dicunt: Creaturam esse similem Deo: At Deum non esse similem creaturæ. Unde videtur, simile non dici ἀντιστρόφως, & relativè: Et proinde nec argumentum esse. Nam omne argumentum habet relationem mutuam. 19 *Pro negativa.*

Atque inde statim sumitur ratio dubitandi in partem alteram. Si enim simile est argumentum, etiam relativè dicitur ad suum simile. Et confirmatur; quòd similia sint relata unius nominis, 20 *Pro affirmativa.*

nominis, hoc est, sunt talia relata; quorum utrumque eodem nomine significatur. Unde sicut in *oppositis*, hoc opponitur illi, & illud rursus opponitur huic: Ita etiam in similibus, hoc est simile isti, & istud est simile huic. Et per hoc Deus est similis creaturæ: Et creatura est similis Deo.

21 Hâc in re existimat *Goclenius in controv. Log. lib. 1. c. 19. q. 8. num. 5.* Cùm Theologi negant, Deum esse similem creaturæ, loqui eos de similitudine univocâ, non analogicâ, qualis intra Deum & creaturas admittenda. *Sed* hæc responsio non est sufficiens. Nam Theologi dicunt: Creaturam esse similem Deo. At Deum non esse similem creaturæ. At similitudò analogica inter creaturam, & Deum est mutua, & in neutra comparatione est comparatio univoca. Unde si ad negandam similitudinem univocam dicitur, Deum non esse similem creaturæ; propter eandem negandum, etiam dici debet, creaturam non esse similem creatori.

22 Igitur in proposita materia dico. Simile dicitur relatione mutuâ, juxta generalem conditionem omnium argumentorum, quæ uno nomine significantur. Est autem advertendum, posse illud specialibus nominibus explicari, quæ sunt *assimilans & assimilatum*. Unde mutua relatio sic instituitur. Assimilans assimilatum assimilat. Et assimilatum est assimilanti assimilatum. Et hoc mutuò procedit, vi similitudinis inter Deum & creaturam. Nempe Deus assimilat sibi creaturam: Ergo creatura assimilatur Deo. Non autem debet fieri talis relatio. Deus assimilat sibi creaturam: Ergo creatura assimilat sibi Deum. Quia assimilans & assimilatum sunt relata diversorum nominum, sicut causa & effectus, in quibus eodem nomine exprimitur relatio. Neque enim dico: pater efficit filium. Ergo filius efficit patrem, sed alio nomine: Ergo filius efficitur à patre. Atque in his *specialibus* nominibus, quibus illud relatum unius nominis (*simile*) explicatur & specificatur, nulla est æquivocatio. At sub voce similis est æquivocatio. Idque ideo, quia utrumque notat, & assimilans & assimilatum. Unde si dicatur, hoc simile isti, & istud huic, videri potest utrumque esse assimilans, utrumque esse assimilatum, veluti quòd hoc simile sibi assimiler illud, & quòd rursus illud sibi assimiler isti. Et hoc non procedit in omnibus (esto sit in plurimis) similibus.

23 Ex dictis inte ligitur, quòd, & quomodo rectè dicatur à *Creatura* Theologis, *creaturam esse similem Deo, non autem Deum esse*

esse similem creaturæ. Nempe creatura assimilatur creatori. Non autem creator assimilatur creaturæ. Vel, quod idem, clarius tamen, est, Deus assimilat sibi creaturam, at creatura non assimilat sibi Deum; quemadmodum corpus assimilat sibi imaginem, quam exprimit in speculo. At illa imago, non assimilat sibi corpus. Traditur hæc regula à Scholasticis ex *Dionysio lib. 1. de divin. nom. cap. 9. in his quæ unius ordinis sunt, mutua recipitur similitudo,* (hoc est, & utrumque, & alterutrum sibi assimilat) *non autem in causa & causato. Causa assimilat sibi causatum, & causatum non assimilat sibi causam. Et sic Deus assimilat sibi creaturam, at non creatura Deum. Nec imago assimilat sibi exemplar, exemplar tamen assimilat sibi imaginem, quam producit.* Confer *Thomam 1. p. q. 4. a. 3. ad quartum, & q. 42. a. 1. ad tertium.* Ad similitudinem pertinet analogia. *est similis Deo.*

De Analogia

In Gammaticis *analogia* est similium similis declinatio, sicut anomalia est inæqualitas declinationum, consuetudinem sequens, ut *Gellius* habet *lib. 2, Noct. Att. cap. 25.* 24 *Analogia in Grammaticis.*

In Logicis autem & Metaphysicis Analogia est duplex, attributionis & proportionis. Analogia *attributionis* est, secundum quod aliquod *genus* dicitur analogum. Estque tum analogum genus, quod de pluribus speciebus enunciatur inæqualiter, hoc est, de alia magis & prius, de alia minus & posterius. Sic Ens dicitur analogicè, de substantia & accidente. Quanquam *Zabarella* existimat hoc analogum non debere dici analogum, sed ab uno ad unum. *Vide lib. 1. de nat. scient. constit. cap. 10.* 25 *In Logicis duplex.*

Analogum autem proportionis est, quod dicitur de pluribus analogicè, hoc est, cum quadam similitudine unius ad alterum. Taceoque analogum hic non esse genus, sed esse idem quod simile; sic homo de vero homine, & de picto enunciatur analogicè, hoc est, homo pictus homini vero est similis, videlicet secundum effigiem & colorem. *Scaliger* analogia hæc est æqualitas quædam, secundum quam similia à similibus ducimus, *l. 13. de v. ling. lat. c. 88.* 26 *Analogum proportionis.*

Præterea est etiam analogum proportionalitatis, quod est tum, cum prædicatum, quod analogum dicimus, uni convenit proprie, alteri improprie, & per Metaphoram. Sic cor dicitur analogicè de corde animalis, & de medulla arborum; item os de ore animalis, & de radice arborum. Vide. 27 *Analogum proportionalitatis.*

Suarez

Suarez disp. Metaph. 28. s. 3. n. 11. & disp. 2. s. 2. n. 13.

Alii tamen aliter definiunt analogum proportionis, & proportionalitatis. Proportio igitur his est habitudo unius ad aliud, ut 2. ad 4. quæ est proportio dupla. Hanc proportionem nos *rationem* dicimus. Proportionalitas autem est comparatio duarum proportionum, veluti duorum ad quatuor, & trium ad sex. Et sic proportionalitas est duplicata proportio. Vide *Colleg. Conimbr. lib. Categ. cap. 1. q. 1. a. 1.*

28 *Discrimen inter analogum proportionis & attributionis.*

Est autem discrimen inter analogum hoc similitudinis, sive proportionis, & analogum attributionis in eo in primis, quod analogum attributionis significat talem naturam, quæ vere & propriè reperiatur in utroque analagato. Sicut Entis natura convenit & substantiæ, & accidenti: si magis conveniat substantiæ, quàm accidenti. Illa autem, quæ dicuntur analoga proportionis, non conveniunt, qua talia sunt in natura aliqua, sed solùm in qualitate.

29 *Analogia quid nunc sit?*

Cæterùm analogia hæc hic appelatur similitudo composita. Hic adverte similitudinem simplicem à Logicis appellari eam, in qua sunt tantùm duo termini, qui comparantur in aliquo comparationis medio. Analogia ergo, sive similitudo composita erit, cùm comparantur non duo termini, sed termini tres aut quatuor: Termini tres, inquam, in analogiâ continuâ; termini quatuor, in analogiâ disjunctâ. Exempli gratiâ: *Ut fulvum spectatur in ignibus aurum, Tempore sic duro est inspicienda fides.* Hic est similitudo composita, quia quatuor sunt termini comparationis, ut apparet, si sic formetur similitudo. Quemadmodum se habet *aurum* ad *ignem*, ita *fides* sive amici fidelitas *ad aurum tempus*.

30 Talis analogia est in multis exemplis aliis.

Quemadmodum se habet caput ad membra corporis, ita se habet magistratus ad subditos, Hic quatuor termini comparantur analogicè, in directione. Analoga ergo hic sunt magistratus & caput, item membra corporis & subditi. In priori exemplo analoga fuerunt, aurum & ignis, fides & durum tempus; *Aristotelis* exempla sunt hæc *lib. 1. Top. cap. 17. §. 2.* ut visus est in oculo, ita mens est in anima. Ut tranquillitas est in mari, ita serenitas est in aëre. Vide plura *lib. 3 Rhet. c. 4 & 10.*

De Parabola.

Justinus quæst. 60. Parabola, inquit, *est oratio rei factæ, ad eamque futura est, similitudinem complectens.* Aliter

rabola

rabola ſumitur pro exemplo maledicti, ut *Mich. 4. v. 4.* ſumatur ſuper nos parabola.

In genere autem, ſecundùm præſens inſtitutum, parabola 32
ſignificat narrationem, in qua unius ad alterum eſt multiplicata ſimilitudo. Sicut *Athanaſius in Synopſ. ſcript. tom. 2.* ait: Parabolæ ſunt ὥσπερ εἰκόνες τῶν λεγομένων. Ἐξ' ἃ γὰρ ἔστιν διὰ τῆς ὁμοιότητος τὸ λεγόμενον καταλαμβάνεται. Hoc eſt: *Sunt imagines eorum, quæ dicuntur. Ex ipſis namque per ſimilitudinem, quod dicitur, intelligitur*, Conſer *D. Pelarg. in Matth. cap. 13. in litir, fol. 154.* Atque ſic apparet, parabolam rectè contineri ſub ſimilitudine. Dicitur autem *multiplicata* ſimilitudo, ad differentiam ſimilitudinis ſimpliciter. Et ita eſſe (multiplicari ſcilicet ſimilitudines in parabolis) apparet ex illis, quæ extant *Matt. 13.* & aliis locis ſcripturæ.

De Loco à Tranſlatione.

Locus à tranſlatione definitus eſt in Theorematibus. Un- 33
de apparet, eum pertinere ad doctrinam ſimilium. Argumentamur autem per eum, cum rei attribuimus nomine proprio, quod ſi attributum erat nomine Metaphorico. Si amor eſt cœcus. Ergò non patitur, ut qui amat, rectè cognoſcat cognoſcenda. Si amor eſt ignis: Ergo non poteſt latere, ſed proditur ſuo lumine, ſicut *Paris* argumentatur ad *Helenam*.

Quis enim celaverit ignem (hoc eſt amorem, ſic dictum per metaphoram.)
Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo.

CANONES.

1. *Similium ſimilis eſt ratio.* Eſt *Ariſtot. 2. Top. cap. 10.* 34
§. 1. Ἔστι τὸ ἐπὶ τῶν ὁμοίων, ὅπως ἔχει καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν ὁμοίων: Hoc eſt: *Si in uno ſimilium, ſic* (res ſe habet) *erit & in aliis ſimilibus.* Idem eſt: *lib. 1. Top. cap. 18. §. 11.* probabile eſt, ut in uno eorum, quæ ſimilia ſunt, ſe res habet, ſic etiam in reliquis habere. Velut. *ſi ſenectus eſt ſimilis ſtipulæ & huic convenit defloruiſſe.* Ait *Ariſtot. 3. Rhet. cap. 10.* Item, *ſi tranquillitas mentis, eſt ſimilis ſerenitatis aëris. Et illud quies eſt, etiam hæc quies eſt*, ait *Ariſt. 1. Top. cap 17. §. 2.*

Intelligendum autem eſt axioma de ſimilibus, quâ talia 35
ſunt, ſeu quatenus ſimilia ſunt, & quoad illud tertium, in quo

fit

sit comparatio. Alias enim valet, quod sequitur.

36 II. *Omne simile est etiam dissimile.* Sensus est, quod tanta similitudo tam exacta sit, ut non possit cum ea stare aliqua dissimilitudo. Sic *Augus. Epist. 202. ad Evodium. Ejusmodi similitudines in disputatione tantæ convenientiæ concedatur, ut res cui adhibenda est, omni ex parte coaptetur.* Sic nonnulli unionem hypostaticam duarum naturarum in Christo comparant cum unione animæ & corporis. *Et congruenter ex emplum, ait Justinus, tametsi non omni ex parte. Aliquatenus tamen. Quemadmodum enim unus est homo, ex natura inter se differentes duas habet. Ita & Christus.* At si rursus eam similitudinem conferes, differentia apparebit. *Nam homo est duplicem in se ostendat naturam, non tamen est duæ naturæ, sed ex his.* Ita *Augustinus in expos. fid. tom. 3. fol. 18.* Contra eundem *Justinum qq. Christianorum, q. 64. & 111. Damas. lib. 3. de Orth. fid. cap 26.* & adde *Chemnit. de duabus naturis in Christo cap. 6 fol. 35. 37.* ubi aliquot egregias Patrum superiori similes sententias recitat. Sic materia & genus sunt similia. Et inde in multis conveniunt, sed tamen in multis etiam differunt: Utrumque vide apud *Zabarell. lib. 2. de prim. mat. cap. 18. fol. 221.* Et *Perer. lib. 5. de mat. fol. 7.*

37 III. *Simile non est idem.* Vulgare est hoc, & habet sensum eundem cum priori. Sic *Scalig. exerc. 307. §. 15. similitudo non affert identitatem.* Est tamen observandum, eam

Idem bifariam dicitur. bifariam dici: Aliquando *eadem* dicuntur, quæcunque in aliquo certo convenient, & sic similia sunt eadem. *Eadem*, inquam, quia conveniunt in qualitate. Aliter *eadem* dicuntur, quæ essentialiter conveniunt, aut etiam, quæ putantur esse eadem prorsus & simpliciter. Et sic, prout ex priori axiomate intelligitur, similia non sunt eadem. Ergo similia sunt eadem, & non sunt eadem. *Quomodo autem ista erunt, &c. Similia non sunt eadem simpliciter, sed eadem quoad speciem.* Ait *Aristot. 10. Met. cap. 3.*

38 Eadem sensus sunt & illa: *Nullum simile currit quadrupedum. Omne simile claudicat.* Sumuntur hæc omnia de animalibus quadrupedibus, quæ si quatuor pedes non habeant, sed sint mutilæ, claudicant. His similes sunt omnes similitudines.

39 IV. *Quod uni simillimum non convenit, ita nec alteri.* Est ex *Aristot. 4. Top. cap. 10. §. 1. ἐὰν τὸ ταὐτὸ τῷ ἑτέρῳ ὂν μὴ ὑπάρχῃ τινὶ, οὐδὲ τῷ ἑτέρῳ ὑπάρξει τῶν αὐτῶν.*

aliquo (sim. sum) non (sic se res habet) aeque in alio similitudo erit. Est autem intelligendum, ut primum axioma, hoc loco: Quod uni similium non convenit, id nec convenit alteri; hoc est, id non potest esse rerum hujus comparationis, secundum quod aliqua dicuntur similia. Unde quæ sic se habent, hactenus non *sunt* similia, sed similiter *dicuntur*, ut Aristoteles sæpe heri ait 7. *Top. c.* 9. §. 2. Nam alioquin & extra comparationem multa possunt uni similium convenire quæ non conveniunt alteri.

3. Similitudo debet esse perspicua & iucunda. Habetur apud *Aristotelem* 3. *Rhet.* c. 2. Peripicuitatem & iucunditatem maxime habet translatio quæ sub similitudine comprehenditur, ut prius dictum.) Præscribitur autem hic delectus similitudinem. Cum enim ex quibuslibet rebus possint erui similitudines, illæ tamen solum adhibendæ, quæ perspicuæ & delectandæ sunt. Novæ igitur similitudines non sunt facilè adhibendæ. *Ambitiosa ingenio non sat est referre similitudines, quæ tum sunt, ut novas etiam fingat ubi non sint, &c.* ait *Scalig. exerc.* 40

4. Similitudo debet esse congruens rei propositæ Oportet translationes vel similitudines ἁρμοττούσας esse. Ait *ibid. Aristoteles*: *Sicut enim non eadem vestis, addita omni ætati convenit, sed purpura quidem iuveni, seni autem non, ita est in similitudinibus.* 41

5. Similitudo est inter res eiusdem generis. Sic *Pezet. in Phil. cap.* 6. Sensus est, quòd quæcunque similia sunt, conveniant in uno aliquo communi conceptu, propinquo, vel remoto, Univoco, vel Analogo, quòdque non debeant nimis distare ea, quæ similia dicimus. Alias enim similitudo est partim rerum eiusdem generis, veluti inter hominem, equum, & canem, quæ sunt animalia; partim rerum generis diversi, in quibus, ut alterum est ad alterum, sic aliud est ad aliud. Sic similia sunt scientia, (cuius proximum genus est habitus, ut dictum, (cuius proximum genus est potentia.) Sicut enim se habet scientia ad scibile, ita sensus ad sensibile. Vide *Arriag. Tom. 1. Disp. 1. sect. 1.* & confer *supra cap. 21. n. 14.* 42

6. Ex quo sumitur, quod Deus cum creatura etiam comparari possit. Imo specialiter cum corpore comparari posse Deum, ut tantem ostendit illud, quod ei attribuuntur metaphoræ corporalia, oculi, aures, &c. per similitudinem ad nos. Non est igitur blasphemia Deum & corpus comparare, *Sed eelem-* 43 *Deum posse comparari cum corpore contra*

raro, ut dicit Sadeel de Sacram: manduc. par. 320.

44 VIII. *Similitudo non mutat cor dissimile rei simile.* Ita Christus non maculatur, etsi sit similis cadaveri, ad quod congregentur aquilæ. Neque fur dignationem accipit, quod Christus venturus est, sicut fur in nocte. Sicut nec usurarius, quod Deus assimilatur usurario in respondis domus suæ. Sic *Augustin. Ep. 119. ad Jan.* ait: *Stulti sunt qui adorandæ putant luminaria cæli, quia ea aliquando dicitur sanctitudo ad figurandæ divina mysteria. Sicut non adoramus pecora, quamvis Christus dictus sit agnus, & vitulus, nec feram, etsi dictus sit leo de tribu Judæ, nec lapidem, quia Christus petra, &c.* Hæc ille.

45 *De analogis axiomata.* IX. *Inter analoga est proportio mutua.* Τὸ ἀνάλογον ἀντιπεπονθὸς. Vel ut *Aristoteles* habet 3 *Rhet. c. 4. Καὶ ἐστὶ τὸ μεταφορὰν τὴν ἐκ τοῦ ἀναλόγου ἀνταπεδοῦναι, ἐὰν δὲ πρὸς ἕτερον ἦ τὸ ἀνάλογον.* Hoc est: *Semper oportet translationem fieri secundum aliquam partem, & in iis quæ sunt ejusdem generis.* Ut poculum est scyphus. Ergo si Veneris vel *Bacchi*, etiam scyphus convenit dici poculum *Martis*. Si tunica planæ est quasi cortex ejus. Etiam os animalis est quasi radix ejus, per quam scilicet nutrimenta attrahit. Item, si medulla plantæ est quasi cor ejus, etiam cor animalis est quasi medulla.

46 Cæterum illa proportio est bifariam, vel in transpositione rationum, vel in permutatione rationum. Illo est, ut se habent 6. ad 4. Ita 3. ad 2. Ergo ut se habent 6. ad 3. Ita etiam 4. ad 2. Dicitur ab *Euclide lib. 5. def. 14.* Ἐναλλὰξ λόγος ἐστὶ λῆψις τῶν ἡγουμένων πρὸς ἀλλήλους, καὶ τῶν ἑπομένων πρὸς ἀλλήλους. *Lib. def. 14.* permutata est hæc, ut se habent 2. ad 4. Ita 3. ad 6. Ergo ut se habent 6 ad 4. Ita 3 ad 2. Et idem est in reliquis exemplis istius. Vide *Euclid. l. 5. Item def. 14.*

47 X. *Finiti ad infinitum nulla est proportio.* Inprimis axioma est Mathematicum. Et prorsus finitum & infinitum intelliguntur ex parte quantitatis, ut linea finita & infinita, numero finito & infinito. Atqui ut linea verbi gratia, finita & infinita nulla est proportio, quia non potest æquari, quantum infinita excedat finitam. Quicquid enim ducatur, semper linea infinita longior est. Linea 5. pedum, & 5. pedum, habent proportionem decuplam, linea pedes unius, & alia pedum 1000. habet proportionem millecuplam. At inter finitum & infinitum nulla ratio proportio est.

48 Potest nihilominus aliquo inter eos finitum & infinitum

Logicæ esse proportio, quæ est in eo, in unum alteri comparetur. *Calviniani* hinc negant, Christo homini non esse communicata idiomata divina, sed si talis applicatio bona esset, sequeretur etiam divinam naturam non posse hypostatice hominem carnem quod *Deus non potest*. Vide Dn. *Mengarium* contra *Sadeel de verit. hum. nat. p. 82. edit. Giessæ, anno 609.* *Calviniani refutantur.*

XL. *Non Entia ad Ens nulla est proportio.* Habetur apud *Ferer. lib. 11. Reiect. natur. cap. 10. p. 623. & lib. 5. cap. 6.* 45

XLI. *Nulla analogia est inter duo.* Est apud *Zabarellam de rer. nat. c. 4.* Est enim clarum. Nam omnis analogia constat duabus rationibus. Rationes autem singulæ constant duobus terminis. Et ita rationes duæ sunt, veluti parres proportionis, & a proportione differunt, ut simplex a complexo. Sicut se habent 2. ad 4. (Hæc una ratio est) ita se habent 8. ad 16. (Hæc altera ratio est.) Hoc conjunctum vocamus analogiam vel proportionem. Sicut se habet materia rei artificialis ad corpus artificiosum: Ita se habet materia rei naturalis ad corpus naturale, ut *Aristot. 1. Phys. t. 69.* 50 51

Ex dictis intelligitur, per *duo* in nostro axiomate non intelligi materiam proximam proportionis. (Sic enim omnis proportio est inter duo, hoc est, inter duas rationes.) sed materiam remotam hoc est, ipsos terminos rationum, qui semper vel quatuor sunt, vel tres, si unus terminus bis sumatur, ut *Zabarella de loc. docuit.*

XLII. *Parabola ita accommodatissima ad genus docendi Exotericum & populare.* Hunc Canonem ponit *Keckerman. in Log. pag. 265.* Est enim illa quædam suavitas & jucunditas in similitudinibus. *Nemo ambigat*, inquit *Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. cap. 6. & per similitudines lubentius quæque cognosci, & cum aliqua difficultate quæsita, multo gratius invenirí.* 2. Est etiam in parabolis major efficacia & potentia, quam in ullo sermone. Sic *August. Epist. 119. ad Jan. plus movere fatetur dicta & accendere animum quam, si nuda, & sine ullis similitudinibus ponerentur.* Has caulas complectitur *Chrysostomus homil. 33. in Joannem ad cap. 4. vers. 35. Quid sibi hæc volunt tot similitudines, quibus non hic tantum, sed per totum Evangelium Christus utitur.* Respondet duabus iis diæ ex rationibus. *Primum*, ut significantior esset sermo, & magis ante oculos poneretur. Mens enim familiarium rerum conceptâ imagine magis excitatur, & cupidius in picturam rem ipsam magis amplectitur. *Deinde*, ut jucun- 52 Axiomata de Parabola.

dior esse narratio, & dubitis animo immoraretur, &c. Vide *Pelarg. in Metaph. cap. 13. pag. 156. 157.*

53 XIV. *Parabolæ non sunt exponendæ ad verbum.* Traditur à *Chrysost. hom. 48. in Matth.* Et probatur exemplis Christi, veluti: fœminans est filius hominis, ager est mundus, bonum semen sunt filii regni, &c. *Metaph. 13.*

54 XV. *In parabolis non sunt omnes apices considerandi.* Sic *Chrysost homil. 65. in Matth.* ait de murmure operariorum in vinea. *Nemo talia in regno cœlorum disputat aut aliis criminatur, procul hoc absit. Ille locus omnis livoris atque turbationis expers est.* Et postea: *Parabolam dixit. Et in parabolis non oportet nimiâ in singulis verbis curâ angi, sed cum didicerimus, quid per per parabolam intendat, inde utilitate collectâ, nihil ulterius anxio conatu est investigandum.*

55 XVI. *Parabolæ resolutio non debet esse arbitraria.* Regulam hanc tradit *Irenæus lib 2. adversus hæreses, cap. 6. Non cuivis,* inquit, *considenda est resolutio parabolarum. Alias enim nulla foret regula veritatis.* Hoc notent Pontificii de expositione mercedis in parabola *Matth. 19.*

59 XVII. *Dissimilium uni quod convenit, non convenit alteri.* Sumitur hæc ex ipsa ratione dissimilitudinis. Si alia est ratio vitæ impiorum & justorum, tum si hæc permaneat, illa non permanet. Et contrà: Si dissimilis mors bruti & hominis, tum si illius anima interit, hujus manet. Intelligendus autem est Canon respectu ejus tertii, in quo est dissimilitudo.

Axioma *de dissimilibus.*

Caput XXIV.

De argumentis ortis in genere.

1. Hactenus fuerunt argumenta prima, sequuntur orta.

2. *Orta* sunt quæ à primis oriuntur.

3. Argumenta orta perinde sunt ad id quod arguunt, ac prima, unde oriuntur.

4. Sunque nominalia, vel realia.

5. *Nominalia* sunt de nominibus & vocibus.

6. *Realia* sunt, quæ sunt de rebus, vel circa res.

7. Nominalia sunt *definitio nominis, conjugatio, et differentia vocis.*

8. Realia *Totum & partes*, & eius resolutans *distributio & definitio rei*, quæ specialiter *definitio* dicitur.

COM-

COMMENTARIUS.

Consistit totius huius capitis explicatio in his. 1. Ut explicetur definitio ortorum. 2. Ut explicetur proprietas ortorum. 3. Ut agatur de argumentis nominalibus in genere ubi, tractanda tria. 1 Quod sit nomen? 2. Ad quam doctrinam pertineat nomen? 3. An nomina sunt argumenta? Quibus absolutis singula huius capitis erunt lucida. 1

I. *Ad definitionem argumentorum ortorum.*

Igitur quantum ad primum definiuntur argumenta orta, *quæ ex primis oriuntur*. Igitur quod orta à primis oriantur patet. Nam *definitio nominis*, verbi gratiâ, oritur aliquando ex materia, aliquando ex subiecto, aliquando ex effecto, &c. ut infrà patebit. Idem patet de *Conjugatis*. Nam conjugata oriuntur maximam partem ex causa & effecto. Eminent enim abstractum & concretum in conjugatis, sed abstractum & concretum habet se ut forma & formatum. 3 Idem patet *de vocis distinctione*. Nam distinguentes vocem in sua significata, distinguimus vocem secundùm argumenta prima hoc modo, quòd scilicet vox aliqua, cuius ambiguitatem explicamus, modò significet causam, modò effectum. Sic etiam de distributione patet. Est enim distributio modò ex causis, modò ex effectis, &c. Denique patet etiam *de definitione*. Nam definitiones sunt sæpè ex adjunctis, sæpè ex effectis, sæpè ex materia & forma, sæpè ex contrario, sæpè ex ἀναλογία. 2

II. *De proprietate Ortorum in arguendo.*

Hæc consistit in eo, ut *perinde sint ad arguendum sicut prima unde oriuntur*. Distinguuntur igitur hâc proprietate à Testimonio. Nam testimonium etiam habet dependentem arguendi vim, sed eam non habet tantam, quantam argumenta prima habent, unde firmitas testimonii patet. Exempli gratiâ: Nitor testimonio *Aristotelis*. Hoc testimonium firmitatem habet ex eo, non quia *Aristoteles* sic testatur, sed quia *Aristoteles*, qui hoc testatur, est doctus Philosophus. Ergò apparet vim huius testimonii dependentem esse ab alio argumento, nempe ex adjunctis testis. Item que ex effectis testis. 3

Quid igitur, *inquis*, differunt orta & testimonium, si testimonium, & orta habent arguendi vim ortam? *Respond.*

Quòd differant eo, quòd scilicet argumenta vera habent quidem arguendi vim (id enim indicat vox *bonum*) sed quamen habent sic eam vim dependentem ut nonnisi magnam habeant, quantam primi inde oriuntur, eamque interdum ibi non minus, quàm esse in loco argumenti primi, sed testimonium non tantam, sed exiguam vim probandi habeat, comparando hoc ad illud argumentum, unde nonnisi testimonii oritur. Verorum sensus superdicta propositio est, quòd argumentum ortum ex materia arguat, sicut materia ortum ex effecto, sicut effectum ortum ex subjecto, sicut subjectum.

III. De argumentis Nominalibus.

4 Quantum ad certum docendum est de argumentis nominalibus. Illa sunt *definitio nominis, distinctio, & conjugata*. Quod igitur hæc argumenta de nominibus sint, ex singulorum definitionibus apparet. Nam *negatio* est interpretatio *nominis*. Distinctio vocis est enumeratio significationum alicujus *nominis*. Conjugata sunt *nomina* ex eodem principio deducta. Et definitio & distributio definiuntur nominum vel. Definitio est quæ explicat, quid res sit. Distributio est, quæ res aliquas (rerum) distribuitur in partes. Ergò hæc vocitè sensim, illa nominalia appellantur.

5 *Nomen unde?*

Quid sit nomen?

Nomen, Genitivo generis 71. f. 2. dicitur à noscendo, quòd per *Nomen* dicetur *Numen*, quia scilicet per nomina, sive vocabula intelligimus rerum ipsas cogitationes. Aristot. de causis nominum dicit quasi *novimen* à noscendo. Augustino dicitur quasi *Notamen*. Quæ notationes eodem redeunt.

Quot modis dicatur nomen?

Præterea autem ambigue hæc vox sumitur. Aliquando nomen dicimus peculiarem illam partem orationis, quæ in Grammaticis distinguitur à verbo, sic *Priscian. de interpr. op. 3. fol. 71.* ait, *nomen esse vocem significantem cum institutione, sine tempore, cujus nulla pars significat separata.* Aliquando specialiter sumitur solum pro recto casu nominis, hoc est, nominativo. Sic *Aristoteles* dicit *lib. de int. cap. 2.* non esse nomina, *Cæsarî* vel *Cæsaris*, sed casus nominis. Aliquando sumitur generaliter pro omni vocabulo, atque sic nomen est, quo res vel conceptus significamus. Vide *August. tom. 1. in lib. de Magistro cap. 5.* Atque hæc significatio ultima est hujus loci. Dicunturque sic argumenta nominalia, secundùm quæ explicamur nomina seu voces.

2. *Cujus*

2. *Cujus disciplinæ sit agere de nominibus?*

Respondeo: Secundum diversum modum considerandi variæ disciplinæ agunt de nominibus sive vocibus. 6

Primò. Nomina sive voces, in quantum proferuntur, pertinent ad Physicam, ut apparet ex *Arist. de interp. c. 1. & 2. & de anim.* Voces igitur ad Physicam pertinent bifariam. 1. prout affectiones sunt animæ. Est enim motus quidam, prout fiunt voces. 2. Etiam prout sunt objectum auditûs. Auditus enim occupatur circa vocem, prout profertur.

Secundò etiam Metaphysica agit de nominibus, in quantum scilicet nomina faciunt ad complendam distinctionem entis in signum & signatum. Nomina enim sunt signa rerum & conceptuum, sive conceptuum animæ. *Ex Primo c. de interp.*

Tertiò: Logica etiam agit de nominibus. Et id quidem multifariam: 1. Quatenus intelligenda est nominis notatio. 2. Ejusdemque conjugatio Logica. 3. Ejusdemque distinctio secundum ejus significationem. Nam secundum hæc omnia reperitur vis arguendi in uno ad alterum. 4. Hactenus etiam secundum *Aristotelem* agendum est in Logicis in nomine quatenus non est pars propositionis, sed hoc impugnat *Ramus* in *Schol. Dial.* quod tamen hoc loco non disputamus. 7

Quartò: Aliæ disciplinæ aliter de nominibus agunt. Velut *Grammatica*, an aliud nomen sit numeri singularis, vel pluralis, primæ vel secundæ declinationis. *Rhetorica*, quatenus vox aliqua est Metaphorica, synecdochica, &c. hoc est propria vel modificata. *Poetica*, quatenus vox alicujus syllabæ est longa vel brevis, &c. Vide *Scal. de C. L. l. 3.* 8

An nomina sint arguenta.

Nonnulli eâ de re dubitant, sed tamen res plana est in contrarium. Nomina dicuntur nos provehere in rei cognitionem. Hoc autem est arguere. 2. In quodcunque resolvitur aliqua propositio, id est argumentum. Propositio enim est dispositio argumenti cum argumento. Atqui in nomina resolvuntur aliquæ propositiones, veluti *homo* dicitur ab *humo*, hic alter terminus est nomen hominis, sic in cæteris.

CANONES. 9

Constat perinde esse nomina, ac si argumenta essent, unde oriuntur. Comminent hoc axioma propriè tales orti orum. Estque satis explicatum *in comm. num.* 3.

10 2 *Omnis cogni io est ex præcognitione nominis.* Sumitur ex 2. *post. t.* 1. *Omnis doctrina, & omnis disciplina dianoetica,* inquit, *fit ex præcedente cognitione.* Per præcedentem autem cognitionem intelligitur inter alia etiam nominis cognitio, ut *Zabarella* ibi testatur *fol.* 609. Huic congruit illud vulgare πρὸς τὸ ὁρθῶς [illegible] *recte docendum, oportet primùm explicare nomina.* Similia ex de apibus *August. de princ. Dial. cap.* 2. *Galen. lib.* 1. *de Method. c.* 5. *Zabar.* 1. *post. l.* 3. *t.* 21. 2 *post. t.* 1. *ad t.* 1. *fol.* 104. *l. de trib. præcog. c.* 3. *Scalig. exerc.* 1. *sect.* 1. *c.* 325. *§.* 30. *&* 259 *sect.* 1. *de C. l. l. c* 14. Et adde *Donamum l. c.* 1234 *pr. fin.* Præcognitio autem nominis, est nihil aliud, quàm notitia significationis, ambiguitatis, notationis vocis, & æquipollentiæ ad voces alias. Talis igitur notitia debet esse ante omnem aliam cognitionem. Neque enim cognosci potest, an vel quid sit homo, vel centaurus, nisi priùs nomen hominis & centauri intelligam. Atque hoc generale fundamentum est, cuo de argumentis nominalibus agendum sit in Logicis.

11 3. *Nominis cognitio confert ad rerum definitiones.* Et hæc specialis prioris appellatio. Et sumitur ex *Aristot. Topicum.* 5. *textu.* Dic & *Scaliger de C. l. l. cap.* 41 inquit, *togam definiturus sic utrum eam legendo dictam, investigandoeius genuinam sic definiemus, esse lanam textam ad legendum.* Si sciam dictionem lecticam quid [illegible] facilè inde definitur Dialectica, quid sit ars [illegible] differendi. Si sciam [illegible] dicti [illegible] & [illegible], facilè intelligo quomodo definienda sit [illegible], nempe quod sit actus primus consequens perficiens.

Idem patet est etiam ex distinctione vocis. In hac enim oportet rem cum scribi singulas significationes, ex quibus cum scriptionibus facilè emergit definitio significationum distinctarum. Si sciam nomen aliquando opponi verbo, aliquando complecti etiam verbum, & significare omnem vocem conceptus nostros exprimimus. Hinc ex prima significatione per oppositionem ad verbum colligo: *Nomen esse vocem, quæ significet sine tempore.* Et sic in aliis.

Rursus etiam idem est in conjugatis. Qui enim habet unius definitionem, habet etiam alterius. Unde *Aristot. 9. Topic. c.* 9 *text.* 1. In hujusmodi definitionibus accidere, ut qui unum definit, illum definiat, ut qui definit scientiam, definit etiam V scientem. Speciales Canones erunt in seq.

Cap.

CAPUT XXV.

De Coniugatis.

Coniugata sunt nomina cognatæ significationis. Ut: *Fustitia, iustus, iustè, Dormire & somnus.*

In his excellit *Abstractum & Concretum.*

Abstractum est nomen significans formam præcisè, & sine subiecto. Ut: *Iustitia, Fortitudo.*

Concretum est nomen, significans formam cum connotatione alterius, ut: *Fortis, Iustus.*

COMMENTARIUS.

I. Totum hoc caput explicabo per quæstiunculas.

Vnde dicantur Coniugata?

Coniugata (Græcè συζυγα & συζυγια) dicuntur sic, quia sunt sub eodem iugo. Illud autem iugum est eadem principalis significatio. Omnia enim coniugata eandem rem significant, sed sub modo differenti. *Iustus* notat iustitiam, sed ut est in subiecto, *Iustè* notat iusticiam, sed ut ea ducit in effectu. Et sic in aliis. Hæc ergo communitas significationis, tragit coniugata ad eadem iugum, & inde istam appellationem habent.

Eleganter autem deducit *Dounam in Comment. Log. Iubi c. 23. fol. 364.* quod hæc vox sumpta sit à re militari. Igitur in acie ordines, est series militum porrecta ab uno cornu ad alterum. Atque sic συζυγα sunt qui eiusdem ordinis sunt milites. Rursus στοιχος dicitur ordo à fronte incipiens, & per successuros milites ad extremum agmen continuatus. Atque sic συστοιχα sunt milites, qui in eodem ordine sibi succedunt, antecessor, vel *antecessa*, & posticus, vel subsistens sunt. Adhuc tropicum etiam in coniugatis nominibus est unum, ut quod quasi à fronte ordinem inchoant. Et alia sunt, quæ in postremo istro ordine huic subiiciuntur, & quasi succedunt, ut ante.

II. An coniugata casus differant?

Casus *Aristotelis* (*Lib. de interp.*) Est flexus nominis. Et hæc est Grammatica significatio. Loquor autem nunc de loco à casibus, & loco à coniugatis. Hos *Aristoteles* distinguunt. Vocem igitur casus nomina ab eodem principio (adeoque præscindendo ab isto principio) *deducta*. Coniugata autem

autem vocant ipsum principium, cum suis derivatis declinabilibus, aut etiam quibuvis declinabilibus, & inclinabilibus. E. casus sunt: *sciens*, & *scienter*, & *scire*, quæ omnia sunt ab uno principio, hoc est, *scientia*. Dicunturque *casus* tanquam *cadentia* ab ista stirpe. Ac conjugata sunt *scientia*, *sapere*, & cætera. Et sic *Aristoteles* sæpè conjungit casus & conjugata, ac si res distinctæ sint *lib. 2. Top. c. 9. §. 1. Conjugata* inquit, *sunt, ut justus, & justè cum justitia, & fortiter & fortis cum fortitudine, At casus sunt, ut justè & fortiter, & quæ sunt hujusmodi.* Sic etiam 1. Top. c. 15. §. 10. Et sic in locis aliis.

4 Dicendum tamen: non esse necesse, ut locus à casibus distinguatur à loco conjugatorum. Inprimis, quia ratio argumentandi, & arguitionis utrobique est eadem. Veluti in eo est justitia. Ergò est justus. Ergò justè agit. At ubi arguitio est eadem, ibi argumentum etiam unum est. Atque hoc *Aristoteles* fatetur. Postquam enim dixisset, casus & conjugata distingui, subdit casu posse continere suo conjugatis. *Videntur*, inquit, *lib. 2 Top. c. 9. text. 1. Et quæ casus dicuntur omnia esse, ut justè & justitia. Atque sic* inquit, *contingere dicuntur omnia quæ sunt in eadem ὑποτυπώσει conjugationis vel classis, ut justitia, justus, justum, justè.* Confer, Rom. 1. 12. Schol. *Dial. ad 2. Top n. 30.*

III. An conjugata rectè dicantur argumenta?

5 Negativa sententia est *Fabii lib 5. Inst. orat. cap. 10. Mis*, inquit, *illud adjicere ridiculum putarem nisi eo Ciceronem uterer, quod conjugatum vocant; ut eos, qui rem justam faciunt, justè facere, quod certè non eget probatione, quod compositum est, compositè vivere.*

6 Nihilominus omnia, quæ aliàs suadent necessitatem alicujus argumenti hic concurrunt. Nam. 1. dantur termini simplices, qui altò referri non possunt, præterquam ad hunc locum, veluti: Nomina hæc, *justitia, justus, justè*, & similia. 2. Dantur axiomata, quæ non possunt teneri, nisi ex loco conjugatorum. 3. Idem est in Syllogismis: *Est justus. Ergò est in ea justitia.* Vel *Qui justus est, bonus est. Igitur justitia est bonitas. Album est coloratum. Ergò albedo est color.* Et sic in aliis.

7 Cæterum non est dissitendum, posse contingere abusionem huius loci. Sed inde non definit esse argumentum Logicum. Traduntur autem à Doctoribus, in talibus collectionibus, cautelæ, 1. Debent sumi propositiones, in quibus prædi-

Cautelæ contra deceptiones in

cata

cata per se concipiuntur subjectis, non per accidens. Prædicari autem per accidens de se invicem dicuntur duo concreta verbi gratiâ, cum res significata per unum, non reperitur in re altera, nec etiam ratio unius ex rebus est eadem ratio alterius. Ergò prædicatio per accidens est, cùm dico, *Coloratum est sapidum*. Hic sapidum non prædicatur per se de coloratо, sed solum enunciantur de se invicem, quia uniuntur color & sapor ad idem tertium, scilicet mel aut lac, fit proinde non sequitur, *Coloratum est sapidum. Ergo color est sapor. Dulce est flavum. Ergo dulcedo est flavedo. Murmur est surdum. Ergo surditas est causata aquæ labentis* vel (ut si dicam) *est nutritas*: Ita sic in aliis. At bene sequitur per hunc locum: *Physicus est scientia. Ergo Physicus est scientia & nihilo*. Ex quibus etiam intelligitur, quòd in propositionibus per se, earumque consecutione servari debeat proportio, ut abstracta abstractis, concreta concretis jungantur. Neque enim sequitur: *Physica est scientia. Ergo Physicus est scientia*, sed *Physicus est scientia*. *coniugatis. Prædicari per accidens quid sit?*

II. Attendi debet, ut assumantur coniugata, quæ non solùm conveniunt in sono, sed etiam in significatione. Alioquin enim non sunt coniugata. Ita non sequitur: *Esse efficiens est bonum. Ergo etiam efficere bonum est*. Nam *efficiosus* non est coniugatum *to efficere*, sed *efficii*. Ita sic in aliis.

III. Observandum est, ne committatur æquivocatio. Ita bonè sequitur: *Homo sum. Ergo nihil humani à me alienum puto*. At male sequitur: *Homo sum. Ergo tantum humani curare debeo*. Quia in hoc posteriori exemplo *humanum* non est denominativum hominis, sed idem significat, quod terrenum & caducum. Coniugata autem in significatione convenire debent.

Denique videndum, ne committatur actus qualiscunque cum habitibus. Nam sequitur: *Ille justum agit. Ergo est justus*. Nam non ex uno actu, qui significatur per nomen substantivum, colligitur habitus, sed ex actibus pluribus, qui significantur per adverbium *juste*, ut *Arist. Lect. 2. Eth. c.* Ergo recte sequitur: *Ille justè agit. Ergo est justus*. Hæc obiicer dico, ut solvatur obiectio. Locus coniugatorum solum est Sophisticus. Ergò non est utile argumentum. Nam ex priori discursu patuit, quando sophisticetio contingat in coniugatis, quando non.

Argumentum autem *Fabri* facilè est solutu. Nam 1. possunt

esse

esse argumenta etiam, quæ æqualis sunt nominis, ut sunt comparata, definitio, definitum. 2. Falsum est, quòd coniugata semper sint æquè nota. Nam coniugatio aliqua est ex re, & ratione qua ex subjecto, quæ notiora sunt suis affectis, & adjunctis.

IV. An bene definiantur coniugata, *quòd sint nomina cognatæ significationis?*

9 Ista definitio nostra, si explicetur, clara erit affirmatio, propositæ quæstionis. Dicuntur 1. *Nomina.* Hæc vox sumitur in generali significatione, secundùm quam omne illud superius diximus nomen, quod est nota rei, vel signum concepti. Ut *Aristoteles* vocem definit, *lib. de Interp. cap. 1.* Neque enim derivatio Logica est solùm in nominibus, sed etiam in aliis orationis partibus.

10 2. *Cognatæ significationis. Aristot. priùs cit. loc.* dixit Κατὰ πτῶσιν ἀπὸ τοῦ ὀνόματος, *secundum eandem coniugationem.* Hæc vocabula idem significant quod nostra. Nam συγγενὲς vocum, est in ordine ad peculiarem significationem. Est autem præterea observandum, sicut in hominibus est cognatio, ita etiam esse in vocibus, ut *Varro* ait, *lib. 6.* Unde in proportione ad cognationem hominum, potest explicari cognatio vocum. Omnis cognatio requirit convenientiam *in eodem stipite.* Veluti diversi filii & nepotes & abnepotes conveniunt in eadem persona, quæ hujus quidem pater, illius avus, alterius abavus, aut proavus est. Ita igitur cognata vocabula sic conveniunt in uno aliquo themate, quod in diverso gradu & ordine ex se gigni distincta. Ita *iustus, iustum, iustè* conveniunt in *iustitia,* quæ est quasi pater iusti, & quasi avus τῷ iustè. Concreta enim proximè cadunt ab abstractis, *A concretis* autem adverbia. *Rursus,* quemadmodum ex illa convenientia ad stipitem omnes cognati conveniunt in eodem sanguine, quemquis ex participatione stipites habet. Ita etiam cognata vocabula, quasi eumdem sanguinem habet, hoc est, significationem eandem. Omnia, verbi gratia, quæ derivantur à *iustitia,* significant iustitiam, ut induxi *num. 1. in comment. hujus cap.* Ac denique quemadmodum in illa cognatione hominum necessariò intervenit distinctio, Cognati enim sunt diversorum ordinum vel linearum, aut saltem differentes numerali. Et inde contrahitur qualisquisque diversus sanguinis, adeò, ut quo magis receditur, à stipite, eo magis minuatur

Cognatio vocum declaratur per cognationem hominum.

cognatio,

cognatio, & tandem polivice è trapesecata. Ita est etiam est cognata vocabulis, debent scilicet & ista habere, post communitatem ad stipitem aliquam diversitatem sanguinis sui, hoc est, suarum significationum. Unde sic nobis vocabula cognata non sunt vocabula ἰσοδυναμοῦντα, quæ idem significant prorsus ut *ensis* & *gladius*.

Atque ex hac similitudine multa clara sunt in doctrina conjugatorum. Nam sic 1. quæ conjugata dicuntur, necessariò ad invicem conveniunt in aliquo stipite, cujus cætera quasi rami sint. 2. Quia significatio est quasi sanguis, atque adeò fundamentum cognationis in vocibus, idcircò per hoc non erunt cognata vocabula prorsus distinctarum significationum, si vel maximè in sono conveniant. Ita non erunt conjugata *officium*, & *officiosus*, & *officere*. Hæc enim non eadem, sed contrarias significationes habent. Qui enim officit, est non officiosus. 3. Et rursus, quia significatio est principale fundamentum cognationis in vocibus, cognata, atque adeò conjugata erunt vocabula, si vel maximè in sono differant. Ita cognata sunt *somnus* & *dormire*. Item *virtus* & *studiosus* apud *Aristot. lib. Categ. cap. 8.* 4. Et qui cognati habent diversitatem aliquam in communi sanguini, adeoque voces cognatæ in communi significatione. Idcircò vocabula, quæ prorsus idem significant non erunt conjugata, veluti ensis & gladius. Et proinde hæc propositio. *Ensis idem est, quod gladius*, non erit ex conjugatis. Unde rursus sequitur, cùm vox obscura per clarum significatur (veluti *ens* per *res*) non esse conjugationem.

Ex quibus 5. sequitur: Si duo vocabula significationis diversitatem aliquam habeant, adhuc esse cognata, adeoque conjugata, si maximè in sono & apicibus literarum exactè conveniant. Ita conjugata sunt *Grammatica* (substantivè) & *Grammatica* (adjectivè.) Et tamen ut obique idem sonus est. Et sequitur hinc argumentum conjugatis. Hujus mulieris nota est Grammatica. Ergo hæc mulier est Grammatica.

Denique ex his omnibus VI. sequitur: optimè definiri conjugata per significationem. Hæc enim per respectum ad cognationem in sanguine cognoscitur maximè, intrinsecè sic vocibus, secundum quod earum etiam cognatio spectatur.

V. An

V. An bona sit definitio: Conjugata sunt nomina, ab eodem principio variè deducta?

12 Eam proposuit *Ramus lib. 1. Dial. cap. 21.* Et similem habet *Boëthius: Conjugata vocat*, inquit, *quæcunque ab uno nomine variâ prolatione flectuntur.*

Duæ animadversiones.

Ex duobus tamen ista definitio non videatur bona. *Prima* est: quòd secundùm eam thema, sive principium, aut saltem conjugationis non videatur pertinere ad conjugata. Conjugata enim vocat, principium, & orta ab aliquo principio, sed solùm *orta ab aliquo communi principio*, hoc est, conjugata solùm dicuntur in ea definitione casus thematis. At hoc absurdum omninò, ac si quis à cognatione vellet excipere communem stipitem. Et non minus est argumentum à conjugatis hoc: *Est in Johanne justitia, Ergo est justus*: ac illud *Johannes est justus. Ergo juste agit.*

13 *Alterum* est, quòd non in omnibus conjugatis est *variata prolationis*, in sono literarum. Nam *Grammatica* (substantivè) & *Grammatica* (adjectivè) sunt conjugata, non secus ac *scientia* & *sciens*. Et tamen in istis idem sonus, eademque prolatio est. Sed hoc non caret dubitatione. Ideo specialiter quæritur:

VI. An conjugata sint ea etiam vocabula, quæ eandem sonum & prolationem habent?

14 Exempla ad hanc quæstionem sunt: *Grammatica & Legis* (mulier) vel *Logica* (ars) & *Logica* (propositio, vel regula.) Igitur ista non esse conjugata, videtur juvare superiorem *Rami* & *Boëthii* definitionem. Et confirmatur: Si Grammatica, verbi gratiâ, (adjectivè sumpta) esset conjugatum Grammaticæ substantivè sumptæ. Tum illud esset hujus denominativum, Nam semper in conjugatis casus sunt denominativa sui thematis, seu semper sunt denominata à suo themate. At hoc est absurdum. Ergo &c. Assumptum probo: Nam secundùm *Aristotelem lib. Categ. cap. 1.* παρώνυμα, sive *denominata sunt, quæ ab aliquo nomine appellationem habent, sic ut casu differant.* Sic *justus* secundùm, *justitiæ* παρώνυμον est. Ex quâ definitione, quæ in ea dicitur, *differentia casu*, extruitur hæc denominatorum conditio, quòd cum themate primitivo conveniant in principio dictionis, & differant in fine. Vide *Invern. Categ. cap. 1. & Armand. de Bello Pisc. lib. 2. Form. cap. 28. L. & Zabarel. Log. fol. in fin.*

Denominativa differunt casu.

Nihilomi-

Nihilominus contrarium, quod priori etiam quæstione insinuavi, tenendum est, quòd scilicet etiam ea conjugata sint, quæ habent eandem prolationem & sonum, sub differenti significatione, ut sunt superiùs inducta exempla. Ita patet. 1. Quia abstractum & concretum (in actu exercito) sunt conjugata. At talia sunt Grammatica (ars) & Grammatica (mulier) non secus ac *Grammatica* (ars) & *Grammaticus*. 2. Quia Logicus non curat apices syllabarum, quod est Grammatici, sed intentus est ad significationes. At significatio est diversa. *Hæc mulier tenet Grammaticam: Ergo est Grammatica, sive prædita habitu Grammatico.* Ex quo loco inventionis sumptum est, si non est ex conjugatis? 15

Ad primum contrariorum argumentorum *respondeo*: Definitionem *Boethi* & *Rami* propterea repudiandam esse, quia ad conjugata requirunt in ea diversam pronunciationem conjugatorum. 16

Ad *secundum* respondeo, vel *Aristotelem* definisse in libro *Categoriarum* (in quo alioquin multa habet populariter dicta) denominata ea, quæ maximè talia sunt (qualia sunt, quæ & voce, & significatione deviant à suo principio) ut *Keckermannus in System. Log. pag.* 225. Vel differentiam casûs in definitione paronymorum esse intelligendam cum ampliatione, ut differens sit casus, si diversitas à themate non sit solùm, cùm differens est sonus, sed etiam cum differens est significatio, qualis in superioribus exemplis evidenter est. Hoc modo explicant eam definitionem *Coimbr. lib. Categ. cap. 1. qu. 2. art. 1. in fine*, aliique. 17

VII. *An conjugata sint, quæ nullam etiam à principio convenientiam habent?*

Exempla sunt: *Dormiens & somnus: Morbus & ager.* Hæc conjugata dicuntur communiter ab *Aristot.* At negantur illa esse conjugata à *Pontan. lib. 1. comm. Dial. cap. 23. fol. 368* 18

Hæc ita se habent. Illa esse conjugata 1. quia habent modum arguendi similem ei, qui est inter conjugata, quæ talia sunt & *Sententia authoris* sonum & significatione. Non enim minùs sequitur. *Est ager. Ergo est in eo morbus*; Ac hoc: *Est ager. Ergo est in eo sanitas.* 2. Nec monstrari potest locus, ex quo sumantur hæc consequentiæ præter conjugata: *Est ager. Ergo est in eo morbus. Est dormiens. Ergo est in eo somnus.*

Cæterum

19 *Tria genera conjugatorum.*

Caterùm, ut Dona ait de Caelum lib. cap. , tria sunt, quæ solent poni genera conjugatorum, quæ convenient in voce, & non in significatione, ut *Pius*, *studium*, & *studiosus*: alia, quæ conveniunt in significatione, & non in voce, ut *Homo*, *Homicida*, *Homicidium*: alia, quæ conveniunt significatione, & voce, ut *Fortis*, *fortitudo*, *fortiter*. Ex illis autem ut posterius apparet, verissimum ipsorum est, propter rationem rectam, quæ [illegible]

VIII. *Quid sit abstractum & concretum?*

20 *Abstractio opponitur concretioni.*

Abstractio in Philosophia semper apprehenditur [illegible] Sic Scalig. exerc. 343. sect. *Abstractis nihil tribuendum eorum quæ intellectione non habent concretionem*, ut lapidem, unum, intelligitur, non intellecto alio. Abstracta igitur secundum divisionem scientiarum dicuntur quia separantur concretarum materia, veluti, quæ non sunt immersa materiæ sensili, aut alioquin apprehenduntur exempli gratia tam, vel numeratam, [illegible] Ita Theologi in communicatione Idiomatum, prædicationem [illegible] quando aliquid prædicatur de natura divina [illegible] concretionem, vel unionem personalem. Sed [illegible] *Quidnam prædicationes fiat in concreto?* sonat caro est: *Filius Dei creavit mundum*: *Filius Dei factus est homo*. *Filius Mariæ est mortuus*, [illegible] non conveniunt subjecto per & propter [illegible] unionem hypostaticam. In oppositum igitur [illegible] nes fiunt in concreto. *Filius hominis glorificatus est*: *Caro Christi emundat à peccato*: *Hujus* [illegible] *tri est omnis potestas*. Quæ prædicata [illegible] isti subjecto, nisi ex concretione vel unione personali? Filius enim hominis non est [illegible] nes ejus caro vivificat est, quâ filius hominis est, aut quâ caro est, sed quâ caro [illegible] est. Vide *Chemn. de duab. nat. in Christo*, [illegible] *Andr. in Colloq. Momp.* [illegible]

21 Alii nomen locutionem in [illegible] fit [illegible] ram, ut *Humanitas vel caro* [illegible] *Cyrill. in edit. Lips.* [illegible]

22 *Quid hîc sit abstractum & concretum.*

Abstractum est [illegible] hoc est, [illegible] sunt abstracta. Et præcisè significant, [illegible] to, [illegible] tet [illegible] Ita *Conc.* [illegible]

aliquam,

aliquantyper commutationem eius, in quod forma illa recipitur. Sic *Justitia, justum, justus* concreta sunt, indeque & duo illa, quæ nempe & *formas* has, iustitiam, fortitudinem, & *habentia*, quæ istos habitus habent. Ergò fortis est, qui habet fortitudinem: Ergò fortis duo significat, & id, quod habet, & id, quod habetur. Et sic in aliis. Θεὸς ἐστὶ σῶμα ἔσχατον, non qualitas solum (quæ dicitur Θεότης) ait Stoïcus 1. de plac. pag. 393. Et rursus pag. 460. *Humidum non est sola qualitas humida, sed corpus affectum humiditate. Magnum non est magnitudo, sed res habens; corpus non est corporeitas, sed quod habet*, ait *Taurellus* 2 *prim. mat. cap.* 17. Et Plot. lib. 6. Enead. 2. Hic tamen observa, voces *concretivas* & *abstractivas* aliquando commutari, ut illæ pro his, & hæ pro illis ponamus. Ita iustitia dicitur pro iusto Metonymice. Et Aristoteles *Metaph. cap.* 15. ait. Æqualia esse οὐ ποσὰ ἴσα, eadem pro *quanta*, *quantum* pro *quantitas* Antiqui *amen* Ciceroni quasi dicebant non *qualitatem*, *pingue* pro *pinguedine* apud Plinium semper, &c. ait *Gellius de Cau. l. c.* 70. Observatio.

Abstractum, *concretum* & *concretivum* distinguit, quòd hoc 23
sit adiectivum, illud substantivum. Sed hoc discrimen non est *An concretivum* semper. Esto ita sit frequentius. Nam *homo* concretum *sit semper substantivum?*
est, & *animal*, & alia, quæ substantiva sunt. Abstracta sunt per se adiectiva, vel *humanitas*, & *animalitas*. Potest tamen concretivum aliquando defendi per analogiam aliquam. Omne concretum significat per modum adiectivi, in quantum scilicet concretum addit formali significationi aliquem modum, veluti existentiam in subiecto, vel subiecti connotationem, quod faciunt omnia adiectiva, abstracta autem omnia, esse substantiva, vel dixisse sufficiat.

CANONES.

Quod uni contradictorum inest, vel non inest, illi omnibus 24
inest, vel non inest. Est 4. Top. cap. 4. & 7. Porro 2. Si *quod est formosa. Quidam iustè est fortiter. Et iustum est fortem. Quidam homo est, vel aliorum nullum est.* Si *aliquid est aliquid bonum.* Etiam philosophari est bonum. Et *deinde*, Respondeo autem hic tam conditiones communes, quibus *est unum, ens.* Et hæc nominantur alia

Ff est

esse rerum laudabilium numero, etiam iustus, iustè, iustum, erit etiè rerum laudabilium numero. Item

26 *Illius coniugatorum aliquod non est proprium, nec alterius erit proprium.* Est 3. *Top.* c. 7. §. 1. Si cuius quod est iustè, non est propriè id, quod est honestè. Etiam iusti non est proprium, quod est honestum. Et hoc valet etiam affirmate: Si unius coniugatorum aliud est proprium, erit etiam alterius proprium. Item per oppositionem: Si huius rei non est proprium hoc, nec alterius oppositi erit oppositum aliud: ut si cuius quod iustè est, non est proprium id, quod benè est, etiam eius quod iniustè sit, non est proprium id, quod malè sit. Vide *Aristot. d.* l. §. 2. 4. Item.

27 *IV. Quot modis unum coniugatorum dicitur, tot modis dicitur & alterum*, 1. *Top.* c. 15. §. 10. Veluti salubre dicitur quod sanitatis efficiendæ, conservandæ, vel indicandæ vim habet. Et salubriter dicitur, accommodatè ad sanitatem efficiendam, conservandam, indicandam. Si scientia aliquando idem est quod omnis norma, aliquando est habitus cognoscens obiectum propter se, sine relatione ad alia, etiam scientem idem est aliquando, quod omnia noscens, & aliquando idem est, quod is qui cognoscit obiectum propter se. Et sic in aliis.

28 *V. Coniugata se consequuntur in nobilitate.* Si philosophia est nobilior, quàm Medicina, etiam philosophari nobilius est, quàm medicari. Est 2. *Top.* c. 3. §.

29 *VI. Denominativus differunt casu à suo themate.* Sumitur ex *Aristotele, lib. Categ. cap.* 1. *Sect.* 1. Denominativum autem dicitur id, quod *Aristoteli* aliàs *casu* dicitur, seu idem est, quod ortum à principio, vel radice, vel themate coniugationis. Si coniugata sunt *iustitia, iustus, iustè*. Prima radix hic est *justitia*. *Iustus* igitur & *justè* sunt denominativa, & eorum denominativa illa *differre casu* à themate non est idem, quod habere differentem à themate terminationem. Hoc enim non est in omnibus. Nam denominativum Grammaticæ (substantivè sumptæ) est Grammaticus (adjectivum) tanquam concretum illius. Et tamen eadem est terminatio. Differentia igitur casus inter thema & denominativum attendi debet principaliter in differentia significationis. Differens autem eloquendi significatio Grammaticæ (substantivi) & Grammaticus (adjectivi) pure

VII. Deno-

vica. Habetur apud D. *Augustinum, lib. Categ. cap.* Intelligitur autem de singulorum significationibus. Igitur univoca, quæ dicuntur, illud prorsus idem significat in suis univocatis; Ita animal idem significat, cum de homine, & bestia dicitur. Æquivocum autem prorsus diversum significat. Ita Gallus diversum significat de gallinaceo, & de francis dicitur. At denominativum partim idem significat cum suo denominato, partim diversum. Nam significat idem, quia omnia cognata, adeoque thema, & inde sumpta denominativa conveniunt in principali significatione, juxta quod superius dicta sunt *cognata* in significatione. Significant autem diversum, quia denominativa connotant modum supra significata, nonem principalem ut declaravi *num.* 1.

30

31

XVIII. *Abstractum est prius concreto.* Abstractum enim est vestis formæ concreti. Et proinde concretum ab abstracto, non abstractum à concreto derivatur. *Quantum de quanto de abstracto dicitur est inquit, Scalig. de C. l. l. cap.* 70. *si rem spectes, & de contrario, si vocem quantitas à quanto dicta est.* Ex quo fuerit intelligitur illatitia nostri axiomatis, Abstractum est prius concreto in derivatione Logica. At concretum est prius abstracto in derivatione Grammatica. Intelligitur autem de abstracto & concreto in specialioribus entibus & entitatis. Nam in transcendentibus & attributis divinis idem sunt *Ens* & *Entitas*: Idem est, Deum esse *omnipotentem*, & esse *omnipotentiam*. Vide *Scaligerum* 365. *sect.* 6. *et Thomam quæst.* 3. *art.* 3.

Axiomata

32

XIX. *Abstractum est simplicius concreto.* Patet: Nam concretum significat ipsum abstractum cum connotatione alterius. Forte homo forte ejus dilectionem in eo qui eam habet. Unde fortis est habens fortitudinem. Caveatur concreta sunt composita ex abstracta, sed differenter. Quandoque sunt compositiva solum secundum nostrum apprehendendi modum, ut Deus, *Ens* & *Entitas*, aliquando vero sunt compositiva etiam quoad rem, ut in aliis. Vide *Gerhardum de Deum in suo de Deo* cap. 7.

33

XX. *Non proinde tamen abstractum est concretum simplicius.* Ens simplicius est quam Deus, quia *Ens* est primum, & primandis. Et si materia est quam vel corpus, longe non est quantitas vel corpulentia. *Ex primis* [illegible] eundem. Et sic etiam, quia Deum dicimus ipsum bonitatem

& sapientiam, non tam Philosophicè, quàm populariter dicetur, bonus sapiens, & sic in aliis.

34 *Abstractum & concretum non prædicantur de seipsis.* Non dicitur vel calidum est calor, vel calor est calidus. Et sic in aliis. Et sic male *Sebastianus Karro* definivit *frigus*, quòd sit *qualitas frigida*. Item, *calorem*, quòd sit *qualitas calida*. Et ex hoc fundamento etiam dicit, quòd differentia non debeat prædicari speciei aut genus, cujus est differentia, apud *Aristot. 6. Top. cap. 6.* Rationalitas nec animal est, nec homo est. Nam idem est cum isto: Rationalitas non est rationalis.

CAPUT XXVI.

De definitione Nominis. Ubi & de Notatione & Transsumptione.

Definitio Nominis est, qua explicatur, quid nomen significat.

Estque vel per Notationem, vel per Transsumptionem.

Notatio est explicatio nominis ex sua origine. *Ut homo dicitur ab humo.*

Ad notationem pertinet *allusio*.

Allusio est explicatio vocis ex origine, simili significatione, nominis ut *frater dicitur, quasi ferè alter ego, quia est vivum unitas.*

Transsumptio est explicatio vocis obscuræ per clariorem, ἀντίστροφον est idem quod forma.

COMMENTARIUS.

Superiori capite actum est de Coniugatis, nunc agitur de notatione. Unde illarum quæstio oritur.

1 *An Coniugata recte postponantur Notationi?* *Fonseca, lib. 7. Iustit. dial., cap. 11.* Notationem præponit coniugatis & id faciunt multi alii. *Ramus* autem istam postponit his, & eum nunc sequimur.

Hanc in re dicendum, *Non admodum referre, quodnam istorum prius doceatur.* Nam coniugata & Notatio species sunt ejusdem generis, inter quas cæteris paribus ordo est arbitrarius. *Melius tamen est coniugata præmittere Notationi.* Nam conjugata videntur, secundum quòd ortu sunt, esse simpliciora

simpliciora Notatione. Illa enim enim oriuntur solùm ex locis conclusionis. At notatio fit etiam ex differentiis & comparatis.

De nomine Notationis & aequipollentibus.

Caeterùm ista Notatio *Aristoteli* dicitur λόγος ὀνόματος 2
b. Top. cap. 7. hoc est *sermo vel ratio, vel definitio nominis*, *Ciceroni in Topicis Etymologia. Quintiliano* non ita usitata nec commoda voce vocat *originationem. lib. 1. Institut. cap. 5.*

Ex prioribus nominibus nascuntur duæ quæstiones:

1. *Quid differat definitio nominis à definitione rei?*

Aristoteles 2. post. cap. 10. Definitionis primam speciem 3
faciat eam quæ nominalis est. Nos tamen malumus hanc seorsim à definitione rei tradere, sicut distinctionem nominis à distinctione rei. Et *Aristot. d. l. Sect. 7.* etiam peculiariter enumerat definitiones rei, ex illa nominali. Igitur *Ægid. Romanus 1. post.* istas sic distinguit, quòd definitio nominis terminat quæstionem, quid nominis, (hoc est, quid *nomen* significet, vel unde *nomen* dicatur) ostenditque ratio apprehensa ab intellectu per quam refertur ad illius significatum. At definitio rei illa quæ terminat quæstionem, quid rei, (hoc est, quid *res* sit.) Et ostendit per quam refertur intellectus ad principia formalia alicujus rei. Item definitio rei (comprehendimus autem sub ea transumptionem (est tam entis, quàm non entis. Et inde apparet posse, quod significat vacuum, vel purgatorium, vel centaurus. At definitio rei illius ejus solùm quod ens est. Deinde: definitio nominis potest esse complexi, veluti quid significet *per se subsistere*, &c. At definitio rei est incomplexi tantùm. Confer *Gerbard. in Thomæ Aquin. Opusc. fol. 2.* Rursus definitio semper est adæquata definito. At notatio sæpè est inadæquata, modò latior est, modò angustior.

2. *Quid differant Etymologia Logica & Grammatica?*

Occasio quæstionis nascitur ex eo quòd notationi tribuatur 4
nomen Etymologiæ. Distinguo autem quòd Etymologia Logica & Grammatica. 1 Etymologia Grammatica sumitur in solis vocibus. Logica autem defertur ad res. II. Logica Etymologia sumitur semper cum dependentia ad argumentum aliquod probandum, unde oritur. Grammatica non item. III. Logica scribuit argumenta, Grammatica loquitur. IV. Denique apparet diversitas in exemplo

hominis Etymologia. Logica est, quod dicitur *ab humo*, nomine sumpto a materia. At eius Etymologia in Grammatica est hæc, quòd homo sit nomen generis masculini, singularis numeri, figuræ simplicis, certæ declinationis, & sic deinceps.

De definitione Notationis.

5 Quæ hactenus dixi, fuerunt imprimis de definito, sequitur de definitione, sic igitur dicitur, quòd notatio sit explicatio *nominis ex sua origine*. Nomen ex sua origine explicare, Logicè est nihil aliud quàm indicare argumentum, ex quo sumpta sit impositio alicuius nominis. Sic igitur notatio nominis sit, si dicam, hominem sic dici ab humo, tanquam à materia. Evangelistam sic dicimus ab evangelizando, nomine sumpto ab effecto. Et sic in aliis. Ora hoc inquirendum est.

Ex quibus argumentis sumantur Notationes.

6 Primò videri potest, ex sola forma sumi debere Notationem. Nam denominatio sumitur à potiori. At in re quavis potior est forma, quàm vel materia, vel finis, vel efficiens, vel subiectum, vel adiunctum, vel cætera. *Respondi.* In isto axiomate (*denominatio fit à potiori*) denominatio non significat nominis impositionem, quasi nomen semper imponatur ab eo, quod principalius est. Sæpius enim aliunde nomen imponi quàm à re potiori, hoc est, formâ, mox apparebit. Intelligenda autem est propositio ista de denominatione alicuius rei, in quantum respicit attributa. Eo sensu propositionis est, cum aliqua res habet duo attributa, quorum tamen alterum potius est, quàm aliud, tum denominatio nonnisi à potiori sumitur.

An à sola forma sumantur Notationes.

Axioma, *Denominatio fit à potiori, quomodo sit intelligendum.*

7 Potius autem sentitur id, quod intensius, & extensius, & potentius, sive diuturnius est in subiecto, quàm aliud. Si igitur, si quid habeat calorem ad gradus duos, frigiditatem ad gradus octo, denominabitur à frigiditate. Itemque, si quis habeat doctrinam unius gradus, hoc est, notitiam unius conclusionis solum, cæteroquin autem rudis sit, non denominabitur doctus, sed rudis. Æthiops est albus secundum dentes, quia toto reliquo corpore niger est, denominabitur niger. Si quis astans igni rubescat, toto autem reliquo tempore sit pallidus, verè denominabitur non rubicundus, sed pallidus. Atque hæc vera sententia est illius regulæ.

8 Notationes igitur dico esse ex omnibus argumentis primis.

Igitur

Igitur *Nationes ex causis* sunt: *Homo* dicitur ab humo, à *materia*, quia sumptus est ex terra, sicut apud Hebræos *Adam* dicitur ab אדמה hoc est, terra ruffa, eâdem de causa & femina dicitur virago, אשה quia de viro אישׁ sumpta sit. Sic *ab efficienti Hebræi* dicuntur ab *Heber*, quia omnes descenderunt ab Heber Patriarchâ, apud *Joseph. lib. 1. Antiq.* & *Perer. in Genes. cap. 14. n. 26. seqq.* Animatum dicitur ab *anima*, hoc est, *formâ*. Hypostasis dicitur ἀπὸ τοῦ ὑφίστασθαι, à forma. Annales dicuntur à fine. Scribuntur enim ut sciatur, quid quoque anno gestum sit. Vide *Gellium lib. 5. cap. 5.* & *Martyrom classi. loc. com. t. 6. n. 21.* Sic Concilium apud *Isid. in præfat. ad tom. Concil.* dicitur à communi intentione, eò quod in unum omnes dirigant mentis obtutum vel oculorum. Calix enim oculorum sunt.

Ab effectis.

Christus vocatur Jesus ישוע à ישע salvavit, quia suum faciet populum, *Matth. 1.* quod est ab effecto. Sic Θεὸς dicitur à verbo θεᾶσθαι, à videndo, vel ἀπὸ τοῦ θεῖν, currendo, vel quia succurrat, secundùm *Damasc. lib. 1. de orthod. fid. cap. 12.* vel quia apud veteres currentia sidera, Dii dicebantur, secundùm *Theodoretum*. Vide *Bellarmin. lib. 1. de Christo, cap. 16.*

A subjectis.

Dicta *à subjectis Rerum*. *Diod. lib. 1. cap. 24.* dicit nomina imposita *Carnæ* dicitur, quia occuperet in cardine: *Mellona*, quia in melle.

Ab adjunctis.

Ab adjunctis. Mulier dicitur à mollitie. Bambalio à balbutiendo. Consilium dicitur quasi considium (quæ tamen fictio potius est) ab *Isidor. in præfat. ad tom. Concil.* Eunuchus secundùm *Scaligerum* dicitur, quasi εὖ τὴν ἕξιν, habens bonum intellectum. Hæresis dicitur ἀπὸ τοῦ αἱρεῖσθαι, quòd hæreticus eligat, quod sibi optimum videtur. Eucharistia dicitur *Cœna* à tempore, quia vesperi celebrata est à Christo. *Regula* dicitur, quia regat vel rectè ducat, apud *Isidor. d. l.* sic *substantia* dicitur à subsistendo. Servorum origo in lingua Latina inde est, quod ii, qui jure belli justè poterant à victoribus occidi, servabantur, & servi fiebant sic à servando dicti. Apud *Augustin. lib. 15. de civ. Dei, cap. 15.*

A dissentaneis.

A dissentaneis. Sobrius dicitur quasi sine ebrietate. Ἀλήθεια ἀπὸ τοῦ μὴ λανθάνειν, quia non possit latere.

A Comparatis.

A Comparatis. Pyropus dicitur, quia ingiteur τῷ πυρὶ ἔοικεν, videre ignis. *Chrysostomus* dicitur quasi habens aureum

rerum. Simonia dicitur, quia fuit similis Simoni Magi illi, qui apostolos Christi gratiam Spiritus sancti pecunia conducere voluit, aut qui pro ministerio sacro pretium accipiunt, apud Lombard. lib. 4. dist. 25. D. Sed ista ad Rhetoricam aliquibus videbuntur ineptiora, quòd nihil contineant seriosi, sicut Homerus de Nausicaa dixit, quòd nihil [illegible] prudentiæ.

14 ... ut verbis complacere possint. Notationis per contrarium, hoc est, ἀντιφράσεως.

9 Exempla vulgata antiphrasios.

'Απὸ προφάσεως seu ἀπὸ ἔξεως. Doctores constituunt in multis exemplis. *Bellum* dicitur quasi minimè bellum. *Lucus*, quasi minimè luceat. *Officium*, quòd minimè officiat. *Parca*, quòd minimè parcat. *Lucus* (literarius) quòd minimè lucidus sit, et lucrativa. *Otium*, quasi minimè otium (otium in bellicum, quod dictum volunt ab *odio*) quasi minimè vacet. Et *Ecclesia*, quasi minimè ecclesia, *Καλέω* convoco, *ἐκκλησία* conductus, quasi minimè conducens. Et *Sordes*, à *sordeo*, purgo.

10 *Augustinus Balbus Suessanus*, qui [illegible] peculiarium vocabulorum per [illegible] ... ab aliis plerorumque barbarorum Nationes reperta, cujus rei dictum suo admiscuimus, in quantum aliquas notabiles istarum vocabulorum proprietates affert. Neque enim absurdum est, unius hominis notationes plures esse.

Bellum, quasi minimè bellum. Notationem dat *Balbus*, quòd multa propria sunt bella. Et inde aliphanc vocem ad ferinos hominum mores transtulit. Quæ præmissa refutat hanc Notationem, quòd multa bella sæpè neque mala, neque sua propria sint: quæ illa, quibus injustè sublata, repetuntur, vel ... propulsantur, &c. Ait hæc bella bellua non esse. Balbo quidem hoc nihil officit. Nam notatio non semper est ab æquali suo nomine. Substantia dicitur à subsistendo, quia subsistat accidentibus, & tamen non in omnem substantiam convenit hæc notatio. Deum enim nullis accidentibus subsistere, &c. Ita alii.

12 *Lucus*, quasi minimè luceat. Hanc notationem etiam habet *Hieron. ad Faustum*. Ait tibi bellua videtur, quia [illegible] quod [illegible] quasi non [illegible] idcirco dictum, quia minimè luceat. Idem habet *Quintilianus lib. 1. instit. cap. 6.* Ait inquit *Balbus*, lucus, dictus, quòd vere luceat, quòd scilicet, in [illegible] opacitate, in arborum frondium [illegible] densa [illegible]

orum

Officium, quòd in nihilo officiat. *Ac*, ipse inquit, *officium* 13
dictum ab efficiendo. Sed vide *Ambrosium officiorum lib. 1. cap. 1.* *Officium.*
efficium. Sic & *Hieron. in lib. offic.* Et *Beleshus de divinis off. cap.* 137
vide etiam *Vallam l. 4. Elegan. c. 30.* Resp. ut priùs.

Parca, quasi minimè parcens. Parcas inquit Poëta sunt tria 14
fata. *Parca.*

Ludus, quasi minimè ludus, vel proquàm ludo. *Ac Barbus* 15
ludum dicit solum proprie pertinere ad scholam puerorum, *Ludus.*
& eam complectitur denique quandam inferioris disciplinæ. 16
Bonus ludodoctor est debet scribere, aut differre, &c. Vnde ludus.
Si quando ad graviores res ludus applicetur, quòd prius id minus
proprie. Conferi *Vallam lib. 4. Elegan. cap. 6.* Dicq; ad hæc illa
ad priora.

Bellum, quasi minimè bonum. Ait *Barbus*, *Eumenides* 17
dictum à filiorum. Dicuntur enim *bene fures*, quod plurimum *Otium.*
rapere videntur. Nam adverbium *bene* adiget, sicut aliqui optimum *Bellum.*
fuisse dicunt, qui excellit in furando. Sed idem est de *Eumenides*
hoc, quod de primitivis. Plura qui desiderat, videat Dn.
Erasmum *in Chiliadibus*, & *Aretium problem.*

Allusio, dictio ex qua alludit ad significationem vocis, & 18
proinde veræ notationi dat similem notationem. Exempli causa
ferè notatio explicat vocem per causam, ut *Varro* ait *Lucum* 19
à non lucendo. Allusio versus. *Allusionis*

Allusionis exempla. Verbi *Mutuum* dictum, quasi quod de *exempla.*
meo fiat tuum. *Frater*, quasi ferè alter, apud *Gellium lib.*
Nequitia habeo, quasi quod nequicquam dicta est. Item
quasi sinu hominem nihil hoc prius dicunt. *Augustinus lib.*
de

de vera relig. cap. vii. Præsentia eidem Augustino dicuntur, quasi præ sensibus. Mysterium Clemens deducit à μύω & scelus, vel μυστήριον est quasi μυθώδιον fabulosum. Loquitur autem contra gentes. Aliis μυστήριον est à μύω & στόμα, quod est claudo os. Aliis est à μυστεῖν & πωεῖν, hoc est, abscondere & servare. Potest etiam duci à μύειν, hoc est, sacris initio. Hæc Bellarm. lib. 1. de Sacr. c. 8. Fides dicitur quasi per eam fiat, quod dictum est, apud Aug. epist. 9. sicut & Cicero definit fidem, quòd sit pactorum & dictorum constantia. Omen secundùm Festum dicitur, quasi aremen. Est enim prædictio, quæ excidit ex ore humano, cum aliquo furore. Vide Martyr. class. 1. Loc. com. cap. 7. n. 6. Scalig. de plant. necesse dicit, quasi sine eo res nec esse possit. Alia mitto.

Allusiones & notationes ridiculæ judicabuntur ex Canonibus.

CANONES.

20 *I. Notatio debet esse vicina nomini.* Hoc dico: Quòd notatio debeat fieri per voces cognatas nominis explicandi. Si igitur velim notationem dare vocis εὐτυχῶ, non debeo dicere εὐτυχῶ est ἀνθρώπῳ, sed εὐτυχῶ est εὖ τὸν χῶ, bene animum habens, sicut εὐκαιμονία dicitur, εὖ ὁ δαίμων ἔχειν. Et εὐδαίμων, τὸ δαίμονα ἀγαθὸν ἔχειν. Vide Aristot. 2. Top. cap. 6. Sect. 21. Atque hoc differt notatio à transsumptione, quarum hæc vocem explicat per vocem aliam & diversam, illa per vicinas.

21 *II. Omnis notatio reduci debet ad aliquod argumentum Logicum.* Veluti, debet in notatione nomen explicari ex materia, vel formâ, vel fine, &c. Vnde scilicet nomen est impositum. Hoc in prioribus satis patuit.

22 *III. Notatio non debet peti ex lingua, cujus non est nomen ipsum.* Veluti nominis Latini Latina, Græci Græca debet esse notatio. Et sic deinceps. Ita Plutarchus male derivat *Sabbathum*, à Græco σαββάζειν, à convivando, cum ista vox sit Hebræa à שָׁבַת quievit. Sic Tertullianus contra Judæos, Ambros. de myst. Pasch. cap. 1. aliique male derivant *Pascha* à πάσχω, cum ista vox sit Hebræa à Pesach. Vide Whitaker. de Pontif. pag. 401. Sic August. Epist. 119. ad Ianuar. Vocabulum, inquit, Paschæ non Græcum est, ut vulgò videri solet, sed Hebræum. Neque enim à passione, quomodo Græcè dicitur πάσχειν pati, sed ab eo, quod transiit de morte ad vitam

Sabbathum.

Pascha.

vitam, vel appellatus est. Hæc ille. Pontificii dicunt, *Petrum* dici *Cepham*, quasi *vocandum*. Vide *Gratian. d. 22.* & prolixè *Turrian. l. 2. cap. 3. ad Epist. Pontif.* At *Cephas* non Græcum, sed Syriacum est, & significat *Petram*. Ita malè *Paulinus apud Augustinum Epist. 58.* & *Lyranus cap. 22. in Num.* *Cephas.*

Prophetam dici volunt à procul fando, cùm ista vox Græca sit πρὸ & φημὶ, quod est *antè dico*. Sic non congruit, quod *Epiphanius* nomen Ἰησοῦς deducit ab ἴασις, cum sit Hebræum nomen Jesus, à יהושע salvavit, ut etiam constat ex *Matth. 1.* *Propheta.* *Jesus.*

Thesaurum aliqui dici volunt ab auro, sicut & Paulus. Cùm hinc thesaurus definit, quòd sit depositio pecuniæ. At id falsè. Cùm thesaurus vox Græca sit ταμεῖον quòd τίθημι, ἐν ᾧ ἄυριον, quòd thesaurus reponatur in crastinum. Et hinc etiam thesaurus nivis est, apud *Plinum*. Vide *Vallam in com. ad cap. 2. Matth.* *Thesaurus.*

Sic male est notatio (Allusio esto) quòd Bischoff, dicitur quasi bey den Schafen, cùm vox ista sit origine Græca ab ἐπίσκοπος. In hunc Canonem multæ Etymologiæ Scholasticorum impingunt. Parabola illis, (ita Simmonius Gallus) dicitur, quasi *parer bolum* ori facilem, vel quòd *parat velatque*, hoc est, *rem velat*. Græco vox est, à παρὰ & βάλλω. *Bischoff.* *Parabola*

23 *Notatio debet congruere cum Prosodia & scriptione nominis.* Nomen enim, cuius notatio traditur, est quasi proles, literius. Proles autem convenire debent cum suo parente in iisdem attributis. Sic *Metropolis* malè dicitur esse quasi μήτηρ πόλεων, mensura civitatum, cùm μέτρον anceps sit. Metropolis autem primam longam habeat à μήτηρ. Vide *Vallam in orat. de Constantini fal. 789. operum.* Sic male est notatio, quod *persona* dicitur quasi *per se sonans*, hoc est, per se subsistens, non tanquam vel accidens, vel pars. Nam sonare brevem habet primam. Persona autem habet mediam longam. Hic tamen notandum, cùm notatio est alioquin evidens, ex circumstantiis aliis fieri posse, ut convenientia in prosodia habeat exceptionem, quemadmodum regula dicitur à regendo, ut suprà ex *Isidor. præfat. in Concilia* retuli. Et tamen regula & regere quantitate differunt. *Exceptio.*

24 Per differentiam autem scriptionis cognoscitur, non esse bonam notatio, quòd *Dialectica* derivatur à δύο & λέξις, quod sit duorum (opponentis & respondentis) sermo, cum Dialectica non scribatur per v, sed per i. Sic malè *Mechanicum* derivatur *Differens scriptio.*

derivatur à Mœchando, cum istud non scribatur per m, sed per e, sumptum ex μ Græcorum à μίγνυμι. Sic etiam non tam notatio, quàm alluſio est, quod *Justinus Apol.* 2. pro *Christianis* ait: Christianum dici quasi χρηστόν. Nam Christiani nomen non est scribendum per η, sed per οι à χρίω, vel χρίομαι.

25 Hic tamen etiam consideranda est analogia similium derivationum. Latinum *Fama* rectè derivatur à Græco φήμη. Etsi istud non scribatur per ph. Nam frequens est Græcorum transire in f. Sic *Scaligero* à σείριος dicitur *seneſtra* quasi per eam appareat lumen. Et sic in aliis. Ita familiare est ut transeat η Græcum in a. Unde ex nostra regula judicari non debet, malè derivari κακὸν bonum à κνάω, mulceo apud *Scalig. exerc.* 300. ſ. 3.

26 *V. Notatio non debet commiscere distinctas linguas.* Quemadmodum non debet nominum hujus linguæ notatio dari ex lingua peregrina. Ita nec notatio ipsa debet distinctas linguas confundere. Sicut enim commixtio specierum in natura, ita etiam diversarum linguarum in nominibus monſtrosa est qualis est in voce *Monocnlus, ſuſſigraluca* & aliis. Ita malè derivatur à *Lombardo Symbolum* à *Latino Bolus*, & *Græco* σύν, quasi unusquisque Apostolorum suum bolum contulerit ad symbolum. Et sic in aliis.

27 *VI. Notatio non debet esse violenta*, ἀνάγκη, ut ait *Plato*: hoc est, *non oportet eam violenter attrahere.* Violentæ autem Notationes sunt, quæ nec cum ullâ declinationem nihil congruunt cum notatione, vel quæ à re prorsus peregrinâ sumuntur, vel quæ deformitatem vel imperitiam linguarum, aut ex conditionibus valdè incongruis. Merito igitur ridet Valla *in don. Constant. fol. 78.* quosdam notationes, quòd *Vespasianus* dicatur à Vespis, quod *Lauretanenſis* dicatur, quòd sub eo lateat rana, quam peregrinationes, quod *Petra* dicatur, quasi pedibus trita, quòd *Papa* dicatur ab interiectione *Papæ*. Similes sunt, quòd *Abdenſis* Scenopegia derivat à σκηνοπηγία, quod est commune, & Phagesiacus, quod est epulum. Item, quòd *Paulinus* apud *Augustinum Epiſt.* 8. *Apostolum* dicit ab ἀπὸ & σταλῶ. Item, quod in Synodo Romanâ sub *Sylvestro* 36. *Usura* derivatur à verbo, quod inde sub anathemate prohibetur. Sacerdotes ingredi curiam. Sic *Milites* dicitur quasi mira res, *Magistri*, quia terribilior sit, quàm alius. Alias ineptias taceo qui illis delectatur videat,

videat in nominibus propriis magnem copiam, *in orat. 2 Panegyrica Dn. Hi. Finckii, in fine.*

Vide. In omni notatione deveniendum est ad aliquod primum, *Scalig. de caus. ling. lat.* tradit hoc de Etymologia Grammatica, sed quoad hoc, ista & Logica conveniant. *A maritudo dicitur ab amaro. Amarum a mari. Mare ab Hebræo mara hic quiescendum*, inquit iste. Et sic in aliis. 28 29

Vide. Cui convenit notatio, ei etiam verissimile est, convenire nomen. Et vicissim. Ut si aliqua res dicatur *vivere*, verisimile est eam habere vitam. Dico autem *verissimile* est. Nam de multis prædicantur nomina sine re. Et vicissim multis ejusmodi rebus, quibus non convenit nomen ut seq. Canone apparebit. Et hinc *Justinus Apol. 2 pro Christ. fol. 138. in edit. Lugd. tom. 1.* Nominis appellatio neminem bonum vel malum facit. Confer etiam *Witak. de Eccles. p. 293. & 300.* Et in superiore exemplo verissimile est, quod vivum dicitur, id vitam habere, at non est necesse. Nam etiam argentum vivum & aquam vivam dicimus. Quanquam hoc etiam recte dicitur. Cui vere convenit nomen, ei vere convenire notationem, & vicissim. Si, inquam, nomen spectemus, non ex usu vulgi, sed ex sua proprietate. 28

Si non sit verus, non nomen habere mereris. Philosophus est amator sapientiæ, unde qui non sapientiæ, sed commessationum amator est, non debet dici Philosophus. *Vide Scalig. cum.* 167. Ita inanis est gloriatio Pontificiorum. Dicimus Catholici. Ergò sumus Catholici, apud *Bel larm. l. 4. de Eccles. cap. 4.* Et *Lessium in consultatione, cap. 6.* contra *Vide Grotium tom. 2. fol. 592. 593.* & Dn. D. *Meisnerum in Antilessio, consid. 6. pag. 247. seq.* 28

IX. *Notatio non est necessario adæquata nomini.* Suprà in eo constitutum est discrimen notationis & definitionis. Potest igitur Notatio inæquata esse definitio, ut partim sit latior, partim angustior. *Animal* ut ζῶον dicitur; *animo* ζωῆς & tamen multa habent ζῶον, quæ non sunt ζῶα. Sic *animal* dicitur ab *anima*. Et tamen multa habent animam (ut universum genus plantarum) quæ tamen non sunt animalia. *Vide Scalig. de plant. p. 669.* ubi addit *Omne animatum est animal, sui quidem causa vel secundùm vocis impositionem, sed usus intercessit rationem.* Sic *Elementa* dicuntur ab alendo, quasi Alimenta. Et tamen multa alunt, quæ Elementa non sunt. Maximè enim alunt mista. Deinde ego 30

sion

stior est. Veluti substantia dicitur a subsistendo. Et nihil est aliqua substantia est, quæ Deus; quæ non subsistit. Et sic in aliis.

31 X. *Unius nominis possunt esse plures notationes.* Homo derivatur ab humo communiter, sicut *Hebræum Adam* ab *Adamah*. Et non mala tamen est notatio, quod *Scaliger* hominem derivat ab ὁμοῦ simul, quia sit animal sociale. Mysterii allusiones antea multæ sunt recitatæ. Et sic in alia.

De Transsumptione.

32 Vox *Transsumptionis* sumpta est ex *Aristot. 2. Top. cap. 2.* ubi mutationem nominis appellat μετονομασίαν ἐκ τοιούτου τοιοῦτον, *Transsumptionem in nomen manifestius*, quibus verbis enim Transsumptionem definit. Transsumptio enim est mutatio nominis obscuri in clarius.

33 *Necessitas loci hujus.* Cæterum quod loci Transsumptionis necessarius sit, apparet, quia hæc axiomata. *Honestum est, quod decet. Philosophus & sapiens idem sunt, &c.* non potuit, hoc dimisso, ex alio loco recte.

34 *Quod Transsumptio rectè conjungatur Notationi.* Rursus, quod locus Transsumptionis recte conjungatur notationi, patet. Nam utrumque explicat quid nominis, sive quia nomen significet. Unde satis apte sub eodem genere (Definitione nominis) continentur. Quinct. *Fonseca lib. 2. Inst. Dial. c. 15.*

35 *Differentia inter Notationem & Transsumptionem.* Differunt autem notatio & transsumptio, quod illa explicet ex sua origine vel impositione; hæc explicet illud per æquipollens γραικῶς ἑρμηνεύειν. Ut *Cilindra* (apud *Plautum*) est idem, quod oculus. *Missa in Augustana* Confessione est idem, quod Cœna Dominica. *Per se subsistere* est non inhærere, ἐντελέχεια *Aristotelis* idem est, quod forma. *Philautus* est idem quod patrimordax. Et ὀστέοσπις est idem, quod medulla. Vide *Aristot. 1 Top. c. 2. sect. 15.*

Transsumptio est etiam in phrasi. Ex quibus colliguntur duo. Alterum est, quod transsumptio sit non solum positio vocis simplicis, juxta vocem simplicem, sed etiam φράσεως, juxta φράσιν. 2. Transsumptionem cum habere locum, in primis, cum vox aliqua obscura est. Cumque obscuritas vocis oriatur vel ex Barbarie, vel ex insolentia, vel ex novitate, vel antiquitate, vel homonymia, sumpta voce vel impropriè, vel latè ἀκυρολογίᾳ, vel imperitia linguæ, vel aliis causis; idcirco in omnibus istis casibus fieri potest Transsumptio.

Transsumptio pro voce insigni accipi vulgarim, non

τὸ μὴ ἐνδοξον λόγου, quicquid inusitatum est, obscurum est, ait Aristoteles 6. Top. cap. 5. Ubi pro ciliumbris, ossiis, &c. Aristoteles reponit oculum, medullam, &c. Auctionis. τὰ τοιαῦτα ἀλόγως ὀνομάζειν ἢ καινὰ ἢ μεταφορὰς διώκειν, ait Scalig. exerc. 88. sect. 2.

Canones Transsumgena, Auctionis.

2. *Pro voce barbara accipit non barbaram.* Barbaries enim facit obscuritatem, sicut Augustinus ait, l. 2. de doctr. Christ. cap. 10. quod non intelligantur, quæ scripta sunt, si non rectè formatis vocibus res obtegantur. Ita obscuritas per vulgarem versionem facta est in Scripturis, quòd verba passivè usurpantur quæ deponentia sunt, ut *promereri* ad Hebr. 13. v. 16. Unde dico per transsumptionem, *promereri* est idem quod *placari*.

3. *Pro voce nova accipit veterem.* Vox nova dicitur, non solùm, quæ de novo fingitur, sed etiam quæ cùm antiqua sit, accipit novam significationem; posteaque comprehendi sub inusitata. Ut *contraria Rama* sunt idem, quod *Aristoteli oppositi*. *America* est idem, quod terra recens demum inventa ab *Americo*. Neque tamen omnes voces novæ obscuræ sunt, multæ enim optimè intelliguntur ex ἀναλογίᾳ ad alias voces. Et hinc optimi auctores quandoque novas voces effingunt. Scalig. exerc. 299. sect. 16. ait se excogitâsse *tantulum*. Ita καινὸν & nova vox est, non inepta nec iniucunda ad tollendam ambiguitatem; *canis cœlestis* à *canibus aquatilibus* & *terrestribus*, ait Scaliger 1. de plant. pag. 278. Et ibid. pag. 169. *Dein hinc vocem (vicissitudinarium) Philosophi, quoad rei ostensionem Latinitas augeatur, tametsi non exiet apud Ciceronianos.*

4. *Transsumptio pro voce antiqua accipit novam.* Antiquam voco, quæ *olim* apud veteres usitata est, Novam autem, quæ adhuc in usu est, talia sunt: *Topper* pro *valde*, *cibus* pro *mensa*, aliáque, quibus hodiè lasciviunt, & luxuriant juniores, sequentes juvenem, qui id faciebat tempore *Gellii*, quémque *Gellius* meritò reprehendit. l. 1. Noct. Att. c. 10.

5. *Pro voce Tropica accipit propriam*, ut *effectum*, (quod dicatur Synecdochicè ab efficiente) est idem, quod productum à causa. Barbarè, Causatum dicitur.

6. *Pro voce Homonyma, accipit carentem homonymiâ.* Ut dico, quæ vox ambigua est, est idem, quod habitus effectivus, seu productivus alicujus operis. Imprimis vox *homonyma* valdè obscura, unde Aristoteles monet, ut caveatur ab ambiguis,

ambiguis, 3. *Rhet. cap. 5. & lib. 6. Top. cap. 2.*

7. *Pro ἀκυρολογίᾳ accipit magis proprium.* Ut *Gratis*, quâ justificamur (quoniam *Pelagius* per ἀκυρολογίαν, dona naturæ appellabat gratiam) est divina misericordia.

8. *Pro voce unius linguæ accipit vocem linguæ alterius.* Ut *Emanuel* est idem, quod *nobiscum Deus*, *Jesus* est idem quod *Salvator*. *Christophorus* est idem, quòd portans *Christum*. *Homo* est idem, quod Mench, &c. In summa, quot modis volumus vocem illustrare, & voces æquipollentes commutare, tot modis fit transsumptio.

Pro coronide est hic adhuc observandum: Definitionem nominis principaliter quidem esse vocum incomplexarum: nihilominùs etiam huc referri debet explicatio phrasium, velut: *Sub lege esse* est idem quod *nondum habere peccatorum remissionem*. *De torrente in via bibere*, est *mortem, aliásque calamitates sustinere*. Vide *Melanchth. l. 1 Dial. p. 87.*

Caput XXVII.

De distinctione Nominis

1. Fuit definitio nominis, sequitur ejus distinctio.

2. Distinctio nominis est enumeratio variarum significationum nominis.

3. Estque solùm in vocibus æquivocis.

4. Vox æquivoca est, quæ prædicatur de pluribus sine communitate essentiæ vel definitionis.

COMMENTARIUS.

1 Hujus capitis intelligentia consistit in quatuor: 1. Ut constituatur, an seorsum agendum sit de distinctione vocis? 2. Quid sit æquivocum? 3. Unde cognoscatur vox esse æquivoca? & 4. Quomodo eius distinctio fieri debeat, quæ posteriora præstabuntur per Canones.

1. *An distinctio vocis faciat peculiare argumentum?*

2 Hâc in re tres sunt sententiæ: 1. Est eorum, qui distinctionem vocis comprehendunt sub distributione, quos sequitur *Fonseca l. 4. Inst. Dial. c. 2. & 7.* Respondeo: Hæc sententia falsa est. Nam distributio est de rebus, non de vocibus. Quemadmodum ergò notatio distinguitur à definitione

Aliqui comprehendunt sub distri-

quarum

quarum illa est quasi nominis definitio, hæc rei definitio: ita etiam distinguitur distinctio nominis à distributione. Confer *Keckerman. Syst. Log. 1. sect. 2. c. 1 p. 213.* Et confirmatur porrò, quod secundùm *Arist. 5 Metaph. c. 26. t. 21.* Totum omne est aliquid unum. At nullum ambiguum est aliquid unum. Unitas enim vocis est ex unitate significationis. At ambiguum multa significat. Denique, cùm resolvitur vox *Gallus* in sua significata, non minùs distinctio nominis est, quàm cùm dividitur aliud ex consilio ambiguum. At hujus distinctio non pertinet ad distributionem. Ergò nec illa. Parium enim eadem est ratio. Ergò secus relinqueretur distinctio nominis adæquata in doctrina de distributione. *butione. Refellun-tur.*

2. Sententia est eorum, qui distinctionem vocis comprehendunt sub notatione, ut fecit *Goclenius in Controv. Log. l. 1 cap. 22. p. 195.* Nihilominùs in contrarium tenendum est, id esse non posse. Nam notatio quasi colligit nomen, indéque appellatur definitio nominis. Distinctio autem resolvit, non colligit. Et amplius confirmatur. Quemadmodum sese habet distributio rei ad definitionem rei, ita etiam distributio sive distinctio nominis ad notationem seu definitionem nominis. Ista autem non comprehenduntur sub eodem. Ergò nec hæc. 3 *Aliqui comprehendunt sub notatione.*

Tertia sententia est eorum, qui peculiare argumentum faciunt, & hæc sententia relinquitur satis confirmata ex dictis. 4 *Sententia autoris.*

2 *Quid sint Homonyma?*

Ὁμώνυμα λέγεσθαι, ὧν, μὲν ὄνομα κοινὸν, λόγος δὲ ἕτερος, inquit *Arist. l. categ. c. 1.* Observandum autem 1. est, vocem Æquivocum bifariam sumi, aliquando sumitur latè, prout comprehendit etiam Analogum. Analogum enim est æquivocum secundùm quid. Secundùm hanc significationem æquivocum est omne illud, quod non ex æquo communicat essentiam iis, de quibus prædicatur. Unde apparet sic duo esse genera æquivocorum. Aliud quod prorsùs non communicat essentiam, aliud, quod communicat quidem, sed non ex æquo. Deinde igitur specialiter sumitur vox Æquivocum prout distinguitur contra Univocum & analogum. Et hâc significatione æquivocum est definitum, ab *Aristot d. l.* Ergò æquivoca sic sunt, quorum nomen quidem commune, ratio verò diversa. Sic & vox *æquivoci* hoc declarat. ὁμώνυμα *Græcis sunt, à nostris appellantur æquivoca rectissimè,* 5 *Æquivocorum duo genera.*

quasi vocis hæreditate æquali rem inæqualem repræsentarent, ait, *Scalig. 4. de C. 1. l. 6. 91.* Æquivoca ergo nomina sunt, verbi gratiâ, cùm aliquid enunciatur de re vera & picta, vel scripta: quomodo de hoc homine dicimus, quòd sit *Cæsar Barbarossa*, & de ejusdem imagine similiter dicimus, est *Cæsar Barbarossa*. Et tamen sub hoc nomine non significatur communis essentia reperta in *Cæsare*, & ejus imagine. Sic *Gallus* est æquivocum ad significandum animal domesticum & ad significandum populum *Franciæ*, ubi similiter vox *Galli* non significat communem essentiam, quam habeant hi & isti. Sic etiam *jus* est æquivocum, quod significat tum leges, tum etiam jusculum.

6 *Ambiguorum divisio.*

Cæterum, ambigua sunt duorum generum, ut Sumitur ex *Aristot. 1. Top. c. 15. 1. Eth c 6.* aliisque locis. Alia sunt ambigua casu, alia consilio. *Ambigua casu* dicuntur ista, quæ ad plures res significandas posita sunt, propter nullam similitudinem aut dependentiam rerum, aliudve, unde moti sint impositores, cur uni rei diversas significationes tribuerent, sed quæ prorsùs habeat diversas significationes præter intentionem impositionis. Tales sunt voces *Galli*, & juris prius positæ. *Ex consilio* autem dicuntur *ambigua*, quorum ratio dari potest, cur res diversas significent. Sic vocabulum *Dei* significat & *Jehovam*, & Magistratum, ambigue, sumptâ occasione ex officio Magistratûs, quo, loco Dei funguntur. Sic *Cor* significat, & partem quandam animalis, & medium arboris, marisve, sumptâ similitudine à situ cordis, quem habet in parte mediâ animalis. Sic quia *fratrum* debet esse mutuus affectus & charitas, hinc per similitudinem fratres dicuntur æquivocè etiam alii, ut fratres alii sint gente, ut *Judæi*, alii qualicunque cognatione, quomodo fratres sunt etiam pater & filius, avus & nepos. *Vid. Gen. 25. v 15. & c. 31. v 32.* aliisque affectu spirituali. Vide *Hieron. ad Helvid.* Sic *filius* aliquando idem est, quod puer, ut *1. Sam. 13.* Filius unius anni *Saul*. Aliquando est soboles. Vide *Perer. in Genes. c. 34. n. 10. Voluntas* aliquando sumitur pro potentia volendi, aliquando pro actu. Secundum modum dependentiæ, id est ambiguum. Et sic in aliis.

II. Unde cognoscatur homonymia?

7 Homonymiæ cognoscendæ varias regulas tradit *Aristot. 1. Top. c. 15.* aliisque locis, potestque in genere homonymia cognosci, si ad vocem aliquam applicetur definitio aut proprietas homony-

homonymorum. Sed videamus pauca *Aristotelis*.

1. *Quod contrariis rebus opponitur, homonymum est.* Est 1. *Top. c. 15. §. 3.* Ubi probat *acutum* esse ambiguum, quia acutum aliquando opponitur gravi, aliquando obtuso: Τῷ ὀξεῖ ἐν φωνῇ ἀμβλὺ σάφηνον τὸ ταχύ, ἐν ὄγκῳ δ τὸ ἀμβλύ Ibi significat vocem, hic magnitudinem. Ergò acutum est ambiguum. Est autem observandum, si aliquando opposita alicujus rei quantùm ad vocem eadem sint, an fortasse differant in specie. Etsi hoc sit, adhuc est ambigua prior vox. Veluti candidum opponitur fusco. Sed fuscum potest significare colorem fuscum, & etiam vocem fuscam, unde sic adhuc candidum est ambiguum, quia rebus diversis specie (voci fuscæ, & colori fusco) opponitur. 8

2. *Si alicui uno modo aliquid contrarium sit, alio non, est ambiguum.* Sic voluptas, quæ ex potu percipitur, contrarium habet dolorem, qui est in siti. At voluptas, quam concipimus ex eo, quòd intelligimus, non esse communem mensuram diametri, & lateris, nihil habet contrarium. Ergò voluptas ambigue de his dicitur. Vide *Arist. 1. Top. cap. 15. §. 5.* 9

3. *Si quorundam est aliquod medium, aliorum verò nihil: vel amborum quidem est medium, non tamen idem, homonyma sunt.* Sic candidum & fuscum homonyma sunt, quia aliquando medium eorum est pallidum (quando scilicet colores significant) aliquando autem vel nullum est, vel est raucum quando scilicet voces significant, *§. 6. ibid.* 10

4. *Si aliàs quidem plura media habeat, aliàs pauciora, homonymia est, § 7. 16.* ibi veluti candidum & fuscum habent, aliquando media multa, cùm de coloribus intelliguntur: Multi enim sunt colores medii. At unum solùm medium habent, cùm intelliguntur de voce, vocem scilicet raucam. 11

5. *Si contradicentium unum multis modis dicitur, etiam multis modis dicitur alterum.* Est *ibid. Sect. 8.* Veluti, si *Ens* intelligitur de eo, quòd excellentissimo modo Entitatem habeat, ut sunt substantiæ, alio modo de eo, quòd qualemcunq; Entitatem habeat positivam: Etiam *non ens* aliquando dicetur, quòd non est excellenter Ens, quomodo accidens est non ens; & aliquando dicetur, quòd non est aliquid positivum, quomodo privatio est non ens. 12

6. *Si unum privantium est ambiguum, etiam alterum est ambiguum, ibid. sect. 9.* Veluti si vigilare aliquando significat 13

attentionem & alacritatem animi, & aliquando intelligitur de solutione sensuum Physicorum: etiam dormire aliquando erit idem quod in cautum & inconsideratum esse, & aliquando idem erit, quod alicui ligatos esse sensus externos.

14 7. *Conjugatorum unum quot modis dicitur, tot modis dicitur & alterum*, §. 10. *ibid.* Veluti, si fortitudo aliquando significat robur corporis, aliquando habitum animi in perferendis & adeundis terribilibus. Etiam fortis aliquando idem erit, quod robustus, aliquando autem erit, quod prudenter aggrediens & perferens terribilia.

15 8. *Cujus significata non sunt ejusdem generis, id est homonymum*, §. 21. *ibid.* Veluti, quia cancer aliquid significat, cujus genus est substantia, & aliquid cujus genus est qualitas, ibi animal ἀμφίβιον, hic morbum; idcircò cancer est aliquid ambiguum.

16 9. *De homonymia sumitur iudicium ex compositâ definitione.* Veluti, si scire velim, an candidum dicatur æquivocè, de candido colore, & candidâ voce. Sumo definitionem utriusque. Ergò candidum corpus est, quod habet album colorem, candida vox est, quæ facilè exauditur. Igitur in tali processu, si aufertur quod cuique proprium est, ut hic est vox & color; tum remanere debet eadem definitio, si vox sit Synonyma. Si verò vox sit Homonyma istis ablatis non manet eadem definitio. Vide *Aristot. ibid. Sect.* 14.

17 10. *Homonymum est, quod diversorum generum differentia est.* Si acutum est differentia & soni & saporis, & magnitudinis. Ergò acutum dicitur ὁμωνύμως *Sect.* 17.

18 11. *Quod per diversas differentias dividitur, homonymum est*, *Sect.* 17. Et ratio est, quia generum diversorum diversæ sunt differentiæ. Vid. *l. Categ. c.* 3.

19 12. *Quæ æquivoca sunt, non conveniunt in eadem definitione.* Hoc sumitur ex nomine æquivoci, prout id suprà explicatum est ex *Scaliger.* Et habetur etiam in definitione æquivocorum, *l. Categ. c.* 1. & reperitur 6. *Top. c.* 10. Intelligitur autem talis definitio, quæ istas res distinctas uniat in hoc nomine, quod communiter utrique attribuitur. Nam æquivoca alioquin in aliquo remoto genere & definitione convenire possunt, veluti canis cœlestis & terrestris in eadem ratione corporis. At non conveniunt in eadem ratione canis.

13. *Quod aliquando totum, aliquando partem significat,*
20 *est ambiguum:* Sic corpus est ambiguum, quia aliquando

sumitur

sumitur ad modum partis, cùm dicimus hominem constare animâ & corpore, aliquando verò sumitur ad modum totius, cùm hominem dicimus est corpus (naturale, vel Physicum.)

14. *Quod aliquando significat causam, aliquando effectum, est ambiguum.* Ita ambiguè dicitur voluntas, quia aliquando significat ipsam animam volentem, aliquando relationem. 21

15. *Quod aliquando sumitur latiùs, aliquando angustiùs, est ambiguum.* Veluti *Ens* aliquando latiùs sumitur, ut comprehendat etiam negationes, aliquando strictiùs, ut eas excludat. Ergò est ambiguum. 23

16. *Quod aliquando sumitur absolutè, aliquando relatè, est ambiguum.* Ita ambiguè sumitur Deus, quia aliquando sumitur absolutè, ut *Deus est unus.* Aliquando sumitur relatè, ut *pluit Deus à Deo*, hoc est pater à filio. Sic *par* est ambiguum, quod aliquando sumitur absolutè, cùm est differentia numeri, aliquando relatè, cùm est species comparatorum. 14

17. *Quod prædicatur de uno propriè, de alio per Tropum, id est ambiguum.* Veluti lupus: qui prædicatur propriè de hoste ovium, & de tyrannis impropriè. 25

18. *Quod prædicatur de re, & eius imagine, scriptâ, pictâ, sumptâ, id est ambiguum.* Ut indicat *Arist. lib. Categ. cap* 1. Adeò in summa nihil est, quod non sit ambiguum, ut rectè dicit D. *Augustin. de princi Dial. c.* 9. 26

IV. Quomodo fieri debeat distinctio ambigui?

In genere dico: Distinctionem ambigui fieri recensendo significata illius vocis, Cæterùm hac in re sunt aliquæ cautelæ tenendæ. 27

1. *In plena tractatione nunquam omittenda est vocis distinctio:* Τὰ δὲ τῆς ἀσαφοῦς εἰδωλοποιητέον δέ τι τὸ ῥῆμα. Ambiguum enim mater erroris est, & multiplicis obscuritatis, apud *Arist. 6. Top. c.* 2. §. 1. Et inde *Aristot. 3 Rhet c.* 5. monet, cavendum esse ambiguis, atque, ambiguè loqui eos, qui nihil habent, quod dicant, & simulant aliquid dicere, ut sunt ariolì, qui ambiguè annunt, ut: 28

Cræsus Halym penetrans magnam per verti opum v m.

An tamen resolutio ambiguitatis fiat ante definitionem, an verò ei postponatur, & in commentario ad definitum explicetur, perinde esse existimo.

2. *Accurata distinctio non omittat aliquam vocis significationem.* 29

cationem. Hæc enim in re distinctio æquiparatur distributioni, quæ debet adæquata esse. Quanquam pro instituto aliquando sufficiat, aliquas saltem principales enumerare. Solet autem aliquando illa particularitas significationum significari per voces restrictivas, ut quòd velimus enumerare significationes alicujus vocis *Logicas*, vel *Philosophicas* in genere, vel *Theologicas*, vel *Medicas*, vel *Juridicas*, & sic deinceps.

30 3. *Distinctio non recenseat significationem, quæ nusquam reperiatur.* Ita malè *Calviniani* dicunt: *Mundum* aliquando sumi pro ædificio, aliquando pro reprobis, aliquando *pro electis.* Nam pro electis nunquam sumitur in Scripturis. Item Pontificii: *Ignem* aliquando sumi pro igne fornacis, aliquando pro igne tentationis, aliquando pro *purgatorio.* Sic enim nusquam sumitur in Scripturis.

31 4. *Distinctio vocis non est nisi eà, quæ est ambigui.* Nam univoci non tam distinctio, quàm divisio aut distributio, aut partitio est.

32 5. *Distinctio vocis non multiplicet significationes præter necessitatem.* Ita malè dicitur, *vivum* ambiguè dici, & prædicari vel de argento, vel de aqua, vel de rebus animatis. Nam de aqua & argento dicitur secundùm unam significationem, secundùm quod videlicet dicimus, vivum illud, quod assimilatur rei vivæ per motum. Ex quo apparet, adæquatum fundamentum in multiplicanda distinctione vocis, esse diversitatem significationum in vocibus.

33 Pro coronide nunc est observandum Nomen, quod dicitur distinguendum, continere etiam integras sententias. Unde *Aristot. 3. Rhet. cap. 5.* etiam ambiguam dicit propositionem hanc:

Distinctio vocum continet etiam Phrasium distinctiones.

Cræsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.

Igitur ad distinctionem nominis pertinet etiam harum ambiguarum sententiarum evolutiones, veluti superius axioma potest significare duo, vel quòd *suas*, vel quòd *hostis* opes *Cræsus* sit perditurus.

Caput XXVIII
De Toto & Partibus.

1 Hactenus fuit de argumentis nominalibus, sequitur de realibus.

2. Inter

2. Inter hæc primò est totum & partes.

3. *Totum* est, quod habet partes. *Ut Homo.*

4. *Pars* est, quæ habetur à toto. *Ut caput.*

5. Totum est vel primarium, vel secundarium.

6. Primarium est, quod suâ naturâ totum est.

7. Tale est totum essentiale, & integrale, & universale.

8 *I.* Totum *essentiale* est, cujus partes totam essentiam constituunt.

9. Partes hujus totius sunt materia & forma, genus & differentia. *Ergò sic hominis partes sunt, anima & corpus; animalitas, & rationalitas.*

10. II. Totum *integrale* est, quod integratur à partibus.

11. Ergò partes totius integralis sunt partes materiæ. *Ut cor, caput, brachia in homine.*

12. Hoc totum 1. est vel similiare, seu homogeneum, vel dissimilare seu heterogenerum.

13. Similare est, cujus partes sunt ejusdem essentiæ. Tale totum est *aqua*, *vinum*, *sanguis*, quorum partes sunt, guttula hæc, & ista, & ista.

14. Dissimilare est cuius partes sunt diversæ essentiæ. Tale totum est *animal*, cujus partes sunt pedes, brachia, caput.

15. 2. Aliter totum est per se, vel per accidens.

16. Totum per se est, cujus partes continentur ab una forma totius. Tale totum est *animal*, cujus partes continentur eâdem formâ, nempe animâ sensitivâ.

17. Totum per accidens est, cujus partes continentur formis peculiaribus, & solùm aggregantur ad unum. Tale totum est *Mundus*, *Respublica*, *Collegium*.

18. Partes autem materiæ (sive totius integralis) sunt principales, vel minùs principales.

19. Principales sunt, quibus ablatis tollitur esse totius, *Ut sunt cor, & caput in homine.*

20. Minùs principales sunt, quibus ablatis esse totius remanet. Talis pars est *digitus*, *vel pes*, *vel manus*.

21. III. Totum *universale* est idem, quod Genus.

22. *Genus* est, quòd de pluribus differentibus essentialiter prædicatur, in quid, non converstm. *Ut animal* genus est hominis.

23. Partes generi oppositæ sunt *species*.

24. Species est pars generi subjecta. Sic homo est species animalis.

25. Genus 1. est *generalissimum, vel subalternum.*

26. Generalissimum genus est, supra quod non est genus, ut ut substantia, quantitas, &c.

27. Subalternum est, quod supra se habet genus aliud. Sic animal est genus subalternum. Est enim genus hominis, & supra se habet aliud genus, nempe corpus naturale.

28. Species autem est specialissima, vel subalterna.

29. Species specialissima est, quæ infra se habet speciem. Tale quid hic dicimus *individuum.*

30. Species subalterna est, quæ infra se habet speciem, ut animal est species corporis naturalis, sed infra se habet aliam speciem, veluti bestiam.

31. 2. Genus est *remotum vel propinquum.*

32. Remotum est, intra quod & speciem intervenit genus aliud. Ita remotum genus avis est animal, quia aliud genus intervenit, nempe bestia.

33. Propinquum est, intra quod & speciem nullum genus mediat. Ut bestia propinquum genus avis est, animal hominis. Et sic deinceps.

34 3. Genus est *univocum, vel analogum.*

35. Genus univocum est, quod ex æquo essentiam suam communicat speciei.

36. Genus analogum est, quod uni per posteriùs, alteri per priùs essentiam suam communicat. Dicitur aliàs πρὸς ἓν ἢ ἀφ' ἑνός ab uno ad unum. Ut Ens ad Substantiam & Accidens.

37. Secundarium totum est, quod suâ naturâ non est totum, sed solùm in quantum distribuitur; sic subjectum est totum, cum distribuitur per accidentia. De quo & aliis erit in doctrina de distributione.

COMMENTARIUS.

Antequam locum totius & partium explicem, præmittam quasi præfationis loco necessariam quæstionem,

Ubi in Logicis agi debeat de toto & partibus?

1 *Referuntur variæ sententiæ*

Hac in re invenio tres opiniones: I. Est eorum, qui de toto & partibus agunt inter argumenta prima. Ita fecit *Scribonius, Keckermannus in Systema Log: Goclenius in Instit. Log* cujus etiam Methodus *in part.* 1. *Problema* idem videtur insinuare. II. Est eorum, qui de toto & partibus non agunt seorsim à distributione, sed huius & istius doctrinam commiscent. Et

hoc

hoc vulgò fecerunt *Ramæi*. Vide *Downam. cap. 26. lib. 1. Comm. Dial. fol. 399.* III. Est eorum, qui quidem agnoscunt totum & partes, esse terminos ortos, sed tamen distinctim istos locos tradunt, non autem commiscent cum distributione.

Hâc in re tres statuo propositiones: I. *Totum & partes malè referuntur ad argumenta prima.* Id patet evidentissimè inde, quòd isti termini & denominationem aliunde, & vim arguendi habent. Nam, verbi gratiâ, totum essentiale sumitur ex materia & forma, & quæ dicuntur partes essentiales, æquè arguunt ac ipsa materia & forma. Et idem est de toto integrali, cujus partes sunt partes materiæ, & hinc perinde arguunt, ut materia ipsa. Denique patet de toto universali. Nam id est, veluti materia, vel Symbolum materiæ, Logicè loquendo. Idem autem est etiam in toto secundario. Nam totum secundarium sumitur ex efficiente & fine, subjecto & adjuncto. Et itidem habent eandem arguendi vim, quam etiam habent priora. 2 *Sententia authoris*

Objectiones contra hanc sententiam non video speciosas. 3

II. *Totum & partes malè immiscentur distributioni.* Hæc propositio est contra *Ramæos*. Et sequitur communem sententiam *Aristotelicorum*, quibus locus totius & partium diversus est à loco distributionis. Et confirmatur exemplis axiomaticis, veluti: *Homo est animal: Logica est ars: Inventio est pars Dialecticæ: Cor complet & integrat corpus animalis.* Hic disponitur pars cum toto, nempe species cum genere, & totum integrale cum parte integrali. At nemo dicit esse hic dispositam distributionem cum distributo. Et confirmatur, quòd axioma ex distributione debet omnes partes complicare. Sicut enim non est axioma ex definitione, ubi pars definitionis, veluti Genus, (ut *Homo est animal*) aut differentia (ut *Homo est rationalis*) enunciatur de definito, sed ubi de eo enunciatur pars utraque (veluti, *Homo est animal rationale.*) Ita etiam est ex distributione axioma, non, cùm alterutra pars de toto enunciatur, sed cùm pars utraque. 4

III. *Doctrina totius & partium rectè proponitur inter argumenta orta seorsim, & aute distributionem.* Hic tria dico: 1. Quòd rectè doceantur inter argumenta orta. Hoc sequitur ad primam propositionem. 2. Quòd rectè doceantur 5

seorsim

seorsum à distributione. Hoc sequitur ad secundam propositionem. 3. Quòd rectè doceantur ante distributionem. Hoc patet, quia totum & pars referuntur ad distributionem, ut ejus materia. At materia est prior materiato.

II. De voce totius & partium.

Voces totius & partium ambiguæ sunt. Indéque significationes eorum aliquas recenset *Aristot. lib. 5. Metaph. 25. 26.* Colligam in summa. *I.* Totum aliquando idem est, quod perfectum, sicut *Aristot. in 3. Phys. c. 6. t. 64.* ὅλον καὶ τὸ τέλειον ἢ τὸ αὐτὸ πάμπαν ἢ συνεγγὺς τῇ φύσει ἔχει. *totum & perfectum, aut idem penitus, aut naturam finitimam habent.* Quanquam alium sensum id habere possit. Vide & *Scal. 1. de plant. pag. 107.* Et totum sic non opponitur partibus, sed imperfecto. Ita Deus dicitur ὅλως ὅλον τι, aliquid totaliter totum. Comprehenditur sub hac significatione ista, quâ totum opponitur dimidio, vel dimidiato, item mutilo & manco. Nam esse dimidium vel mutilum, comparativè ad totum, imperfectionis est. Quod autem mutilum sit, & quas habeat conditiones, vide apud *Aristot. lib. 5. Metaph. cap. 27.* & *Scalig. exerc. 140. pag. 470.* Totum igitur sic non dicitur respectu partium. Et proinde etiam non dicitur simpliciter totum, sed *totum suum*, apud *Scalig. 5. de C. ling. Lat. cap. 110 pag. 285.* Quatenus autem totum partibus opponitur, Sic tres habet significationes alias. Igitur *II.* totum sumitur latissimè, quatenus omne illud totum dicitur, quod distribuitur, sive aliàs totum sit, sive non. Ita enim efficiens est totum, & effectum, & subjectum, & adjunctum. Nam hæc omnia distribui possunt. Veluti Planetarum alius calefacit, alius frigefacit, alius humectat, Hic Planetæ sunt totum distributum. Et tamen nunc sumuntur etiam, ut causæ efficientes. Sic hominum alii sunt rudes, alii docti. Hic homo subjectum est, & tamen totum dicitur, secundùm quòd eorum distincta attributa hominem dividunt. *Aristotelicis* hoc eorum dictum totum per accidens. Vide *Fonsecam lib. 4. Instit. Log. cap. 7.* *III.* Strictè sumitur totum, & intelligitur de toto ex causis, quod vocant, hoc est, de toto essentiali, & integrali. Sic *Aristotelici* distributionem totius distinguunt à distributione generis; & hoc sensu vulgò dicitur. *Partes esse priores toto.* Vide *Perer lib. 3. c. 6.* & *Zabar. 2. De N. L. cap. 2.* Et *Scalig. de C. ling. Lat. cap. 2. Ordiendum est*, inquit hic, *à partibus, sunt enim causæ totius.* *IV.* Accipitur latiùs pro eo, quod quasi

secundùm

secundùm naturam suam destinatur ad esse alterius, vel alia destinantur ad esse illius. Et sic totum comprehendit hæc tria: Totum *essentiale*, *integrale*, & *universale*. Hoc totum diximus totum *primarium*.

Atque idem proportionaliter est dicendum de *parte*, quoad tres posteriores significationes. Solum teneatur præterea, vocē partis frequenter usurpari pro parte integrali vel quantitate. Quo sensu dicitur, formas non esse partibiles, vel non habere partes. Sensus enim est, quod eis non conveniant partes quantitativæ. Cùm enim spiritualia Entia sint, & non corporea, non convenit eis extensio: adeoque nec integralis pars, quæ extensionem præsupponit. 7 *De voce Partis.*

De totius definitione. 8

Totum est, quod habet partes: Definitur nunc totum respectu partium. Unde secundùm præsentem considerationem, Deus non potest dici totum nec in genere, totum perfectionis hæc pertinet. *Totum non est totum demptis partibus. Imò ne est quidem*, ait *Scalig. 1. de plant. p. 186.* Est autem totum nunc intelligendum (ante divisionem in primarium & secundarium) latissimè. Et proinde nunc totum dicimus, quod resolvi potest per distributionem. Illud tamen dicitur totum primariò, quod naturâ suâ totum est. Id autem natu â suâ totum esse cognoscitur, quod ad partem distribuentem etiam seorsim, & sine conjunctione ad partem aliam, adhuc habet ὄνομα totius; quod autem eam non habet, sed secundariò totum est. Exempli gratiâ. Efficiens quatenus distribuitur per diversos effectus, totum est. Veluti planetarum alii frigefaciunt, alii calefaciunt. Hic planeta est aliquid totum, quia distribuitur: Sed est totum secundarium, quia si seorsim prædicetur calefacere, de aliquo planeta, non erit dispositio totius & partium, sed efficientis & effecti, sic hominum alii sunt docti, alii rudes. Hic homo est totum, quia distribuitur, sed est totum secundarium. Nam si præcisè alterum membrum distribuens jungatur cum toto, (Veluti homo est rudis) non est dispositio totius & partis, sed alia, nempe subjecti, & adjuncti. At id secus est in toto essentiali, integrali, & universali. Nam hæc præcisâ distributione, adhuc habent ὄνομα totius, ad quamlibet partem suam seorsim.

IV. De toto essentiali.

Totum *essentiale* promiscuè dici potest in respectu ad partem, 9

tem, quæ quomodocunque essentialis est. Unde sic totum integrale etiam dici potest essentiale. Nam hujus partes etiam essentiales sunt illi. Sunt enim partes materiæ. At pars materiæ essentialis est, hoc est, essentiam constituit, eo ipso, quia materiæ (quæ essentialis est materiato) pars est. Nihilominus specialiter essentiale dicitur, in respectu ad utramque partem essentialem, hoc est, materiam & formam. Unde sic totum essentiale ab integrali distinguitur, quia hoc dicitur solùm in respectu ad materiam, sive partes materiæ.

10 *Essentiale totum duplex.*

Cæterùm totum essentiale duplex est, unde aliud vocant Physicum, aliud Metaphysicum & Logicum. Vide *Scalig. lib. 1. Poet. cap. 9.* Totum Physicum dicitur respectu materiæ & formæ. Totum Metaphysicum vel Logicum dicitur respectu generis & differentiæ. Unde tale totum est quævis species respectu prædictarum partium, cùm res constant è materia & formâ, vel iis, quæ proportione respondent materiæ & formæ; Igitur quemadmodum statua ex ære tanquam materiâ, & figurâ tanquam formâ, ita etiam homo constat ex genere, quod proportione respondet materiæ, & differentiâ, quæ formæ, ait *Porphyrius Isag. cap 3. Sect. 17.*

11

Estque ratio appellationis hæc, quòd illud dicitur *Physicum*, quia seorsim in naturâ, præcisâ omni mentis operatione, distinguuntur partes totius Physici. At id non est in altero. Nam genus & differentia non distinguuntur in natura præcisè, sed accedente abstractione mentis.

12

Notandum hic, ista nomina aliquando commutari. Sic dicimus, formam Metaphysicam & genus Physicum. Et tum per formam Metaphysicam intelligitur differentia, per genus Physicum intelligitur materia. Ac propter utrumque quidem totum diversa etiam exempla posita sunt in Theorematibus.

Circa hanc doctrinam aliquæ quæstiones sunt enodandæ.

13

I. *An materia rectè dicatur pars essentialis?*

Hac in re variant Philosophi. *Avicenna 5. Metaph. cap. 4.* affirmat. Eúmque sequuntur plurimi. *Averroes 7. Metaph. com. 21 & 34.* negat, qui etiam multos habet assecl as. Dicúntque hi materiam solùm esse subjectum, vel vehiculum & sustentaculum essentiæ.

14 *Materia.*

Hac in re existimo: *Materiam non esse partem essentiæ, quatenus essentia sumitur pro forma, sed esse ejus subjectum.*

Hic

Hic ſuppono ambiguitatem in voce eſſentiæ. Igitur ſicut forma aliquando ſumitur pro altera parte corporis, quæ unitur materiæ, (vocatur aliàs forma partis) quomodo forma hominis eſt anima rationalis; & aliquando pro aliquo quaſi complexo ex materia & formâ, (vocatur forma totius) quomodo forma hominis eſt homoneitas vel humanitas; ita etiam aliquando eſſentia ſignificat formam totius, aliquando formam partis. Ergò quatenus eſſentia ſignificant formam partis (h. e. formam, quę altera, à materia contradiſtincta, pars eſt compoſiti) ſic materia non eſt pars eſſentiæ, hoc eſt, formæ. Hac in re nihil eſt dubium. Communiter enim docetur; materiam eſſe ſubjectum formæ. Subjectum autem propriè non eſt pars adjuncti. Quando autem eſſentiæ vox non ſumitur pro forma tunc dico. *quomodo non ſit pars eſſentiæ.*

II. *Materia eſt pars eſſentiæ.* Hujus propoſitionis non eſt hic ſenſus, quaſi cujuſque eſſentiæ pars ſit materia. (Multa enim ſunt Entia, quæ materiam non habent) ſed materia eſt pars eſſentiæ, in iis ſcilicet Entibus, quæ materiam habent. Hoc eſt, in rebus materialibus non eſt materia, ut aliquid rei materiali extrinſecum, ſed, ut aliquid intrinſecum. Tùm eſt advertendum, ſermonem nunc eſſe de materia, quæ *ex qua* dicitur. Secus enim eſt de materia *circa quam*, & materiâ *in qua*. 15 *Explicatur propoſitio.*

Igitur iſta propoſitio nunc probatur: 1. Materia ponitur in definitione corporum. Ergo etiam pertinet ad eorum eſſentiam. Conſequentia firma eſt, quia definitio eſt λόγος ἐσσίας. Et confirmatur; quòd ſecùs definitio ſubſtantiarum eſſet etiam ἐκ προθέσεως, hoc eſt, per additamentum, ſicut & accidentium. At hoc peculiariter convenit accidentibus. Antecedens patet, tum generaliter, quòd corpus definitur ſubſtantia ex materia & formâ conſtans, tùm ſpecialiter quòd verbi gratiâ, homo definitur animal rationale. Animal enim non eſt ſola forma ſive anima ſenſitiva, ſed eſt habens animam. Et proinde connotat animal & materiam & formam. Sic *Auguſt. lib. 19. de civ. Dei, cap. 3.* commendat *Varronem*, quòd hominem nec animam ſolam, nec ſolum corpus eſſe arbitrabatur. Vide *Thom. 1. par. q. 75. a. 4.* 16 *Probatur.*

2. Sicut ſe habet genus in toto Metaphyſico, ita etiam ſe habet materia in toto Phyſico. At iſtud iſti eſt eſſentiale. Cur igitur hæc huic non eſt eſſentialis? 17

3. Rei proprietates non ſumuntur aliunde, quàm ab illius eſſentia, 18

essentia. At hæ sumuntur in corpore etiam à materiâ. Ergò materia est corpori essentialis. Assumptum patet de quantitate, localitate, corruptibilitate, raritate, densitate, asperitate, levitate, aliisq;.

19 *Retexuntur objectiones.*

Objectiones contra hanc sententiam variæ sunt: objiciuntur variis locis ex *Aristotele*, quibus *Aristoteles* dicit: formam esse χόρον τῆς ὕλης, τόπον εἶδος (Vide 1. *Metaph. cap.* 7. & 7. *Metaph. cap.* 12. locisque aliis.

Igitur *Pererius lib. 8. Phil. Nat. cap.* 7. existimat omnino *Aristotelem* existimare solam formam esse essentiam corporis. Quod si ita est, erravit *Aristoteles*. Quanquam melius respondetur pro *Aristotele* quòd scilicet formam dicat quidditatem & essentiam, quia potissima ejus pars est. Confer *Suarez in Metaph. disp.* 36. *s.* 13.

20 2 *Objectio:* Si materia esset pars essentiæ, tum etiam per eam distinguerentur corpora ad invicem. Nam essentia est principium distinctivum. At istud est absurdum. Nam actus est separate & distinguere. Materia enim non actus, sed potentia est. *Resp.* Ad propositionem eam negando. Unde esse principium distinctivum non convenire cuilibet parti essentiæ sed solum parti formali. Pro quo advertendum est, quòd materia solùm referatur ad essentiam, ut essentiæ inchoatio, & quasi primum fundamentum. Completur autem essentia hæc ultimò per formam. Et sic ultimus terminus in essentia est forma. Ex quibus distinctis materiæ & formæ officiis apparet, utramque quidem ad essentiam pertinere. Sed tamen hanc solùm distinguere.

21 3 Si materia esset pars essentiæ, tum res eadem numero haberet etiam eandem numero materiam. At hoc non est. Nã in sene non est eadem numero materia, quæ præextiterit in se juvene, Calor enim consumit priorem materiam, & per nutritionem aggeneratur materia alia. *Resp.* In juvene & sene (qui idem numero est in utraque ætate) esse etiam eandem numero materiam. Censetur autem eadem numero materia esse, etiam ea. quæ vel paulatim imminuta, vel etiam aucta est. Et recogitandum est, quòd materia neque sola, neque principaliter pertineat ad essentiam. Unde res remanebit eadem numero si principalis essentiæ pars eadem numero permanserit, etsi materiæ priori, etiam alio æquivalens reponatur. Unde censetur idem numero pallium esse etiam illud, in quo (nisi facta sit totalis dissolutio) exemptis vel attritis partibus

ribus reponuntur centones, ut nihil de prima illius materia sit superstes.

II. An quod est totum Metaphysicum, sit etiam totum Physicum?

Inprimis, extra dubium est totum Metaphysicum, & Physicum formaliter differre. Neque enim idem per utrumque significatur, ut patet. Est autem solum quæstio de convenientia materiali, sive in re substrata, quam vocant, & sic sensus quæstionis est: *An omnis ea res, quæ habet genus & differentiam* (hoc enim est totum Metaphysicum) *habeat etiam materiam & formam* (hoc enim est totum Physicum.) 22

Igitur affirmatio quæstionis videtur vera esse, 1. quod materia & genus idem sunt. Et idem est de forma & differentia. Unde materiam appellamus genus Physicum Et differentiam appellamus formam Metaphysicam. 2. Quod habet genus & differentiam, id est compositum. At quod est compositum, vulgo dicitur habere materiam & formam. 23

Nihilominus contraria sententia magis probatur. Nam entia spiritualia sive immaterialia (ut Angeli) habent genus & differentiam. Et sic sunt totum quoddam Metaphysicum. Et tamen non habent materiam (sunt enim immaterialia) & formam. Et per hoc non sunt totum Physicum. Ergo aliquid est Metaphysicè totum, quod Physicè totum non est.

Ad *primum* argumentum respondeo: esse inter genus & materiam; formam item & differentiam, quandam analogiam & proportionem, ut *Porphyr. in Isag. cap. de diff. & Aristot. 10. Met.* docet. Et hæc similitudo facit, ut non solum nomina commutentur. h. e. ut genus pro materia, & forma pro differentia sumatur, sed etiam ut aliquando autores dicant, materiam esse genus, & differentiam esse formam eo modo, quo homo bulla, aut vita hominis fumus dicitur, utrumque non per identitatem essentialem, sed accidentalem, hoc est, similitudinem. Alias enim multum differunt genus & materia, & consequenter etiam forma & differentia, ut post *Averroem 1. Met. cap. 17. & Alexandrum lib. 2. Nat. qq. cap. ult.* docent *Zabar. 2 de prim. mat. cap. 18. & Pererii lib. 5. Phil. Nat. cap. 17.* Differunt autem genus & materia: 1. Quod genus prædicatur in quid de multis, ac non sic de materia. *Deinde*, materiæ communitas est ad plures formas. At generis ad plures species vel differentias. 3. Illius communitas 24

est,

est, præciso omni opere intellectûs. At in genere conveniunt res plures non nisi per mentis abstractionem. Et sic deinceps.

Ad *posterius* dico: Omne compositum habere materiam
26 & formam, ἀναλόγως scilicet & per similitudinem. Sicut enim materia & forma sunt termini componentes, prout unum actûs, alterum potestatis rationem habet; ita omnes alii termini componentes, quatenus scilicet alter eorum actûs, alter potentiæ rationem habet. Et sic, quia genus & differentia, esse & essentia, actus & potentia termini componentes sunt, idcircò alter eorum ἀναλόγως, sive per similitudinem potest dici forma, alter materia. Propriè tamen non omne compositum habet materiam & formam. Est enim aliquod compositum, quod Ens immateriale, (& proinde carens materiâ) ut Angelus.

V. De toto integro & integrali.

27 Integrum bifariam dicitur. Aliquando integrum opponitur manco & mutilo. Sic corona integra est, carens nulla sui parte. Et hinc per Metaphoram refertur ad animam. Et tunc integritas significat candorem animi. Aliquando autem integrum opponitur parti materiali. Et sic homo est aliquid integrum, pes autem pars est. Atque hic nihil refert, an habeat partes omnes, an aliquas. Nam homo carens pede, adhuc tamen est totum integrum vel integrale, seu quod idem est totû habens partes materiales.

Interum ambignè dicitur.

28 Ultra has significationes *Ramus lib.* 1. *Dial. cap* 26. Integrum extendit, & sub eo comprehendit etiam totum essentiale. Atque adeò in universum omne illud totum, vocat integrum, cujus partes sunt causæ. Alii tamen à toto essentiali integrale distinguunt. Hâc in re hoc inprimis farendum est, quòd modus arguendi sit idem in toto integrali & essentiali, ut agnoscit etiam *Fonseca lib.* 7. *Inst. Dial. cap.* 17. Et tamen differentia istorum apud Philosophos ista, quòd totum essentiale dicunt præcisè, respectu materiæ & formæ, veluti hominem respectu animæ & corporis. At integrale dicunt respectu partium materiæ, veluti hominem respectu capitis pedum, &c. Dicitur autem integrale totum esse solum respectu materiæ, non quasi forma excludatur à partibus integralibus. (Nam in capite & pedibus, & aliis hominis partibus utrique intelligitur etiam anima) sed quòd nunc seorsum non exprimamus formam in hoc toto, quod integrale dicimus.

Totum essentiale & integrale quomodo differant.

Rursus

Rursus est observandum, cùm partes totius integralis dicuntur partes materiæ, per materiam non intelligi eam tolùm, quæ famosissimè talis est, hoc est, materiam substantiarum, sed omninò etiam nunc materiam dicimus quæ primariò vel secundariò est materia ex qua. Et sic, quia artium materiæ sunt eorum præcepta. Idcircò quæ divisio eorum est secundùm præcepta, ea est per partes integrales, veluti, cùm Dialectica dividitur in inventionem & judicium; Grammatica in Etymologiam & Syntaxin. Nam singulæ hæ partes comprehendunt partem aliquam præceptorum suæ artis. 29

Porrò partes, quæ huic toti correspondent, à *Ramo, cit loco* dicuntur *membra*, quod, an benè fiat, videndum. 30

An partes totius integralis rectè dicantur membra?

Prout Artibus dictatura convenit in vocum significationes, ita *Ramus* excusari quidém posset, cujusvis totius integralis partes, vocant membra; nihilominus alii Philosophi non ita sumunt vocem *membri*, quibus idem est membrum & organum, sive pars organi. Atque sic ut aliquid membrum dicatur, requiritur 1. Ut non sit forma. Et sic anima non dicitur membrum hominis. 2. Neque tota materia dicitur membrum. Et sic corpus non dicitur membrum hominis. Sequitúrque hoc ex priori. Nam quia membrum est nomen partis, Pars autem condividit totum cum partibus aliis, quæ etiam debent hic dici membra. Idcircò si anima non est membrum, neque corpus potest dici membrum. Ergò 3. requiritur, ut, quod membrum dicitur, sit pars materiæ. Et per hoc accidentia non sunt membra. 4 debet esse pars materiæ dissimilaris. Et per hoc guttula aquæ, non potest dici membrum aquæ. Potest autem caput dici membrum hominis. Et sic cum *Aristot. lib. 2. de parts an. cap. 1*, dicit, animalia constare ex similiaribus & dissimiliaribus, μορίοις rectius vertitur, partibus, quàm membris. Denique 5. quod membrum dicitur, debet participare formam totius. Et sic manus arida (aut ramus aridus) non possunt dici membra arboris, aut hominis. Et sic neque cadaver, nec angelus, etsi corpus aliquod assumat, potest dici habere membra. Confer *Colleg. Conimbr. l. 2 de anim c. 1. q. 1 art. 7.* 31 *Membrum quid sit?*

De divisione totius & partium integralium.

1. *Totum est vel similare vel dissimilare.*

Aristoteles lib. 2. de partib. animal. cap. 1. partet animalium distinguit in ὁμοιομερῆ καὶ ἀνομοιομερῆ. Et *lib. 1. de generat.* 32

animam cap 1. in ὁμοιομερῆ & ὀργανικά, ubi ὀργανικὰ sunt idem quod ἀνομοιομερῆ. Interpretes vulgò vertunt in *similares & dissimilares.* Hæ tamen Latinæ appellationes non placens *Scaligero lib. 1 de plant pag.* 168. Et inde vocat eas partes *consimiles & condissimiles.* Sed vocabulis non immoror. Ex hac igitur partium distinctione sumpta est divisio totius.

33 Ergo sic totum est ὁμοιομερὲς vel ἀνομοιομερὲς, quæ voces indicant ipsas definitiones singulorum. Nam ὁμοιομερὲς est quod habet ὁμοια μέρη, partes similes, hoc est, partes ejusdem essentiæ, sic enim simile quandoque sumitur, ut supià dictum & similibus. Et ἀνομοιομερὲς est, quod habet ἀνόμοια μέρη partes dissimiles, sive diversæ essentiæ. Sic ergo aqua est totum ὁμοιομερὲς, quia omnes ejus partes sunt ejusdem essentiæ. Neque enim in aqua est diversitas partium, ut est in homine, ubi alia est essentia capitis, alia ventriculi, alia manuum. Et sic deinceps. Ἀνομοιομερὲς autem totum est homo, ut ex nunc dictis patet.

34 Est tamen hic observandum, ἀνομοιομερὲς dici per collationem unius partis ad alias partes, vel etiam ad totum. Atque sic totum, quod habet partes diversæ essentiæ, ab essentia partium aliarum, aut totius essentiâ, id dissimilare est. Unde relinquitur, si maximè in aliquo toto reperiatur pars, cujus particulæ sint ejusdem essentiæ, non tamen idcirco illud totum similare esse, cujusmodi in homine est nervus, sanguis, spiritus, aliaque, & tamen homo est aliquid dissimilare. Sed inquirendum est.

2 *Ex quo cognosci possit, an aliquid sit totum similare & dissimilare?*

34 Tria hic in collationem venire possunt: convenientia in nomine, in essentia, & in attributis.

06 Igitur valdè celebris est distinctio totius similaris & dissimilaris ex *nomine*. Aiunt igitur, totum esse *similare*, cujus partes accipiant nomen totius, quomodo pars aquæ dicitur aqua, & pars sanguinis dicitur sanguis, & sic in aliis. *Dissimilare* autem est, cujus partes non accipiunt nomen totius, quemodo pars hominis (ut pes) non dicitur homo, nec pars arboris, arbor; nec pars domus, domus. Et sic deinceps. Fecit ita etiam *Damascenus in Dial. cap. 6. Et Zabarel. de nascentia, const. cap.* 27. Et tamen distinctio non est satis proba.

De convenientia in Nomine.

37 Igitur dico 1. *Totum quod habet partes eosdem nomini-*

minis, (modò non interveniat æquivocatio) *id est similare.* Ita patet. Nam nominis significatum est essentia. Ergo ejusdem nominis significatum est eadem essentia. At quæ conveniunt in eadem essentia, ea similaria sunt, ut posteà dicitur.

38 *Totum, cujus partes non accipiunt totius nomen, non est idcircò dissimilare.* Hoc dico: Ut plurimum quidem totum dissimilare esse, cujus partes habent diversum nomen à toto, sed tamen hoc non est perpetuum, multoque minùs id sequitur ex diversitate nominis. Potest enim fieri, ut totius similaris nomen impositum sit ab aggregatione partium similarium. Atque tum hoc ipso nomen totius non potest prædicari de parte. Nam pars non est idem, quod omnes partes aggregatæ. Ita non de quavis parte cœli dicitur, quod sit cœlum, nec de quavis parte maris dicitur, quod sit mare. Et tamen cœlum et mare sunt tota similaria ὁμοιομερῆ. Et ratio est, quia cœlum dicit aggregationem omnium suarum partium, hoc est, partis Occidentalis, Orientalis, Meridionalis, & Septentionalis; & sic mare dicit aggregationem vel confluxum plurimarum aquarum, unde quælibet particula maris mare dici non potest.

39 Ex his relinquitur discrimen, quod hic sumitur ex convenientia vel disconvenientia nominis, non esse satis adæquatum.

40 Optimè autem distinguitur totum similare & dissimilare, per convenientiam & disconvenientiam in essentia. Hoc est, cujus partes sunt ejusdem essentiæ, vel quod est resolubile in particulas ejusdem rationis, id est similares: quod secus, est dissimilare. Sic inter particulas aquæ non est essentiæ diversitas, atque adeò aqua est resolubilis in partes ejusdem rationis. Unde aqua est aliquid similare. Et sic in aliis. *De convenientia in essentia.*

41 Dices I. Aqua etiam est resolubilis in partes ejusdem rationis, quia est resolubilis in materiam suam & formam, quæ sunt diversæ essentiæ. Ergo non est aliquid similare sive homogeneum. Idemque est de cæteris elementis.

II. Rursus totum similare, cùm dividitur, habet partes, quarum singulæ sunt Entia completa, & singularia suppositata, ac universa suppositum habent diversas essentias. Ergo totum similare dividitur in partes habentes diversas essentias. Et certè si à communi massa aquæ dividantur duæ guttulæ, hæc guttula habebit diversam essentiam à gutula illa, prout etiam diversum Ens est ab illa. Et sic in aliis.

43 *Solvuntur.* Respondeo ad *primum*, aquam & cætera elementa esse verè corpora similaria; & esse divisibilia in partes ejusdem rationis, ut sumitur ex *Aristot. 3. de cæl. c. 3. t. 31.* ubi στοιχεῖον vocat ἀδιαίρετον εἰς ἕτερα τῷ εἴδει, hoc est: *Non divisibile in diversa specie.* Et idem est 5. *Metaph. cap. 3.* ubi itidem vocat *Elementum* ἀδιαίρετον τῷ εἴδει. Igitur ad superiorem difficultatem respondet Clarissimus *Magirus in 3. Phys. c. 1. in comment pag 170.* Elementum solâ ratione dividi in materiam & formam. Sed per hoc non solvitur difficultas. Nam alioquin in corruptione Elementorum divisio fit formæ à materia. At ista non est opus rationis. Vera autem responsio est hæc: cùm totum dividitur in similare & dissimilare, divisio illa est totius integralis. In integrali autem toto solùm dividuntur partes materiales. Unde cùm totum similare dicitur dividi in in partes ejusdem rationis, tum, præcisâ formâ, intelligitur divisio in partes materiales ejusdem rationis.

Magiri responsio.

44 *Ad alterum* respondeo. Cùm totum similare dicitur esse resolubile in partes ejusdem rationis & essentiæ, tum intelligitur essentia specifica, non numeralis, sive individuifica. Sicut propterea, locis antè citatis, *Aristoteles* Homogeneitatem describens, ait: Homogeneum esse ἀδιαίρετον τῷ εἴδει. Hoc est, non esse divisibile in partes *diversæ speciei*. Unde relinquitur, totum similare posse dividi in partes diversæ essentiæ numeralis (prout est in distinctis guttis aquæ.) At nunquam in partes diversæ speciei.

45 Ex his intelligitur: quomodo totum dissimilare sit divisibile in partes diversæ essentiæ, nempe in partes diversæ *speciei*. Sic partes humanæ non sunt ejusdem speciei. Veluti sunt ossa, cartilagines, venæ, nervi, caro, humores, spiritus. Et idem est in aliis.

46 *De convenientia in attributis:* Denique de convenientia vel disconvenientia in attributis partium, quid sit sentiendum, ex prioribus judicari potest.

47 Igitur, quia partes totius similaris conveniunt in eadem essentia specifica: Partes autem totius dissimilaris sunt diversæ speciei; Ideò similaris totius partes habent etiam ejusdem speciei essentialia attributa, & dissimilaris totius diversa specie. Attributa enim essentialia consequuntur suam essentiam.

48 *Partes totius simi-* Ex his relinquitur: Adhuc bifariam posse variare attributa partium in toto similari. Igitur primò non est necessarium, ut habeant eadem attributa accidentalia. Unde aër est aliquid

quid similare. Etsi alio loco sit frigidior, alio calidior. Item, mare est totum similare, etsi alio loco sit salsius, quàm alio, & sic in aliis. Ita etiam partes cœli, etsi differant raritate & densitate, adhuc tamen similares sunt sicut & *Scal. exerc. 61. s. 1. p. 224* ex *Averroë: Non est, inquit, in cœlo Heterogenei-tas, etsi partes ejus differant raritate & densitate, motu celeriore & tardiore.* Confer *Aristot. 2. de cœl. t. 41.* Sic etsi pars aliqua terræ moveatur, aliqua non, adhuc tamen terra est aliquid similare. Vide *Perer. l. 7. c. 6. & 11. c. 7. Deinde* non est necessarium, ut habeat eadem numero attributa, sive in individuo, sed satis est, si conveniant partes in iisdem specie attributis. Ita hic color, qui in hac parte ignis est, non est idem numero in parte aliâ ignis. Et tamen ignis est aliquid similare.

laris possunt habere diversa attributa.

II. An partes dissimilares rectè dicantur officiales.

Scaliger lib. 1. de plant. pag. 170. negat. *Vocant,* inquit, *partes condissimiles, officiales. Ita namque partiuntur. Partium aliæ sunt simplices, aliæ ex iis compositæ, quæ sunt officiales* Simplices, *ut caro, neruus, os, vena. Mihi tamen aliter videtur: Arteriam, venam, & alia, quæcunque agunt aliquid, officialis merita esse appellationem, & haud multas partes esse, quæ plus efficiant officiorum, quàm nervus. Is est portitor spirituum, sensibus eos ministrat, & est instrumentum motûs.* Hæc ille. Nihilominus *Aristot. de gen anim. c. 1.* ita eas appellat, ubi partes, quas vocat ἀνομοιομερεῖς nominat ὀργανικὰ, hoc est, officiales vel instrumentales Et videtur ratio appellationis inde esse, quòd si sumamus totum genus partium dissimilarium, plus operæ ab his fiat in animalibus, quàm à genere similarium. Caput est destinatum officio videndi, audiendi, gustandi, olfaciendi, judicandi, imaginandi, memorandi, & aliis multis. Et sic in aliis. Etsi autem nervus habeat multa officia. Non est tamen id in aliis. 49

2. Totum integrale vel est per se, vel per accidens.

Hæc distinctio satis clarè illustrari potest per doctrinam Metaphysicam de uno per se & per accidens. etsi in omni latitudine hæc non sunt idem, totum per se & unum per se, totum per accidens, & unum per accidens. Nam unum per se potest etiam dici quod eâ aliquid simplex. & carens partibus, ut sunt Deus, accidentia, formæ substantiales, aliàque. At totum non dicitur, nisi quod est compositum, & proinde partes habet. 50

51 *Quid totũ per se, & per accidens.*

Brevissimè autem definiendo, quid sit totum per se, dicimus, id esse illud, cujus partes continentur sub unâ formâ, quæ scilicet forma totius est. Unde relinquitur, ut totum per accidens sit, cujus partes Entia completa sunt, & proinde seorsim formas specificas habent. Tale totum est mundus, cujus partes seorsim sunt Entia completa. Sunt autem ista, cœlum, ignis, aer, aqua, terra, homo, bos, &c. Respublica, cujus partes sint, homo imperans, & homo subditus, & sic deinceps. Idémque est etiam in accidentibus. Sic Philosophia est totum per accidens, cujus partes sunt Metaphysica, Physica, Mathesis, Ethica, Logica, &c.

52 *Gradus totius per accidens.*

Est autem hic observandum: multos esse posse gradus totius per accidens. Igitur primò totum per accidens constituitur per illa Entia, quæ & completa sunt, & alioquin nec ordinem ad invicem habent. Tale totum est Cumulus tritici aut fabarum, aut nummorum, aliarumve rerum. Pertinet huc & illud totum, quod habet quidem pro partibus Entia incompleta, haud tamen ad unitatem formæ redacta, sed sine ordine adhuc permixta, & inter se colligata, tale quid est Hydromel, quod est commixtum ex aqua & melle, utroque refracto. Rursus huc pertinet, quod pro partibus habet Entia completa, sed cum ordine unius ad alterum. Tale quid est Respublica, exercitus, mundus: ubi in isto est ordo subditorum ad Magistratum, in isto militum ad ducem; In hoc rerum sublunarium ad cœlestia, mistorum ad elementa. Denique est illud totum, cujus partes sunt diversorum prædicamentorum. Tale totum est pulchritudo, cujus pars alia est color, alia quantitas, alia relatio, sive ordo partium, ut *Aristoteles* docet *in Poët. cap. 7.* Et *Augustinus l. 12. de civ. Dei cap. 19.*

53 *An totum dissimilare sit totum per accidens.*

De toto dissimilari quæritur. *An sit totum per accidens?* Respondeo, posse aliquid totum dissimilare esse. Ens, adeoque & totum per se quale est animal: Brin specie homo & bestia. Et ut maximè ibi partes essent diversæ speciei, tamen illæ omnes continentur unâ totius formâ; quod satis est ad constituendum totum per se. Estque à posteriori hujus rei judicium, quòd istorum partes extra unionem mutuam aut non diu, aut nullo modo subsistere possunt, & intra unionem sibi invicem deserviunt. Vide *Suarez disp. 4. in Met. s. 3. n. 11.*

3. *Partes totius integralis sunt principales, vel minùs principales.*

A priori

A priori pars principalis appellatur, quæ necessaria est formæ ut complere possit essentiam compositi. Et sic pars principalis hominis est cor, & caput, quia sine his anima non potest absolvere esse animalis, cum in istarum membris principaliter illas subsistat, & in iis radicetur. Unde pars minùs principalis est, quæ non est simpliciter necessaria formæ ad officium suum formale qualis pars in homine est digitus, pes, manus. A posteriori autem utriusque indicium sic sumitur: Pars, quâ ablatâ totum interit, eâ est principalis, quale quid evenit in amputatione capitis, aut exemptione cordis. Rursus, quâ ablatâ totum non interit, est minùs principalis, quale quid est in præsectione digiti, pedis, &c. Aliàs tamen etiam pars principalis appellatur, quæ est pars nobilior compositi; Pars minùs principalis, quæ est minùs nobilis. Observa tamen hic peculiariter aliquando integrantes partes dici, quæ sunt principales. Vide *Coll. Conimbr. 1. de gen. & corr. cap. 4. q. 14. c. 3.* ex *Durand. 4. d. 44. q. 2.* 54

VI. De toto Universali.

Totum universale nihil aliud est, quàm *genus*, unde pars huic toti respondens est *species*. Et proinde, quæ ad hanc rem pertinent, multa peti possunt ex prima parte huius operis Logici, hoc est *lib. 1 Introd. Logic. cap. 3.* 55

Igitur quot modis sumatur vox *Genus*, vide *ibid. in comm. n. 5. seqq.* Item quomodo intelligi debeat definitio generis: *Genus est, quod de pluribus prædicari potest.* Vide *ibid. n. 6. seqq.* Et an ista definitio bona sit *n. 21. seqq.* 56

Rursus quot modis dicatur *species*, vide *ibid. n. 10.* Item, an recte definiatur species, quod sit pars generi subiecta, *num. 26. seqq.* Ubi obiter notandum est, ibi quidem istam definitionem rejici, quia individuum etiam potest generi subiici, veluti *Plato* est animal. Et tamen individuum non potest dici species, prout ibi de specie agitur. Nam species ibi est aliquid prædicabile sive Universale. At individuum universali contradistinguitur. Hic autem istam definitionem accepimus. Nam speciem nunc latè sumo ut comprehendat etiam individuum, quia eadem ratione genus in species (vulgò dictam) dividitur, quâ istud vel hæc in individuum. 57

Solùm restant enodandæ de hac doctrina aliquæ quæstiones, & generis ac speciei divisiones. 58

QUÆSTIO I.

59 *An genus rectè dicatur totum respectu speciei?*

Videri speciem magis esse totum, quàm genus.

Videtur rectius species dici totum respectu generis. Nam species componitur ex genere & differentia. Igitur genus est terminus componens speciem. At terminus componens est pars ejus, quod componitur. Et confirmatur. Illi magis convenit ratio totius, quod est magis completum; At species est magis aliquid completum, quàm genus, cùm genus (ut tale est) sit aliquod potentiale ad plures differentias. Ergo etiam species rectius videtur dici debere totum, quàm genus. Et rursus. 3. Genus est pars definitionis speciei. Ergo etiam est pars ipsius speciei definitæ.

60 *Genus pars speciei; & species generis.*

Hæc in re dico: Et genus respectu speciei, & speciem respectu generis totum dici, ut sumitur ex *Aristot. Metaph. cap. 25.* (ἐπεὶ δὲ τὰ εἴδη μέρος, καὶ τὸ εἶδος τοῦ γένους μέρος ἐστί.) *Genus species pars dicitur. & species generis pars dicitur.* Igitur genus est totum respectu speciei, quatenus potestate suâ continent speciem unam, & cum ea speciem aliam. At quod plura continet, hactenus totum dicitur. Verum species est pars generis, quatenus species genus actu continet, & cum eo suam differentiam, quam generi superaddit. Unde hactenus species est totum quid, ex priori argumento. Genus est pars essentialis speciei. At species est pars generis, comprehensio in eo, prædicatione.

62 *Cur species dicatur pars subjectiva.*

Dicitur autem species pars generis *subjectiva*, quia cùm axioma sit ex hoc toto (genere.) Et hâc parte (specie) rum species ponitur loco subjecti. Veluti, homo qui species est (est *animal* quod genus est.) Item *fortitudo* (quæ species est) est *virtus* (quæ genus est.) Et sic in aliis.

II. QUÆRITUR

An Deus conveniat genus.

63 Hæc quæstio satis decisa est in priori parte operis hujus *Log. cap. 24. seqq. in comment.* Est enim eadem cum ista; *An Deus sit in prædicamento.*

III. QUÆRITUR

An negationes possint esse genera, aut species.

Per negationes nunc intelligitur negatio tùm contradictoria, tùm privativa, quales sunt, non homo, & cæcitas.

64

Igitur

Igitur istas non posse esse genera, & species, patet, quòd genus dicit *essentiam*, nempe communicabilem. Et species participat *essentiam*, nempe generalem. Et proinde utrumque est Ens. At negationes sunt non Entia. Eadem est ratio, quam alii sic proponunt. Metaphysica compositio (qualis est in omni specie, quæ composita est ex genere & differentia) fit per accessum formæ sive differentiæ ad genus. At horum utrumque est aliquid speciei essentiale. At quod est essentiale, id alii dat essentiam (speciei.) Et species est Ens, quia accipit essentiam (à genere.) Ita sentiunt *Capreol. 1. dist. 19. ad 5. Cajetanus in tom. 1. 2. quæst. 72. Colleg. Conimbr. in Porphyr. cap. de genq. 2. art 1.* aliique plurimi. Et *Aristot.* ipse *4. Top. 1. 67. lib 6 Top. cap. 6.* Confer *suprà cap 21 c. 2. n. 9. & 12.* 65

Nihilominus aliqui recentiores ab hac sententia recedunt, dicentes; negationes posse esse genera & species: 1. Quia negationes possunt esse differentiæ, propria, & accidentia. Cur igitur non possunt esse genera & species, cùm ista non minùs prædicabilia ac hæc? Et confirmatur antecedens, quòd irrationalitas animalis, inæqualitas quantitatis differentiæ sunt. Item unum est proprietas Entis. At istud nihil aliud quàm negationem, hoc est, indivisionem significat. Rursus surditas & cæcitas, cur non possunt dici accidentia hominis, tenebræ aëris? Et sic in aliis. *Deinde*: Negationes concipiuntur sub conceptu latiori & contractiori. Proculdubò enim negatio, ut sic, est aliquid latius, quàm privatio, cùm comprehendat illa etiam negationem infinitam. Et rursus privatio est aliquid latius quam surditas, cum ista etiam comprehendat cæcitatem. At conceptus latior & strictior videntur satis esse ad rationem generis & speciei. 66 *Argumenta eorum, qui putant negationes posse esse genera, & species.*

Hac in re existimo, primùs relatam sententiam veram esse, hoc est, negationes neque genera, neque species esse, accurat loquendo, prout ibi satis confirmatum. Addo tamen: qualicunque *reductione* esse eas genera & species. Nam 1. quia intellectus negationes apprehendit, ut Entia rationis, & proinde eas enunciat de Entibus realibus, per verbum *essendi.* (Tenebræ *sunt* in aëre, cæcitas *est* in oculo) Entibus etiam rationis convenit esse, in analogia ad entia realis. Igitur etiam eis convenit, esse genera aut species, in eadem analogia. Et proinde, Logicus, cùm resolvit hanc propositionem: *Privatio est negatio.* Aut *surditas est privatio*, non resolvit eam aliunde, quàm ex loco generis & speciei. In quantum igitur 67 *Decisio.*

sententia

ſententia poſteriùs relata hoc confirmat, in tantum admittitur in quod concludit. Aliàs, ne putentur negationes vera eſſe vel genera, vel ſpecies, ad argumenta reſpondeo.

61 *Diluuntur argumenta.*

Igitur reſpondeo *ad primum, Primò:* Nulla negatio propriè loquendo poteſt eſſe differentia. Ut *Ariſtoteles* clarè docet 1 *de part. anim cap.* 3. Irrationalitas igitur & inæqualitas non ſunt reverà privationes, ſed habent ſolùm modũ *ſignificandi privativum*, quia exprimuntur per *IN*, cui reſpondet Græcorum α, quod *Ariſtoteli* στέρησιν eſt, per 5 *Metaph. cap.* 22. *Secundò* nec etiam negatio poteſt eſſe proprium alterius. Quia de ratione accidentis eſt, ut fluat à natura ſubiecti. At ille fluxus indicat dependentiam huius ab illo, quæ non convenit non Enti. Unum igitur non ſignificat præciſè negationem, neque præciſè eſt idem, quod undiviſio, ſed ũum ſignificat Ens indiviſum, & unitas Entitatem indiviſam. Unde rectè dicitur quidem, unitatem addere Enti negationem, ſed tamen non ſignificat ſolùm negationem, ſed ipſam eſſentiam cum negatione, quod ſatis eſt, ut unum ſit poſitiva affectio Entis. *Tertiò*, Nec enim negatio poteſt verè eſſe accidens. Quia de ratione accidentis eſt, ponere aliquid in ſubiecto, atque adeò illud peculiariter modificare. At privationes ſolùm ſignificant non eſſe alicuius in ſubiecto, velũti ſurditas auditûs, & ſic aliis. Qua de re vide *ſuprà cap.* 22. *can.* 5.

Negatio non poteſt eſſe differentia, Nec proprium

Nec accidens.

70 *Quomodo in negationibus ſit preſſior & latior conceptus?*

Ad *ſecundum* reſpondeo: Latiorem & preciſſiorem conceptum per ſe non ſuffiocre ad rationem generis & ſpecici. Sed ſi aliquid contrahatur per acceſſum alicuius differentiæ intrinſecæ, id demum genus eſt, & ab iſto conſtituitur ſpecies. Intrinſecum autem ſive eſſentiale non poſſumus apprehendere, niſi apprehenſâ entitate, quæ negationibus non convenit. Porrò, quod in negationibus eſt aliqua contractio vel latitudo, id ſolùm eſt per connotationem alicuius extrinſeci, velũti ſubiecti, aut termini oppoſiti. Ita negatio ut ſic, eſt latius quid, quàm Non homo, Quia hæc negatio (Non homo) connotat terminum aliquem poſitivum, qui illi opponatur (qui eſt homo) quod negatio ut ſic, non facit; ſic ſurditas eſt aliquid ſtrictius, quàm privatio, Quia ſurditas adæquatè opponitur auditui. At illi non opponitur adæquatè privatio. In ſumma autem omnis differentia negationum ſumitur, vel per reſpectum ad terminum in oppoſitum, vel per ſubiectum, Unde ſic nihil intrinſecum habent, unde

diſt n-

distinguantur. Et per hoc non possunt esse species.

Alia, ex quibus hic quæstiones formari possent, commodiùs explicabuntur in Canonibus ponendis in fine huius capitis. 71

Divisiones generis & speciei

1. *Genus est Generalissimum, vel subalternum: Species subalterna, vel specialissima.*

Divisionem hanc communiter habent Logici *Aristot. lib. 1. prior. cap. 27. §. 1. Porphyrius in Isag. cap. 2. §. 23. & 28.* Et ex eo *Damascen. in Dial. cap. 13.* Genus generalissimum definit sic: Γενικώτατον γένος ἐστὶ τὸ ἐπ' ἄκρον εἶν ἐπαναβεβηκὸς γένος. *Genus generalissimum est, supra quod non est supergrediens (vel superius) genus.* Et ὄγενος ὂν οὐκ ἔστιν εἶδος, *quod cùm sit genus non est species.* Ex eo apparet: duas esse conditiones generis generalissimi, (quæ tamen eodem recidunt,) 1. Genus generalissimum non habere genus. Idéoque 2. nunquam illud esse speciem. 72

Hoc est hic observandum: Genus generalissimum aliquando dici absolutè, pro eo, quod simpliciter nihil habet supra se pro genere, cuiusmodi sunt summa genera prædicamentalia, (Ens enim quod supra hæc est, non habet rationem generis horum respectu.) Aliquando etiam dici κατὰ τί, quod secundum quid generalissimum est. Tale quid *Ramus* in inventione est argumentum, quod enunciatur quidem de omnibus aliis locis inventionis. At ipsum nullum habet genus. 73

Genus subalternum, Græcis ὑπαλλήλου, est partim genus, partim species. *Porphyrius loco prius citato*, illud sic circumscribit. *Inter generalissimum*, inquit, *& specialissimum sunt alia, quæ eadem sunt & genera & species, ad aliud atque aliud relata.* Vide *Aristot. 1. prior. cap. 27. §. 4.* Et proinde hoc genus à generalissimo differt, quòd huic non conveniat genus ullo modo; Illi autem conveniat: veluti in Catalogo substantiæ est hic ordo: *Substantia, Corpus, Mistum, Animatum, Animal, Homo, Petrus.* Hic generalissimum genus est *substantia.* Specialissima species (ut nunc hanc vocem sumo) est *Petrus.* Quæ autem inter hæc interiacent (*corpus, mistum, &c.*) Sunt genera subalterna. Nam horum unum quodque prioris species, posterioris genus est, Et idem est in ordine accidentium. 74

Ex

75 Ex explicatâ hâc generis distinctione, facilè intelligitur divisio speciei in specialissimam & subalternam. Sicut enim genus generalissimum erat, supra quod non est genus; Ita species specialissima erit infra quam non est species. Et rursus, sicut genus subalternum est, quod inferioris genus est, superioris species; ita species subalterna est, quæ est superioris species, inferioris genus. Ex quo apparet, genus subalternum, & speciem subalternam materialiter idem esse, hoc est, in re substratâ sive subjectâ convenire.

Hic quæritur.

1. *An Ens sit Genus generalissimum ad substantiam, quantitatem, &c.*

76 Neganda hæc est quæstio. Satisque decisa est *in tract. de Philos. n. 59. 60.* Et *de nat. Log c. 3. n. 9. in comment.* Et *c 4. in comment. n 36. & 41.* ubi vide Præter ista peculiaris ratio est apud *Aristot. 4. Top. cap 6 Sect. 2.* quam tango *infrà Canone 73.*

1. *An per speciem specialissimam rectè intelligatur individuum*

77 *Aristotelicis quid species specialissima.* *Aristotelici* speciem distinguunt ab individuo. Speciem ergò vocant, quod est infra genus, usque ad individua exclusivè. Veluti in hoc ordine; *substantia, corpus, mistum, Animal, homo, Petrus; homo est species.* At *Petrus* nequaquam. Sed hic est individuum. Et sic etiam *specie differre*, non dicuntur *Petrus & Paulus*, sed solùm dicuntur *differre numero* vel individualiter. Ex quo sequitur; ut istis species specialissima non sit idem, quod individuum; sed ut sit id, quod proximè ponitur ante individuum. Ergò ex superiori ordine substantiarum, Homo erit *Aristotelicis* species specialissima.

78 *Quid Ramæis?* *Ramæi* autem speciem specialissimam dicunt esse ipsum individuum. Et in eo sequuntur *Ramum, Ex. l 1. Dial. c. 27. & l. 3. Schol. Dialc. 4. 5. 6.*

79 *Decisio.* Hâc in re existimo: Disputationem solùm esse ex æquivocatione vocis speciei. Igitur si species sumitur pro universali, quod de pluribus numero differentibus prædicatur, individuum non est species. Sic enim individuum, quia idem est, quod singulare, universali contradistinguitur. Et sic nunc sumunt *Aristotelici* eam vocem. Sin verò species dicatur (ut *Ramæi* eam vocem sumunt) omne illud, quod participat essentiam superioris & proinde genus dicatur, quod communicat essentiam suis partibus, tum certè individua sunt species

(specia-

(specialissimæ) & proinde sic species specialissima *Aristotelicorum* adhuc potest esse genus, nempe individuorum.

Unde præterea existimo: Recte per speciem specialissimam intelligi posse individuum. Nam 1. eodem modo se habet, verbi gratiâ, animal ad hominem, ac homo ad *Socratem*. Cur igitur, cùm ἄνθρωπος eadem sit, non sit etiam idem nomen exprimens istam ἀνθρωπότητα, nempe, ut homo genus *Socratis* dicatur, cùm animal dicatur genus hominis. 80 *Individuum posse dici species.* 81

Respondet *Timplerus* 3. *Metaph. c. 5. q. 11. in resp. ad secundum*, quòd genus & species sint universalia, habitudo autem speciei ad individuum, est non ad universale, sed ad singulare. Sed hoc nihil est. Nam hoc discrimen sumitur solùm ex materia vel objecto, non autem ex modo arguendi. Facilè autem possunt universale & singulare habere modum arguendi eundem. Unde sic pertinent, ad idem argumentum. Nec officit materialis distinctio, simile enim quid esset, si statueretur peculiare oppositionis genus, quo opponerentur universalia ad invicem, veluti lapis ad hominem. Et aliud, quo opponeretur universale singulari, veluti lapis *Petro*.

II. Omnes loci Dialectici dicuntur relativè. Et proinde unum argumentum est aliquid alterius. At quis sic loquitur: Homo est *Socratis* species? Debemus autem omninò ita dicere, prout & dicimus: Animal est hominis genus. 82

Et III. quod maximum est, non deest usus talis in voce generis & speciei, ut *Ramus lib. 3. Schol. Dial. cap. 5* ostendit. *A Cicerone*, inquit, *l. 1. de invent: definitur genus: Genus est quod plures partes amplectitur, ut animal. Pars est quæ subest generi, ut equus.* *Sic generalis & specialis quæstio dicitur* à Quintiliano. *Sic generaliter aliquid & specialiter sæpe dicitur. Sic* Seneca *hominem animalis speciem dixit. Genus autem* Catonis, Ciceronis, Lucretii. *Itaque ait* Seneca, *quia homo continet multa* (individua) *in genus cadit: quia sub alio est* (animali) *in specie:* Sic *Fabius loquuntur, cùm hominem genus, Scythium & Pamphilum species appellant. Qua de re lex est de stipulationibus, in quibus aliàs species, aliàs genera deducuntur. Sic iidem dicunt in mutuo non recipi eandem speciem sed idem genus, quod vulgus in scholis idem numero & specie vocat.* Postea idem docet ex *Platone*: *Quicquid species est*, ait *Plato*, *id necesse est partem esse* (divisam) *eius rei, cuius species dicitur. Sic ergo secundùm* Platonem *homo quidem est species animalis, quia est pars potestatis eius, quod significat* 83 *Cicero.* *Seneca.* *Fabius Scythium & Pamphilum species appellat.* *Jurisconsulti.* *Plato.*

88 *ficat animal. At non potest dici species respectu Platonis, Catonis, aut Socratis. Nam horum respectu non pars, sed (loquendo de potestate quam dicit homo) totum est.* Denique idem docetur ex *Aristotele*. Cuius notabilis locus est, lo. *Aristoteles.* *Metaph. cap. 3.* ibi dicitur genus: *quæ ambo, quæ differunt secundùm essentiam, idem dicuntur.* Idem est, *cap 8.* quod prorsùs videtur idem esse cum definitione *Ramæ*: *Genus est totum partibus essentiale.* At plura individua humana, verbi gratiâ, differunt inter se. Et in essentia humana conveniunt. Ergò homo est eorum genus. Et proinde ipsa sunt species. Et iterum: Ergò homo est species specialissima (hæc enim non potest esse genus, sed ipsa potius individua sic sunt nominanda.

84 *Objectiones Timpleri.* *Timplerus l. 3. Metaph. cap. 5. quæst. 12* affert contra hanc sententiam tria argumenta. Ergò individuum non est species infima. 1. Quia omnis species infima est Ens universale. 2. Quia omnis species infima, secundùm naturalem prædicandi modum, prædicatur de alio. 3. Quia omnis species infima sub se habet individua. Sed in singulis, quæ ipse sua probatione ponit, peccatur principium. Eorumque falsitas est monstrata in prioribus, ex quibus ea objectiones judicari possunt.

II. Genus est remotum vel propinquum.

85 Ex ipsis vocibus apparet, quid utrumque sit. Nempe propinquum est, quod est, propius speciei. Et remotum, quod est longiùs à specie, ut in Theorematibus clarum.

86 Tria hic sunt observanda: 1. posse esse genus unum alio remotius aut propinquius, ut apparet. Ita genera hominis sunt, quod est animal, & corpus animatum, & mistum, & corpus naturale. Hic hominis propinquius genus est animal quàm animatum; Et hoc, quàm mistum. Et sic in aliis.

87 *Deinde* quod est genus generis propinqui, id est remotum speciei, per *Arist 4. Topic. 2. Sect. 2.* Veluti hominis genus propinquum est *animal*. Animalis autem genus est *corpus animatum*. Ergò corpus animatum est genus remotum hominis. Atque hoc præsupponit illud: quod quicquid est genus generis, id est etiam genus speciei (solùm cum differentia remotioris aut propinquioris,) sequiturque hoc ex illo *Aristot. lib. Categ. cap. 3 Sect. 2. Cùm alterum alteri attribuitur* (in prædicatione Synonymicâ *tunquam de subjecto, quicquid prædicatur de attributo, id etiam prædicabitur de subjecto.*

Tertiò

Tertio: Quod plura ambitu suo complectitur, id est remotius, quod pauciora, propinquius. Ita hominis propinquius genus est animal, quàm corpus animatum. Nam corpus animatum complectitur totum genus plantarum, hoc est, arbores, herbas, frutices, &c. At eas non complectitur animal. Et sic in aliis. 88

Hic tamen cautè observandum est, ut, quod pauciora significat, alioquin verè genus sit, secùs enim non erit propinquum genus. Id autem est, cùm inter genus & speciem intervenit aliqua distinctio accidentalis. Sic genus propinquum Logicè non est *ars liberalis*, sed *ars* simpliciter. Etsi ars priùs dividatur in liberalem & illiberalem, & posteà ars liberalis in Logicam, Rhetoricam, &c. Nam liberalis non potest esse genus, cùm *liberale* sit differentia accidentalis artis, sumpta scilicet ex conditione possidentis artem. Unde sic ars liberalis est Ens per accidens. Et proinde non est quid unum. Atque sic non peccat in definitionis Canonem, (quo jubetur genus in definitione debere assumi proximum) si Logica definiatur non ars liberalis, sed ars præcisè; Et idem est in aliis. 89

III. *Genus est Univocum vel Analogon.*

Genus univocum (*Græcè συνώνυμον*) dicitur, quod communicat essentiam subjectis speciebus æqualiter. Analogon autem est, quod suam communicat essentiam inæqualiter, uni priùs, alteri posteriùs. Ita animal est univocum ad hominem & bestiam. At ens est analogon ad substantiam & accidens. Hoc enim per priùs dicitur de substantia, per posteriùs de accidente. Illud autem æqualiter dicitur de utroque. 90

Quid autem est *æqualiter essentiam suam communicare*? Respond. Est nihil aliud quàm uni non communicare priùs, & alii posteriùs. Unde illa æqualis participatio generis non consistit in æquali dignitate specierum. Differunt enim dignitate homo & bestia, & tamen conveniunt in eodem genere univoco. Igitur illa inæqualitas dignitatis ibi est, non nisi ex inæqualitate differentiarum, quòd scilicet genus utriusq; (*animal*) ab utroque æqualiter participatur, jungitur tamen in his speciebus, cum inæqualibus differentiis, cum nobiliori in homine, cum ignobiliori in bestia. Et sic in aliis. 91 *Quid sit æqualiter communicare essentiam?*

Quæritur porrò

2. *An non detur genus æquivocum?*

Resp. Nomen dividitur in univocum, æquivocum, & analogon. At genus sic non potest dividi. Nam genus est nomen 92

communis

communis essentiæ, sicut *Aristot* ait 10 *Metaph. c. 3. Genus est* inquit: *quo quæ differunt secundùm essentiam, eadem sunt.* At æquivocum non significat communem essentiam. Æquivocum enim nomen est, quod solùm secundùm nomen de pluribus dicitur, non autem secundùm rem significata ei, per *Aristot. Categ. c. 1.* Confer *sup. c. 27 in comment.* q. 2 Ex quibus apparet, repugnantia esse dicere genus, & tamen dicere æquivocum.

2. An detur genus analogon?

Non litigabo de voce: An rectè dicatur analogon? *Zabarella lib de Nat. scient. constit. c. 10.* contendit, non debere
93 dici, sed vocandum esse genus πρὸς ἓν καὶ ἀπ' ἐνὸς, *ab uno ab alterum.* Usus tamen obtinuit nunc, ut analogon dicatur, quod alii πρὸς ἓν vocant.

94 Igitur tale genus analogon dari, prebant plurima exempla, quæ Philosophi ad hoc referunt. *Zabarellæ cit loc.* corpus naturale est analogon (πρὸς ἓν καὶ ἀπ' ἐνὸς) ad cœlum & subcœlestia. Natura dicitur analogicè de materia & forma. Ens dicitur analogicè de substantia & accidenti. Accidens dicitur analogicè de inhærentibus; & dicentibus denominationem extrinsecam. Et sic in aliis. Vide plura de Analogia *suprà c. 24. sect. 3.*

Cæterùm pro Coronide hic est inquirendum.

VII. An plura totius primarii generis sint quàm quæ sunt hactenus enumerata?

95 Reperiuntur genera totius alia apud autores: *Totum perfectionis, potestativum, totum numerale, & totum individuale,* quæ, an superioribus addenda sint, quæritur:

1. De toto perfectionis.

96 Hoc modo Deus totus dicitur. Veluti Deus *totus* est ubique. *Tota* Divinitatis plenitudo habitat in carne. *Coloss. 2.*

97 Hoc autem totum rectè prætermittitur in superiori divisione. Nam totum nunc consideratur cum respectu ad partes. Unde nihil nunc totum est, quod partes non habet. At totum perfectionis partes non habet, neque enim Deo aut divinitati partes conveniunt. *Ne Plato quidem causam primam totius nomine censuit appellandam, quia omne totum partes habeat. Quod autem partes habet aliquo modo multum est, & non unum.* Ait *Scalig exerc. 65. s. 2 p. 246.* Dicitur igitur Deus totus quatenus totum idem est, quod perfectum. Atq; sic totum dicitur, cui nihil deest. Vide *Aristot. 3. Phys. c. 6. & Scalig. plant. p. 107.*

2. De

2. De toto potestativo.

98 Totum potestativum est, cujus partes sunt potestates, sive potentiæ. Tale totum est anima: Et proinde de hoc toto intelligitur anima toto esse in parte quâlibet corporis: tota, inquam, hoc est secundùm omnes potestates, ut declarat *Zabar. de part. an. cap. 1. n. 3. 14.* Atque hoc totum etiam est prætermissum. Nam potestates animæ sunt accidentia & adiuncta animæ, ut verior habet opinio. Subjectum autem respectu suorum adjunctorum est totum solùm secundarium, ut posteà dicetur. Unde sub hoc secundario toto illud totum potestativum continetur. *Fonseca 4. lib. Instit. Dial. cap. 3.* Hoc totum revocat ad totum integrale. Sed ab hoc valdè discrepat, inprimis, quòd partes integrantes sunt natu â priores suo toto. At potestates sunt posteriores animâ. Unde prior sententia mihi magis probatur.

3. De toto Numerali.

99 Totum numerale hic est idem, quod constitutum ex numeris, quale est binarius, ternarius, millenarius, & sic deinceps. Hoc igitur totum aliis generibus addit. *Armand. de Bello Visu tract. 2. cap. 256, 257.* Hoc tamen totum non est peculiare genus totius, sicut totum non metallicum, lapideum. Neque enim ratio arguitionis variatur per copulationem, cum diversis materiis, quibus totius nomen imponitur. Cæterùm referri illud potest pro diversis opinionibus ad totum essentiale vel integrale. Sunt aliqui, qui existimant ultimam unitatem in Numero aliquo, veluti ultimam unitatem in millenario esse formam millenarii. Reliquæ igitur unitates priores erunt materiâ. Sic igitur totum numerale est totum essentiale, hoc est, totum ex materia & forma. Alii tamen rectiùs existimant omnes unitates esse materiam solùm numeri. Unde sic omnes partes totius numeralis sunt partes materiales, & proinde sic istud totum est speciale exemplum totius integralis.

Ait Armand. scit. loc. differre, hoc totum ab integrali, quòd ab hoc possit aliqua pars auferri, ab illo non. Illicò etiam si dimanus una saltem unitas, non manere illud totum: At hæc differentia non sumitur ex ratione totius ut sic, sed ex ratione numeri. Varietas autem in rebus non inducit varietatem in generibus totius.

4. De toto individuali.

100 Totum individuale dicitur res singularis, qualis est Jo-

hanes, hic equus. Atque hoc totum à quodam præclaro Philosopho video aliis generibus totius annumeratum esse. Sed mihi videtur non esse peculiare genus, sed comprehendi sub toto essentiali. Ita apparet, quia individuum sub ratione totius non aliter apprehendimus, quam sub respectu vel ad materiam & formam numericam, vel ad genus & differentiam numericam. At hæc partes sunt partes essentiales. Ergo totum ipsum est totum essentiale. Et sic *Fonseca lib. 4. Inst. c. 5.* divisionem individui revocet ad divisionem totius in genus & differentiam.

Cæterum hæc peculiaris ratio in hoc toto, quæ significaret voce formæ aut differentiæ *numericæ*, non importat peculiarem rationem totius; sicut neque materia cum forma *generica* aut *specifica* facit peculiare totum distinctum ab essentiali.

VIII. *De toto secundario.*

101 Hactenus consideratum fuit totum primarium in toto essentiali, integrali, & universali; restat de toto secundario. Illud autem totum secundarium dicitur, quod præcise non habet partes, sed solum in quantum distribuitur, apprehenditur ut totum. Quia distributio omnis resolvitur in partes in quodlibet dictas. Unde hic quicquid distribuitur, est totum, quomodolibet dictum. Sic, quia dico, hominum alii sunt divites, alii pauperes; hic homo, quæ distribuitur, est aliquid totum, & divitiæ ac paupertas, quia dividunt, sunt partes, est alioquin homo ut subjectum divitiarum & paupertatis. Et sic in aliis; veluti cum adjunctum dividitur per subjectum. (Hominum alii sunt in foro, alii domi, alii in agro.) Hic adjunctum est totum. Subjecta sunt partes. Sic etiam cum totum est causa efficiens, & partes effecta. Veluti studiosorum alii opponunt, alii respondent, alii declamant, alii aucultant, & sic deinceps.

CANONES.

De toto & partibus.

102 1. *Partes sunt priores toto.* Vulgare est ex *Aristotel. 7. Metaph. cap. 10.* & usurpatur communiter. Sic literæ sunt priores syllabis, & syllabæ dictionibus. Anima & corpus sunt priores homine. Et sic in aliis. Intelligitur autem ita proposito de toto, quod ex caulis vocant, quale est essentiale & integrale, ut suprà dixi *num. 6.* In hoc igitur genere sunt partes essentiales & integrales.

Ex

Ex hoc sequitur 1. Quia genus est pars essentialis speciei, quam cum differentia constituit, quòd idcirco genus etiam sit prius specie. Atque adeo 2. non valet axioma de toto Universali, qua e est genus respectu speciei. Huius enim partes (quæ sunt species) sunt isto toto posteriores, per dicta. *Non valet in toto universali.*

Deinde est advertendum: quòd, sequendo de partibus integralibus axioma intelligendum sit de principalibus solum. Hæ enim solum simpliciter necessariè sunt formæ ad dandum esse composito. Unde aliquæ partes integrales, minùs principales scilicet, possunt esse posteriores toto. Sic cornua, dentes, pili, plumæ adnascuntur animalibus in esse constitutis. Et tamen partes sunt animalium. Sic etiam arbori adnascitur ramus. Et hic est ea posterior. Ex hac observatione solvitur argumentum, quod aliqui afferunt ad ostendendum, quòd stellæ non sint partes cœli, quia scilicet post cœlum demum creatæ sunt. Nunc enim visum est, aliquam partem posse esse posteriorem toto.

Cæterum cum prius multis modis dicatur per *Aristot. lib. Categ. cap.* 12. sciendum est 1. hic non intelligi ordinem temporis. Nam potest aliqua pars simul esse cum toto sub in ordine temporis, ut est de forma, quæ simul est cum toto, cujus est pars essentialis, per *Arist.* 12. *Metaph.* 16. *Qualis prioritas hic intelligatur.*

2. Non etiam intelligitur ordo dignitatis. Nam totum, quia includit omnes perfectiones suarum partium, & præterea habet complexum existendi modum, idcirco nobilius est suis partibus essentialibus. Vide *Pereirium lib. 6. de anima, cap. 5. & lib. 15. pag. 802. Et Colleg. Conimbr. 2. Phys. cap. 7. quæst. 3. art. 3.* *De ordine dignitatis.*

Igitur intelligitur 3 ordo naturæ. Semper dependens, ordine naturæ est posterius eo, à quo dependet. At totum dependet à partibus essentialibus, & integralibus. Ergo illud his est posterius. Sic *Scalig. exerc.* 359. *sect.* 12. partes toto *naturâ* priores esse ait. *De ordine naturæ.*

Denique intelligitur de ordine doctrinæ & cognitionis. Ita antequam sciam, quid sit homo, necesse est, ut sciam, quid sit anima. Valetque hoc etiam in partibus analogicis, ut *Scalig. inducit, 6. de subtil. Exercit.* 158. *Si paries*, inquit, *componentur toti, ea etiam, quæ partium vices habent, referuntur ad quod totum est. Velut carnium, ossiumque substantia primo non nisi, item pedis, manûs, oris usûs notior, quàm totum animal. Ita etiam harum partium varia* *De ordine cognitionis.*

partis (quæ analoga vocant) integrediantur intellectionem ipsam animalis. Spina prius erit cognoscenda, quàm piscis, qua in eo pro osse est, radix quàm planta, quæ ei pro ore est. Hoc autem, quod dico de ordine cognitionis, intelligo de ordine Synthetico, (non analytico) itemque cognitione distinctâ non confusâ

103 2. *Totum & partes sunt ejusdem prædicamenti.* Est apud *Scalig. 2. de plant. p. 372. Melanchth. lib. 1. Dial. pag. 91.* Ac intelligitur quidem de toto Universali, & ejus partibus præcise. De toto integrali & essentiali intelligitur cum duplici cautela. Prior est: valere hoc de toto integrali, quod est Ens per se. Nam totum integrale per accidens sive per aggregationem potest esse ex diversis prædicamentis, ut exposui *vp. n. 52.* Posterior est. Quòd partes sint in eodem prædicamento cum toto, etsi id sit modo differenti, veluti, ut partes sint per reductionem in eo prædicamento, in quo est totum per se, ut exposui *in sent. d. 15. a. 2. Keckermannus lib. 1. Syst. pag. 337.* ex hoc Canone vult colligere Dialecticam male dividi in inventionem & judicium, cùm ista qualitas, hæc actiones sint. At inventio & judicium nunc sumuntur non aliter, quàm pro habitu inventivo, & judicativo. Et sic etiam qualitates sunt.

104 3. *Omne totum continet partes.* Hoc sumitur ex ratione totius, quia totum non dicitur, nisi respectivè ad partes. Et quia ille respectus est quasi intrinsecus sui, ideò impossibile est, totum reparari à partibus, ut scilicet sit aliquod totum, quod partes non habeat, ut contra *Scotum* disserit *Perer. 1. de nat. cap. 20.* Confer *Scalig. 3. de plant. pag. 86.* Ratius exinde sequitur: Deum non posse ex præsenti significatione totum dici, ut aliquoties dictum est. Valet autem hoc axioma etiam reciprocè. Nam quicquid partes habet, id recte dicitur totum. Et proinde si daretur infinitum in quantitate, recte illud diceretur totum, ut contra *Bitelomincum* disputat *Taurellus de ver. æterni. part. 2. pag. 530.*

Objicis: Continens est majus contento, ut *Scalig.* habet *exerc. 5. s. 3.* At totum est majus suis partibus, esto sit majus parte. *Resp.* Antecedens intelligi de eo, quod continet materiali, & crassâ aliquâ capacitate, quomodo vitro vinum continet. Hoc, inquam, & similia longiùs extenduntur, quàm quæ iis continentur. Alias *Scaliger* ipse ait, totum continere partes. *Locus*, inquit citato loco, *est locato æqualis.* Quamobrem

Quamobrem hoc ab illo dicetur contineri, sicut dicimus, à toto contineri partes, quibus tamen illud neutiquam majus est. Et rursus *lib. 4 de causs. ling. Lat. cap. 10.* *A toto*, inquit, *partes contineri, verum est.*

4. *Totum est maius parte.* Hoc natura principium est. Apud *Zubar. 1 post ad 21.* sicut & hoc: quod pars quæque prior sit toto, quod *Taurellus* habet *de ætern. pag. 520.* Pendetque utrumque ex solâ terminorum intelligentiâ. Quomodo autem huic non officiat illud: *Dimidium est plus toto*, expositum *in lib. sent. exerc. 15 art. 4.* 105

5. *Quod convenit parti, tribuitur etiam toti.* Ita habet *Thomas 3 part. q. 14 art. 8. Taurellus de rer. ætern. part. 1. par. 241.* Clarissimus *Jacobus Martini disp. 4. Metaph. q. 3.* Ita, sanctitas, doctrina, virtus, quæ conveniunt animæ, prædicantur de homine. Sic corruptibilitas corporis prædicatur de eodem. Et sic in aliis. Est autem observandum, hic partem & totum intelligi de parte integrali & essentiali, utroque his correspondente. Atque tum causa axiomatis clara est. Hæ scilicet partes identificantur cum suis totis. Unde hæc, quæ partibus conveniunt, necessariò etiam toti tribuuntur. Non autem intelligitur hic totum universale. Nam quæ de specie prædicantur, non idcirco prædicantur de genere. Veluti homini convenit rationalitas. At illa non convenit animali. Ubi tamen quod de singulis speciebus prædicatur, prædicatur etiam de genere, ut apparet per vim ratiocinandi per inductionem. 106

Deinde est observandum: totum & partes considerari vel formaliter, & quasi in actu signato, vel materialiter & quasi in actu exercito. Igitur axioma solum de posteriori considerationi intelligendum est. Nempe quod rei isti, quæ pars est, conveniat, id etiam (secundum eam partem) conveniat toti. At quod de parte ut sic prædicatur (ut sunt, *contineri in toto, constituere totum, &c.*) hæc toti non possunt tribui. Neque enim totum continetur in toto, aut constituit totum. Et sic in aliis.

Denique est observandum: Esse aliquas proprietates & attributa partium, quæ juncta toti, parium erroneas opiniones; veluti, si homo dicatur invisibilis aut incorporeus, aut simplex, propter animam talem, aut si Christus dicatur creatus, propter carnem talem; & hæc attributa non solent totis tribui, non tam ex repugnantia ipsorum attributorum, quàm

consuetudine. Confer *Thomam cit. loc.* Et adde *sup. cap. 8. n. 134. contra sens. exerc. 15. n. 6.*

107 6. *Partes sunt propter totum.* Et hoc intelligitur de partibus integralibus & essentialibus. In his igitur datur triplex ordo, secundùm *Thom. 1. par. q. 65. a. 2.* primò singulæ partes sunt propter suos actus, ut oculus propter visionem. 2. Partes ignobiliores sunt propter nobiliores, ut pulmo propter cor. 3. Partes omnes sunt propter perfectionem totius. Confer *1. secundæ. q. 90. a. 2.* Redditurque ex hoc illud axioma, quòd bonum totius sit præferendum bono partis, apud *Thomam 2. secundæ q. 65. a. 1.* ubi addit, membrum amputari posse, si sit noxium toti, veluti, si putredine inficiat reliquum corpus.

Quæstio. Potest etiam ex hoc axiomate reddi causa: *Cur Elementa cum sui permitie moveantur aliquando ad loca sibi incongrua,* veluti, aer, in cavernas cetræ aquæ in locum superiorem? *Resp.* Id fieri ab elementis ad conservationem mundi, cujus partes sunt. Hunc autem conservant prohibendo vacuum, per quod tollitur mundi coniguitas, in quo est mundi perfectio. Vacuum autem aliquando non prohibent, nisi egrediendo sua loca, in loca sibi inconvenientia & incongrua, ut dictum est. Vide *Collegium Conimbr. 4. Phys. cap. 9. q. 1. a. 5. Svalig. exerc. 11. sect. 1.*

108 7. *Totum non prædicatur de parte suâ.* Veluti anima non dicitur esse homo. Nec corpus humanum est homo. Intelligitur autem de prædicatione Synonymicâ. Nam alio modo prædicari potest totum de parte, veluti anima est in homine. Tum est advertendum excipi hic. 1. totum Universale, sive generticum. Hoc dicitur de parte, hoc est, specie suâ; Veluti homo est animal. 2. Totum integrale homogeneum. Hujus enim nomen (nisi sumptum sit ex partium similarium aggregatione) enunciatur de partibus. Veluti hæc pars aquæ est aqua. Ex quo apparet axioma intelligi de toto essentiali & integrali heterogeneo. Vide *Piccr. de Philos. cap. 7.*

109 8 *Pars non prædicatur de toto.* Sumitur ex *Arist. 4. Top. c. 5. sect. 6.* οὐδαμῶς ἐπὶ μέρους τὸ ὅλου κατηγορεῖται. *Nequaquam pars prædicatur de toto.* Quare corpus, *addit ibi Aristoteles,* non potest esse genus hominis. Item non dicitur, homo est anima, est caput. Igitur malè Pontificii genus Sacramenti aiunt esse rem terrestrem quæ est pars Sacramenti, ut est apud *Bellarm. lib. 1. de Sacram. c. 11.* Vide Dn D. *Meisner. part. 2. sub. phil. sect. 2. q. 15.*

Ramus

Ramus lib. 3. schol. Dial. c. 4. ex hoc axiomate reprehendit *Porphyrium*, quòd corpus animatum dixit genus animalis, ut superiùs etiam fecit *Aristoteles*. Est tamen hic observandum: *corpus* bifariam sumi, aliquando sumitur ad modum partis (quomodo hominem dicimus constare animâ & corpore) Et sic significat materiam solam. Aliquando verò sumitur ad modum totius (quomodo dicimus hominem esse corpus naturale) Et sic corpus animatum, vel potest significare materiam, ut idem sit quod corpus vel materia subsumens animam, tanquam formam. Hoc modo *Aristoteles* & *Ramus* rectè negant, hominis aut animalis genus esse corpus animatum; vel potest significare idem quod corpus naturale essentialiter informatum ab anima. Et sic rectè dicit *Porphyrius*, corpus animatum esse genus animalis. Confer *Zabarellam* 2. *de anim. mat.* c. 18.

An corpus rectè ponatur genus animalis.

Corpus bifariàm sumitur.

Cæterùm axioma intelligitur de quovis genere partium, excipiendo genus, quod est pars speciei, in quarum specie est totum aliquod Metaphysicum, compositum ex genere & differentiâ. Hæc enim pars dicitur de suo toto, veluti, Homo est animal, ubi animal prædicatur de homine. Et tamen est pars essentiæ humanæ. *Zabar.* quidem 2. *post.* c. 6. *col.* 10. existimat, genus nunquam prædicari de specie, in quantum ejus pars est. Sed convellitur & refellitur, quòd negari non possit genus in definitione considerari ut partem definiti. Nam partibus definitionis respondent partes definiti, per *Arist.* 7. *Metaph.* c. 10. Ergo in definitione genus prædicatur de specie definita. Synonymice nunquam.

9. *Pars partis etiam est pars totius.* Hæc quia manus est pars corporis, & digitus est pars manûs, erit etiam digitus pars corporis. Recte igitur *Petrus Fonseca* 1. 3. *Physic.* c. 5. *q.* 8. *sect.* 6. reprehendit *Proclum* dicentem, quòd partes manûs non sunt, quæ intereunt & corrumpuntur in mundo. Nam partes Elementorum invicem transmutantur atque adeò oriuntur & intereunt. Ergo igitur, si non sunt partes mundi, nec ipsa Elementa erunt partes mundi.

10. *Omne totum est aliquo modo multum, & non unum.* Est apud *Scaligerum exerc.* 6. *sect.* 2. intelligitur autem de materialibus partium, ex quibus componitur. Quia, ergo omne totum includit partes plures, ideò omne totum est multiplex. Alioquin tamen in toto, quod unum per se est, plures partes non officiunt unitati requisitæ, in esse ejus-

Nam plures partes conjunguntur per unam formam, & sic omne totum est etiam unum Ens.

11. *Posito toto ponuntur partes.* Ita recte infertur contra *Zaberellam.* Si cœlum est corpus, quòd etiam habeat materiam. Nam materia est pars corporis.

12. *Positis partibus simul sumptis vel unitis, ponitur totum.* Et contrà: Ita si quid habeat unitam animam corpori, id est homo. Si autem anima non sit unita corpori, non est homo. Disputant hic Theologi, ad *Lombard. l. 3. sent. dist. 22.* An ab hac regulâ excipiendus sit Christus, hoc est, An in triduo mortis, quo anima à corpore fuit separata, adhuc fuerit homo? sed istis relinquo.

112 13. *Totum quod perfectum est, est ex optimis.* Explicatur hoc axioma à *Colleg. Conimbr. lib. 1. de cœlo c. 1. q. 1. a. 7.* Ex *Thoma, Plotino, & Alense* sic. *Est ex optimis,* hoc est partibus, quæ toti aptè decenterque conveniant. Unde non habet hunc sensum, quasi quælibet pars simplicitèr optima esse debeat. Tolleretur animalis perfectio, si quælibet pars haberet dignitatem oculorum. Nec civitatis descriptio constaret, si omnes essent Senatores; aut Comœdia elegans esset, si omnes essent Heroës. Atque sic etiam mundus totum est perfectum, etsi partes aliæ aliis sint perfectiores.

113 Axiomata *de differentia.* 14. *Differentia non debet esse negativa.* Quia differentia fuit pars constituens cum genere speciem, ideireò hic eadem Canones de ea referimus. Igitur superius axioma sumptum est *ex 6. Topic. c. 6. Sect. 5.* Et *Scal. 2. de plant. p. 306.* Ita carere latitudine non potest esse differentia constituens speciem. Et quæ patet veritas axiomatis, ex officio differentiæ, quod est restringere genus, & dare *esse* specificum. At hoc non convenire potest non-Enti, quale est negatio.

Est tamen observandum, aliquando differentias negativas sumi, quæ veluti secundùm modum significandi (veluti quòd significantur nomine compositò ex *Græcorum*, aut IN *Latinorum* privatio) sint negativæ, alioquin tamen verè significent aliquid positivum. Et huc cogit quandoque defectus vocabulorum. Et sic irrationalitas est differentia constituens bestiam. Confer *Scalig. exerc. 65. s. 45.*

15. *Omnis differentia habet aliam sibi oppositam differentiam.* Est *Arist. 6. Topic. c. 6. Sect. 2.* Et patet, quia *omne genus à contrariis differentiis dividitur.* Ita differentia hominem constituens (rationalitas) habet

habere aliam sibi oppositam nempe irrationalitatem.

Hic observandum est: illam differentiam non necessariò opponi uni alii; sed si species duabus plures ex eodem genere sumantur, satis est si opponantur illæ differentiæ disparatè. Ita volatile, quod est differens constituens avem, opponitur pedestri & aquatili.

16. *Quæcunque est differentia speciei, ad eam habet genus potentiam. Arist. 6 Topic. cap. 6.* διαφορὰ πρὸς ἣν ἔστι τὸ γένος, hoc est, *differentiam veram esse de genere.* Intelligitque de singulis oppositis differentiis. Veluti rationalitas & irrationalitas sunt oppositæ differentiæ hominis & bestiæ. Ad has differentias, unum genus (animal) habet potentiam & indifferentiam, adeoque sic utraque istarum verificatur de hoc genere. 114

17. *Differentia non est species generis.* Sic *Arist. 6 Top. c. 6. Sect. 9.* οὐδὲν γὰρ ἦν εἶδος διαφορὰ γένους, *pravus fuit, qui speciem tanquam differentiam reddidit.* Veluti, qui convicium definiunt contumeliam cum irrisione. Nam irrisio est contumelia quædam. Quamobrem irrisio non est differentia, sed species.

18. *De nulla differentia prædicatur genus.* Sic *Porphyr. Isag. cap. 7. Sect.* 4. Differentiæ non continent genera. Sic & *Arist. 6. Topic. c. 6 sect.* 14. At sequitur expresse. Et proinde confirmatur, quod ens nobis possit habere differentias, per quas ipsum dividatur in differentias, atque adeò ipsum genus sit. Nam nihil potest esse differentia, quod sit non ens. Et proinde omnis differentia est ens. Adrepugnat differentiæ, ut de ea prædicetur genus suæ speciei. Vide locos citatos supra, *num. 67.* 115

19. *Genus non potest esse differentia speciei.* Est apud *Arist. 6 Topic. c. 6 sect.* 10 Ita esse *habitum* non potest esse differentia virtutis. 116

20. *Omnis differentia significat quale quid.* Est apud *Porphyrium Isag. cap. 2. sect. 13. cap. 3 sect. 17.* Et *Aristot. 6 Top. cap. 6 Sect. 10 11. Quale* autem hic intelligendum est essentialiter, ut significatur per adjectum, *Quid.* Unde, *quale quid* significare, est significare essentiam, ad Quæstionem Quale sic. Veluti si interrogetur *quid sit* homo? Nondum respondetur quòd sit rationalis. Adhuc si quæratur. *Qualis sit?* respondetur, quod sit rationalis. Vide *in lib. de Natur. Logic. cap. 3. n. 16.*

21. *Dif-*

117 21. *Differentia separat ea quæ sunt sub eodem genere.* Est apud *Porphyrium Isag. c. 3. sect. 18.* Tanguntur autem per hoc axioma duo. 1. quòd quæcunque differentiam habent, sint in eodem genere. Ex quo sequitur, quòd differentia iis non conveniat, quæ sub nullo sunt genere, quale quid sunt Deus, materia (quæ idcircò non differentia, sed diversa dicuntur ab *Aristot. 10. Metaphysicorum c. 12.*) negationes & privationes differentiæ ipsæ. 2. Quòd differentia, quę in genere conveniant, separet, hoc est, distinguat. Unde in omni re quæ differentiam habet, duo sunt. 1. Quòd convenit cum alia re in aliquo genere. 2. Quòd differat ab ea re, cum qua convenit. Et hæc posterior conditio fertur accepta differentiæ.

118 22. *Differentia non debet esse accidentalis speciei.* Est 6, *Top. c. 6. sect. 12.* Accidentalis autem hic non dicitur ea esse differentia, quæ significatur voce accidentis. Nam in accidentibus necessarium est dare differentias ex genere accidentium, tum etiam aliquando necessarium est accidentium vocabula sumere, ad significandas differentias substantiales in defectu vocum, quomodo ignis differentia est, quòd sit elementum calidissimum. Sed accidentalis differentia dicitur, quæ nō necessaria sed contingens est, adeóq; abesse potest à specie.

119 23. *Differentia non debet prædicari Synonymicè de genere.* Est 6. *Top. c. 6. Sect. 13.*

120 *Nec differentia debet prædicari de specie, 6. Top. c. 6. Sect. 15.* Sic rationalitas quę est differentia hominis, non enunciatur sic: Homo est rationalitas, aut *Johannes* est rationalitas.

[121] 24. *Differentia est posterior genere prior specie.* Est 6. *Top. c. 6. Sect. 16.* Et apud *Porphyr. c. 12 Sect. 5.* Illud patet, quia differentia generis suprà ponitur; Hoc, quia differentia est pars essentialis speciei, in proportione respondens formę.

122 25. *Differentia unius generis non debet convenire generi alii.* Est 4 *Top. c. 6. Sect. 17 18 & 1 Categ. c. 3.* Veluti rationalitas, si est differentia animalis, non debet esse differentia alterius generis. Est tamen observandum, differentiæ unitatem sumi non ex unitate vocis, sed ex unitate rei significatæ. Nam aliàs, quoad nomen una differentia potest pluribus rebus & generibus assignari. Veluti, etsi *rationalitas* sit differentia hominis, tamen etiam quidem Horizon in Astronomia, & quædam proportio vel quantitas in Geometricis *rationalis* dicitur. Et sic in aliis.

123 26. *Nulla species potest esse sine sua differentia,* Est 6. Top.

Top. c. 6. Sect. 12. Ἁπλῶς ἀδύνατον εἶναι ἕκαστον ἀναίρεσιν ὅλης διαφορᾶς: simpliciter impossibile est, esse aliquid sine propria differentia, & patet, quia speciei differentia est essentialis.

27. *Differentia omnis est immutabilis*, intellige, manente specie ἁπλῶς οὐκ ἀναιρεῖται καθ' ἁπλῆς διαφορᾶς. *Simpliciter non tollitur vel aufertur secundùm differentias*, ait *Arist. 6. Top. cap. 6. Sect. 22.* Huc pertinet & illud *Porphyr. cap. 12. Sect. 2. Differentia semper adest suæ speciei.* 124

28. *Relativi relativa, non absoluta est differentia.* Est *Arist. d. loco Sect. 23.* Sic scientia dicit relationem (ad actum & objectum suum unde etiam habet differentias relativas contemplativum, activum, & effectivum. 125

29. *Differentia cuique rei assignanda est, quæ ei naturâ convenit.* Est *ibi. Sect. 28.* Ita differentia oculi rectè assignatur quòd eo utamur ad cernendum. At non rectè strigilis, quòd eâ haurimus. Etsi enim strigili haurimus, tamen ad hoc naturâ suâ non est comparata. 126

30. *Differentia accidentium sumitur ex primo eorum subjecto:* Ait *Arist: 6: Top: c: 6 sect 15* Veluti peccat, qui prudentiæ differentiam assignat, quòd sit virtus hominis vel animæ; Nam primum est facultatis rationalis. Et secundùm hanc homo & anima prudens dicitur. 127

31. *Differentia communicatur ex æquo.* Est apud *Porphyr. cap. 13.* ubi hac in re æquiparat differentias & propria. Sicut ergo aliquis homo non est magis risibilis (quod proprium significat) quàm alter: Ita etiam non est magis rationalis (quod differentiam significat) quàm alter. Idem est quod dicitur *c. 14. Differentiam non accipere intensionem & remissionem.* Id tamen non est intelligendum de differentia illius speciei, quæ ipsa etiam intenditur aut remittitur. Nam cùm species ipsa intenditur & remittitur, etiam ejus differentia intendi & remitti potest, vide *Zab. de prop. necess. l. 2 c. 2.* 128

32. *Differentia, non reciprocatur cum eo, cujus est differentia*, Habetur apud *Porph. d. l. c. 13. Isag. sect. 4.* Estque hic observandum: differentiam referri ad duo. 1. Refertur ad genus, quòd differentiæ dividunt. Secundo refertur ad speciem, quæ à differentia ultimò constituitur. Igitur cùm differentia dicitur non reciprocari, intelligendum est id de respectu ad genus, non ad speciem. Nam cum sua specie reciprocatur. 129

33. *Differentiæ contrariæ non possunt misceri.* Est apud *Porphyr.* 132

Porphyr. in Isag. cap. 1, 4 sect. 5. Non potest eadem res esse rationalis & irrationalis. Et sic in aliis: Possunt tamen plures differentiæ subordinatæ eidem rei tribui, ut ait *Porphyr. cap. 12 sect. 6.* Homini duæ tribuuntur differentiæ, rationale & mortale. Sic hunc posteriorem locum interpretatur etiam *Albertus tract. 8, cap. 8.* & Colleg: *Conimbr. ad Porphyr. cap. 6. fol. 195.*

131 34. *Nulla differentia communis.* Est apud *Aristot. 1. de part. anim cap 3.* At, *inquis*, differentia est prædicabile sive universale. Ergo potest pluribus convenire. *Respond.* Differentiam, in quantum est differentia, restringere solùm & coërcere, & proinde sic tollit communitatem quam genus dicit. Et sic intelligendus est *Aristoteles.* Differentia autem est aliquid universale, & pluribus est communis, quatenus scilicet ipsa in suo genere aut specie refertur ad inferiores species aut individua.

132 35. *Partes similares habent idem Nomen.* Quomodo & qua cum exceptione intelligendum sit, vide sup. *num 64 sup. hujus* *De partibus similaribus.* *cap.*

133 36. *Partes totius similaris habent eadem attributa.* Explicatum est, *ibid. num. 46 seqq.*

134 37. *Partes similares habent eandem essentiam.* Vide ibid. *n. 49 seqq.*

135 38. *Quod est totum per accidens, non continet partes suas sub* *De toto per accidens.* *una essentia.* Sumitur *ex num. 51.*

39. *Sublatâ parte principali tollitur totum.* Sumitur *ex* 136 *num. 54.* Peculiariter hoc formæ tribuitur, quòd eâ sublatâ *De parte principali & minus principali.* tollitur esse. Concomitanter tamen vel consequenter tribuitur id etiam aliis, nempè adjunctis & partibus principalibus. Et his quidem, quia simpliciter necessarium domicilium formæ sunt. Unde quia forma non potest subsistere, nisi sustentata, in materia, principales autem partes sunt hæc ipsa materia idcirco sublatis his formam abire necessarium est.

137 40. *Quicquid tribuitur generi, id convenit etiam speciebus.* *De genere & specie.* Est apud *Porphyrium in Isag. cap. 7.* Et *Aristot. l. Categ. 63.* Intelligitur autem de genere & specie non sumptis formaliter aut in actu signato, sed materialiter, & in actu exercito. Nam loquendo formaliter de istis sicut genus non est species, nec species est genus, ita etiam alterutrius prædicata non pertinent ad alterutrum. Sic generi convenit communicare essentiam speciei, eamque constituere. At speciei non convenit

communicare

communicare essentiam speciei, & eam constituere. At præcisâ hac consideratione, sicut in re genus prædicatur de specie essentialiter (veluti homo est animal) ita etiam omnia prædicata generis (animalis conveniunt speciei (homini) veluti, ut homo dicatur sentire, esse mobilis, affectuosus. 128

44. *Negato genere, negatur species.* Est apud *Porph.* c 7 § 3 & c. 9 § 8. Ἀναιρουμένου δὲ τοῦ γένους, συναναιρεῖται τὰ ὑπ' αὐτό. *Sublato genere, tolluntur quæ sub eo sunt.* Plantæ non habent sensum. Ergò etiam tactum non habent. Cœlo non convenit anima. Ergò nec anima motiva. Sumitur autem veritas axiomatis exinde, quòd genus est pars essentialis speciei. At nulla res potest esse sine suis essentialibus. 129

45. *Omne genus tribuitur pluribus.* Sumitur ex definitione generis tradità ab *Aristot.* 1. *Top. cap.* 5. § 6. Intelliguntur autem per *plura* ipsæ species. Unde omne genus debet habere plures *species*. Et sic sapientia non est genus Metaphysicæ. Nam nulla alia disciplina potest esse sapientia, hoc est, scientia de primis principiis, præter Metaphysicam. Hoc tamen necessarium non est, ut genus semper *actu* plura habeat, in quibus sit. Neque enim de ratione Universalis est esse actu in pluribus, sed solùm aptitudo essendi in pluribus. Atq; sic aliquando genus potest in una sui specie salvari, quemodo natura animalis ante hominis creationem salvabatur in sola bestia. Et rursus, post consummationem seculi post interitum bestiarum salvabitur in solo homine. Intellige verò genus *secundùm essentiam suam.* Nam secundùm potestatem & indifferentiam suam in una specie non potest salvari, tum quia in specie, generis differentia restringitur tum quia impossibile est, duas contrarias differentias esse in eodem, ut suprà dixi, *cap.* 32. 130



46. *Omne genus prædicatur in quid est, de sua specie,* Sumitur ex eadem definitione, priori Canone memoratâ. Estque expositum *in lib. sent. d.* 17. *c.* 1. *& in lib. de nat. Log. c.* 3. *in ce comm. n.* 7. Ita igitur album non est genus nivis quia de nive non prædicatur in quid, sed in quale. Vide 4. *Top. c.* 1 § 3. 140

47. *Genus non debet prædicari conversim de sua specie.* Veluti Dialectica quidem est ars, sed non omnis ars est Dialectica. Est expositum *dictis locis.* 141

48. *Genus est prius specie.* Est apud *Aristot.* 4. *Top. c.* 2. *Sect* 12. & *Porph. in Isag c.* 7. *Sect.* 8. Et patet, quia genus est constitutivum speciei. Non est autem intelligendum de prioritate 142

dignitatis.

dignitatis. Nam species, quia supra genus habet differentiam, idcircò supra perfectionem generis habet etiam perfectionem ulteriorem, nempe quam dat differentia. Et propinde genere species est nobilior. Intelligitur igitur de priorítate naturæ. Et de ista priùs adducta est probatio. Deinde etiam de priorítate in cognitione distincta. Nam quia pars speciei est ipsum genus, idcircò ista distinctè cognosci non potest, nisi ipsum distinctè genus cognitum sit. Potest tamen contingere (ut Zabarell. monet lib. 2. de Meth. cap. 14.) ut species cognoscatur ante genus, quemadmodum Euclides lib. 4. Elementorum de lineis & superficiebus & postea lib. 5. de magnitudine in genere tractavit. Potest autem id fieri in duplici casu, 1. Si essentia generis sit per se nota, & nullâ declaratione egeat. 2. Si in speciei cognitione inveniatur inprimis cognitio affectionum earum scilicet, quæ species non sunt generalium proprietatum. Dicam hoc clariùs. Affectiones speciebus aliæ sunt tales, ut restringant generales proprietates; sic motus animalis est proprietas animalis; Hic est species alicujus generis proprietatis, nempe motûs simpliciter. Unde ista animalis proprietas non potest cognosci, nisi cognitâ ratione motûs simpliciter. Aliæ autem affectiones sunt peculiares speciei, & non restringunt generales proprietates, quomodo risibilitas hominis, calor ignis affectio est: Si hæ affectiones peculiariter considerandæ veniant in speciebus, non est necessarium priùs docere de genere, imò fieri potest, ut posteriùs, docentur de proprietatibus generalibus. Quomodo in partibus naturalibus, priùs agitur de sensu & sensili, memoriâ & reminiscentiâ, somno & vigiliâ, de insomnio & animalium motione quæ omnes affectiones sunt animalis, (indeque animal subjectum est in istis libris) quàm de longitudine vitæ, vitâ & morte, quæ generaliter pertinent ad corpus vivens, quod est genus animalis.

Generalia posteriùs quando cognoscantur quam specialia?

Affectiones specierum duplices.

143 46. *Cuique speciei convenit unum genus.* Καθ' ἕκαστον εἶδος ἓν γένος. Ita ait *Porph. isag. cap. 7. sect. 21.* Hac in re differt genus à specie & differentiâ, quod unius generis possunt esse plures species & differentiæ. At unius differentiæ aut speciei non possunt esse plura genera. Vulsi, si homo est sub genere animatorum, non est sub genere inanimatorum. Confer *Aristot. 4. Top. cap. 5. sect. 3.* Ex quo exemplo apparet, limitandum esse axioma ad genera opposita. Nihil enim repugnat, ut unius speciei sint plura genera subalterna,

su balterna, quomodo hominis genus est animal, & mistum & corpus naturale, & substantia.

Ex hoc sequitur non posse unam eandémque rem esse in prima & secunda & tertia specie qualitatis. Nam singulæ species sunt suorum inferiorum genera. Dixi de hoc *in lib. de nat. Log. c. 8. in commen. num. 19 seqq.* 144

47. *Genus continet species: At species non continet genera.* At *Porph. Isag. cap. 8. §. 4.* Hoc sic intelligendum est, Genus continet species, nempe *potestativè*. Hoc est, cum in genere sit indifferens & illimitata natura, idcircò species ejus sunt in ejus potestate, dum scilicet ista natura talis est, ut possit esse in utraque specie. Et hoc modo, hoc est, per potestativam continentiam, (ut sic dicam) species non continet genus. Cùm enim genus sit indifferens ad hanc & istam speciem, non potest sic esse in ulla specie: Nulla enim species habet potestatem, ut sit species alia. Aliàs tamen species continet genus, ut partem secum differentia constituentem. Dicam breviter: *Genus continet species, ut totum universale partes suas. Species continet genus, ut totum essentiale partes suas.* 145

48. *Affirmato genere non affirmatur species.* At affirmatâ specie, affirmatur genus. Est apud *Porph. cap. 8. §. 7. ἐὰν ὁ ἄνθρωπος ἐστὶ ζῶον, οὐκ ἀνάγκη καὶ ἵππος ἐστὶ ζῶον, οὐδὲ ἐὰν ἵππος ἐστὶ ζῶον, ἀνάγκη καὶ ἄνθρωπος ἐστὶ ζῶον.* Veluti non sequitur à genere. Ille habitus est ars. Ergò est Dialectica. Vel, illud corpus est animal. Ergò est homo. At sequitur à specie. Illa res est Dialectica. Ergò est ars. Illud, corpus est homo. Ergò est animal. Et sic in aliis. Huc pertinet quod *Aristot. 4. Top. 5. Sect. 4.* ait in eodem subjecto esse genus & speciem, veluti in quo est albedo, in eo est etiam color. Est tamen advertendum, etiam à positione generis valere consequentiam ad positionem speciei, si speciem sumamus confusè: Juxta illud: *Quicquid præscribis sibi genus, præscribis etiam sibi aliquam speciem.* Unde, si aliqua res sit animal, necessarium est, ne sit etiam rationale vel irrationale, hoc est, homo vel bestia. Atque hoc quomodo plane intelligendum sit, dixi *in lib. suum exerc. 18. num. 5.* 146

49. *In nulla specie potest esse genus generalissimum, nec genus speciei specialissimæ.* Est apud *Porphyr. d. c. 8. Sect. 10.* Conveniunt aliquando in eandem rem genus & species, unde & species *subalterna*, & genus *subalternum* dicitur. Specialiter tamen vera constituitur, 1. Nullam speciem posse esse genus 147

generalissi-

generalissimum. Id patet: nam omnis species est sub genere. At generi generalissimo non convenit genus. II. Species specialissima non potest esse genus. Ita patet. Nam omne genus est divisibile in species. At species specialissima non est divisibilis in species. Intelligendus autem hoc est secundum diversas opiniones *Ramaeorum* & *Aristotelicorum*, de voce species specialissimæ, proportionaliter ad significationem speciei, quam utraque secta amplectitur. Alias enim quod species specialissima dicitur *Aristotelis* id genus dici posset, si vocum mutatis mutandis more *Rami*, ut patet ex superioribus ad alios locos.

148 50. *Genus æqualiter prædicatur de speciebus suis.* τὸ γένος ὁμοίως κατὰ τῶν εἰδῶν, ait *Porph.* Intelligendum autem hoc de genere univoco.

149 *Genus non retinet eam speciem, cum qua est in æquiparantia.* Ait *Porph.* Intelligitur ex

150 *Generum diversorum, quorum alterum alterius continetur, diversæ sunt differentiæ.* Ita apud *Aristot.* Ita nobis possunt esse eædem differentiæ animalis & lapidis. Idcirco autem differentiarum non est æstimanda ex eadem magnitudine, quibus ea significatur, sed ex eadem rebus significatis, videlicet ut supra.

151 *Genus convenit omnibus speciebus sub se contentis.* Est *Aristot. Top.* Ita bonum non est genus voluptatis si aliqua voluptas non est bona.

152 *Genus non debet esse sui differentiæ differentia.* Ita *Porph.* Ideo animal non potest esse genus

153 parietis quia potest abesse paries animal. 55. *Genus & species debent esse de eodem prædicamento.* Sub eandem divisionem ejusdem cum differentia cadere genus & speciem, sive enim species sit substantia, etiam genus, si substantia; sive species sit quale quippiam, etiam genus est quale quippiam, &c. ait *Aristot. Top.* Sic ergo non videtur posse definiri locus, quod sit superficies. Cum hæc sit quæstio, alle sint in prædicamento habitus. Huc pertinet, quod *Aristoteles Topicorum* scripserit habitum non esse rationem ad aliquem, sed relationem ad habitum.

De *relativis* hic dubitatio incidit. Hæc enim dicuntur ex prædicamentis absolutis, veluti quod Magistratus sit

homo

bantes negent, &c. Hic *Respondeo*, Cùm relativa concretivè sumantur, connotent absolutum, & proinde non sunt præcisè relativa, sed ex parte Entis absoluta. Talia sunt, *pater*, *dominus*, *servus*, *filius*. Unde nihil absurdi est, illa genera habere absoluta. Prout in aliis etiam concretivis accidentalibus sumitur genus alterius prædicamenti. Veluti *calidum* (qualitas concretiva hoc est) *est corpus* (hoc subsistantia est) habens calorem. Unde cùm *Arist. ait loc. cit. 4. Top. c. 4. Sect. 7.* relativorum genera esse etiam relativa, dicendum est ibi *relativa Aristotelem* dixisse pro *relatione*, sicut alibi etiam *quale* sumitur pro *qualitate*, & *quantum* pro *quantitate*. Hoc autem verum est, relationis genus esse relationem. Talia sunt ipsa *paternitas*, *filiatio*, aliaque.

56. *Omnis species recipit generis sui definitionem.* Est apud *Arist. 4. Top. c. 2. Sect. 6.* Et *c. 2 Sect. 4. Τὸ εἶδος ἅπαν τὸν τοῦ γένους λόγον.* Ergò si Dialectica est ars, tum etiam est habitus cum recta ratione effectivus. Hæc enim est definitio artis apud *Arist. 6. Ethic. c. 3.* Si actio est accidens, etiam est Ens in alio, hoc non *ex vi nominis*. 154

57. *De quocunque dicitur species, de eo etiam dicitur genus.* Est *4 Top. c. 1. Sect. 7.* Ita Ens non est genus opinabile. Nam opinabile dicitur etiam de non-Ente, quia multa opinabilia sunt, quæ non sunt. At Ens non potest dici de non Ente. Igitur si aliquid sub nulla specie istius generis sit, etiam non erit sub illo genere. Veluti si anima non est numerus par vel impar, etiam non est numerus simpliciter. Confer *4 Top. c. 2. Sect. 11.* 155

58. *Quicquid est generis particeps, id etiam particeps est alicujus speciei.* Est *ibid. Sect 8.* Ita si voluptas est motus, tum est vel generatio, vel corruptio, vel alteratio, vel augmentatio, vel diminutio, vel motus localis. Unde si nihil horum sit, ne quidem motus erit. Confer *can. 47 in fine.* 156

59. *Nulla species debet esse latior suo genere.* Est *4. Top. c. 2. Sect. 1.* Sumiturque ex *can. 55.* 157

60. *Genus & species non possunt æquè latè patere.* Est *4. Top. c. 2. Sect. 10.* Et idem est cum *can. 44 & 52.* 158

61. *Quicquid est genus id convenit omnibus non differentibus specie.* Est *4. Top. c. 2. Sect. 10.* Et patet, quia hoc ipso quòd non differunt specie, conveniunt in eodem genere. Unde si probatum sit, corpus non esse genus bestiæ, etiam probatum est non esse genus avis. Et vicissim. 159

62. *Cùm uni speciei conveniunt plura genera, alterum* 160

sub illo continetur. Est 4. Top. c. 2. Vel ut dictum est, genus est animal & corpus naturale. Hic igitur animal continet etiam corpus naturale. Sic si loci genus ille habitus, non potest ejus genus esse superficies. Nam neutrum horum sub alterò continetur.

161 63. *Quicquid est genus generis, est etiam genus speciei.* Est 4. Top. c. 3. sect. 5. Consectarium supra in communem.

162 64. *Quod genus est, non debet esse dissentaneum.* Aristot. 2. Top. c. 5. Igitur hominis genus non potest esse scientivum. Et patet quia de ratione generis est, praedicari in *Quid*. Sic omnis differentia praedicatur in *Quale*. Sic febris in calore.

163 65. *Nulla species est partium per genera contrariorum.* Est 4. Top. c. 3. sect. 1. Ita sic coelum est sub genere, verum animatarum non potest dici animal, aut alias res animata.

164 66. *Nulla species habet conditiones repugnantes generi, ejusve, principiatibus.* Est 4. Top. c. 2. sect. 2. Ita Numerus non potest esse genus animae, quia animae convenit esse virtutem partem. Ad hoc repugnans numero. Intelligendum autem est de eo quod sit per se. Nam per accidens fieri potest, unde in specie ponatur defectus contra quam sunt generales inclinationes generis, quemadmodum animalia ex pura materia genita non possunt generare, quod convenit eis ex inclinatione generis, nec est contra rationem. Vide *Zabarel. de fac. num.* c. 11.

165 67. *Genus non debet esse Chimaphoricum.* Est 4. Top. c. 5. sect. 5. Igitur temperantiae genus non est, dicitur contemptus, aut animae mors.

166 68. *Conjugatorum eadem sunt genera*, ut si scientia est justitia, etiam scienter est juste. Est 4. Top. c. 1. sect. 4.

167 69. *Habitus & privatio non sunt in eodem genere.* Ibidem sect. 7. Igitur si probatum sit visum esse sensum. Probatum est coecitatem non esse sensum. Unde cùm frigus & calorem ab alterò sint in eodem genere, sequitur, neutrum esse privationem.

168 70. *Genus non praedicatur de specie secundum quid, & quidditative non.* Est Arist. 4. Top. c. 5. Sic homo non est animal quodammodo. Sic Dialectica quodammodo ars. Habitus igitur vel species non est genus privationis, quae privatio est.

169 71. *Pars essentialis aut integralis non potest esse genus.* Est 4. Top. c. 5. sect. 6. vide supra 8.

170 72. *Quod est in pluribus generibus non dicitur ad unum*

genus sit ens. Videtis peccare, qui velint eam rem definire, quæ nihil sit, cum etiam quidam equivoce dicantur substantia, quæ quædam alia æquivoce. Rerum per accidens quinque non licet rigore logicæ numerare, nec genera nec species.

77. *Subjectum non est genus adjuncti.* Est 4. Top. 6. sect. 171
Ita immortalitatis genus non est vita æterna, quia illius hæc subjectum est. Sic lata non dicitur rubea, quia color, qui in ea est figura, non prædicatur de adjuncta rubedine. Ita malè dicitur ignis, quia calor naturalis proprius ipsi ignem, cum febris sit in calore. Sic color proprie non est extensus, qui tamen dicitur de superficie. Sensum esse aerem ictum, vel percussum. Apud Gallos. Nostri dicunt.

78. *Quod unius habet esse genus, non est genus alterius.* Est 4. Top. 6. sect. 172
Ita albedo non est genus nivis. Et propter quia adjunctum prædicatur in quid sed in quale: quale non potest esse genus.

79. *Quod unius habet esse genus, non est genus alterius.* Est 4. Top. 6. sect. 173
Ens non est genus. Ens non est genus. Alias non esset omnium rerum genus, quia de omnibus prædicatur. Et quæritur quid etiam sua genera sint ens, quod omnia dicitur de omnibus. Nulli rei attribuitur genus excepta suis speciebus. At ens quidam genus esse vult absurdum. Nam cum etiam unum dicatur de omnibus rebus, idcirco unum & ens æquevalent. Ita species paronymis attribuitur, quàm genus. Ita *Aristoteles*. Et sic etiam 2. *post.* 6. negat. Ens posse esse genus.

80. *Si genus recipit intensionem, etiam species debet intendi.* 174
Et contra, si species non potest intendi. Est 4. Top. 6. sect. 7.
Sic Aristoteles triplicem dixit remitti, ejusmodi justitia, potest intendi & remitti.

81. *Quæ non possunt esse genera, nec species.* Est 4. Top. 6. sect. 18. Ergo 175
negationes aut privationes non possunt esse genera, de quo in Commentariis Isagogis.

82. *Omne genus est simplicius specie.* Ita patet, quod species habet differentiam, unde in specie resultat compositio ex genere & differentia. Vide Zabarellam de primo l. 2. c. 19. fol. 216. & l. 20. fol. 230. 176

83. *Omne genus est compositum.* Hoc genus occurrit apud Averroem, vide Zabar. l. 2. de primo c. 19. fol. 220. ubi explicat genus generalissimum, quod est simplex, ut esse 177

supremum genus, & esse compositum ex materia & forma (De hac enim compositione loquitur Averroes) sit contradictio. Nam omne habens materiam & formam habet partem communem, & propriam quæ istam restringat. Unde se hoc ipso habet differentiam. At quod habet differentiam non est ideo etiam habet genus. Generi autem generalissimo repugnat genus.

178 80. *Genus est forma specierum.* Est apud *Arist.* 7. *Metaph.* c. 12. Aliàs etiam genus dicitur materia, sed id expositum est *in lib. seu. An.* 18. Adde *Zabarell. d. l.* Et *Collog. Conimbr. in Porph. de Genere q. 1. art. 1. p. 198.*

179 81. *Genus est aliquid æquivocum.* Circumfertur vulgò hoc axioma & sumitur ex *Arist. 7. Phys. tex. 4. t. 31.* ubi ait *Arist.* Τὸ γένος ἐκ τῶν πολλῶν ἐστιν ἀνάγκη εἶναι. *Genus non est unum quid, sed sub eo latent multa.* Dicitur autem genus non esse unum sed multa, loquendo de ejus potestate, secundùm quam significat multas species.

180 *Quomodo genus sit æquivocum?* Cæterum quomodo genus æquivocum dicatur, variè interpretantur *Conimb. ad Porph. de genere quæst. 2. art. 2. p. 199.* quibus adde *Fonsec. 5. Metaph. c. 8. q. 4. sect. 2.* Optima tamen est sententia, quam idem *Conimbr.* habent *7. Phys. Aristotelis planat. l. 31.* quod scilicet genus dicatur æquivocum *solùm per similitudinem*, quia res valdè diversæ sub se continet, non secus ac æquivoca à casu. Sic animal comprehendit hominem, canem, ursum, piscem, avem, vermem, aliaque.

181 82. *Quæ sunt species diversa, necesse est, esse in eodem genere.* Est apud *Arist. 10. Met. c. 8.* Intellige remoto vel propinquo.

182 83. *Genus est materia eorum, quorum est genus.* Est apud *Arist. d. l.* Esto, intelligendum solùm κατὰ ἀναλογίαν. Genus enim est simile materiæ prout scilicet hæc restringitur per formas, ita istud per differentias. Vide *sup in comm. n. 21.*

183 *De specie infima.* 84. *Inf. a speciem infimam nihil est, de qua ipsa prædicetur essentialiter.* Species infima nobis idem est quod individuum. At hoc nihil habet se inferius. Prædicari autem essentialiter est hic per modum generis aut speciei prædicari de inferiori. Atque hoc intelligit etiam *Arist.* cùm ait, à substantiis primis non esse prædicationem *l. Categ. c. 5. sect. 15.* Et *en prior. c. 27. sect. 3.*

148 *Objicis:* Deus est aliquid singulare, & unum numero, & tamen prædicatur de aliis, velut Pater est Deus, Filius est Deus,

Deus, & Spiritus Sanctus est Deus. At *Goslenius* quidem, *l. 3. resolutionis contra Keckerm. c. 4.* Ex hoc principio negat Trinitatem, quia scilicet essentia divina eo ipso, quia est individuum, est aliquid incommunicabile. Sed nos *respondemus.* 1. In casu mysterio si non appareat, quid Philosophematibus resistere possit, num idcirco ipsum deserendum est. Est enim ἀρετὴ. Ut *Justin*, ait *in expositione tom. 3 p. (mihi) 27. 2.* Deus non recte dicitur species infima, etsi dicatur recte aliquid singulare. 3. Respondeo tamen ad rationem principalem. Divina natura (verba sunt *Suarez, in disp. 5. Met. s. 1. n. 6.*) est ita in se una, ut multiplicari non possit, aut in plures similes dividi: quod alia sit communicabilis tribus personis, atque adeo de illis prædicabilis, quia communicatur eis, non ut universale singulari, neque ut superius inferiori, sed ut forma seu natura suppositis, in quibus ipsa, nec ab ipsis nec à se ipsa dividitur, quia propter infinitatem suam tota est in singulis & in omnibus simul, omnino indistincta ab illis. Atque hinc *Richetus ad 1. dist. 24. q. 4. in initio*, solum in creaturis verum esse ait, quòd singulare sit incommunicabile, quia ut dictum est, tota causa illius communicabilitatis sumitur ex infinitate, quæ creaturis non convenit. *Scotus* de hac re non ita *disertè*, loquitur *1. dist. 23. q. 4.* dicens, divinitatem communicari tantùm per identitatem, non (per diversitatem, sicut homo communicatur *Petro, Paulo*, alisque, unde diversa est humanitas in *Petro, Paulo*, alisque (idque propterea quòd natura divina sit simpliciter indivisibilis, nec possint plures dari divinitates.

Aliàs individuum potest prædicari vel negativè, ut: *Cullius non est Socrates*, vel per accidens, ut *Caudatum album est Socrates.* Vide *Aristotel. 1. prior. cap. 27.* §. 2.

CAPUT XXIX.

De distributione totius in partes.

1. Distributio est resolutio totius in partes. Dicitur etiam divisio.

2. Totum hic vocatur divisum, vel distributum. Partes membra dividentia.

3. Distributio totuplex est, resolutio totum & partes.

4. Est ergò distributio primaria vel secundaria.

5. Primaria est totius primarii, secundaria secundarii.

6. Ergò primo est distributio *totius integralis*, qua hoc totum

cum resolvitur in partes integrales: *Homini pars alia est caput, alia thorax, alia pes, brachia, &c.*

§. III. Distributio *totius essentialis*, qua totum essentiale resolvitur in partes essentiales, ut *hominis pars alia est anima, alia corpus: Item hominis pars alia est immaterialis, alia materialis &c.*

§. III. Distributio *totius universalis*, qua genus resolvitur in species, *ut animalium aliud est homo, aliud est bestia.*

7. Atque hæ sunt divisiones primariæ, sequentur divisiones secundariæ.

10. IV. Est distributio efficientium per effecta aut effectorum per efficientia, *Studiosorum alii legunt, alii scribunt, alii opponunt, alii respondent. Item Legentium alii sunt studiosi, alii rustici, alii mercatores.*

11. V. Est distributio efficientium per fines, & finium per efficientes. *Ut: Prædicatorum alii prædicant spe lucri, alii spe gloriæ, alii ut convertant audientes. Item prædicantium spe lucri, alii sunt hypocritæ, alii lupi.*

12. VI. Est distributio subjectorum per adjuncta, aut adjunctorum per subjecta, ut *Hominum alii sunt docti, alii rudes: alii sani, alii ægri: alii pingues, alii macilenti, &c. Item doctorum alii sunt Peripatetici, alii Academici. Hominum alius est Europæus, alius Asiaticus, Hominum alii occupantur in re militari, alii in vehitura, alii in mercimonio, alii in studio literarum.*

Commentarius.

Sciendum inprimis multa ad hujus capitis doctrinam peti posse ex cap. priori, nempe distributio totius essentialis poterit illustrari per ea, quæ ibi dicta sunt de toto essentiali & de cæteris. Unde hic etiam subintelligi possunt Cautiones aliquæ. Nam quod, v. g. hic dicit posse dividum (in toto universali) debere esse ejusdem prædicamenti cum partibus dividentibus, est idem cum eo quod genus & species debeant esse ejusdem prædicamenti. Et idem est in cæteris. Aliæ tamen sunt addenda.

De Divisione & Distributione.

Igitur notandum est vocem Divisionis quinque modis sumi. 1. Sumitur pro distributione, quæ est, secundum partes quantitativas vel integrales. Et hic dicit posse, totum esse indivisibile, intelligendo divisibilitatem de divisione secundum quantitatem. 2. In oppositu aliquando, divisio opponitur

partitioni,

partitioni, hoc est distributioni in partes integrantes. *M. Tullius*, inquit *Scalig. 1. de plant. pag. 148.* Partitiones dicit quæ de toto sunt cum in eas ipsum secundimus, quas vulgus partes integrantes vocat. Divisiones autem cum deducimus, atque locamus genera in species. 2. Divisio opponitur subdivisioni & superdivisioni, & hæc divisio est prima rei sectio seu resolutio. Ulteriores autem distributiones non divisiones sed subdivisiones vel superdivisiones dicuntur. vide *Damasc. in Dial. cap. 6.* Cui subdivisio est alicuius membri dividentis divisio. Superdivisio autem est alia divisio posti priorem. Veluti substantia est corporea vel incorporea est divisio. Ac substantia corporea est simplex, vel mista, est subdivisio. Hæc autem substantia est prima vel secunda, est superdivisio. 3. Divisio opponitur distinctioni. Et hæc distinctio est vocis resolutio in sua significata. Divisio autem est resolutio rei. De distributionis vero nihil notandum superest.

II. *De variis generibus distributionis.*

1. *Distributio totius essentialis.*

3 *Damasc. Dial. cap. 6.* hanc & sequentem distributionem vocat simpliciter distributionem totius in partes, sæpe enim sumitur vox totius & partium specialiter, & per synecdochen pro illo toto quod ex partibus essentialiter constituitur, unde hæc partes sunt illæ quæ essentialiter constituunt. De quo dixi *supr. cap. in comm. n. 6.* Ego nunc speciale nomen usurpavi totius essentialis.

4 Quemadmodum autem prius dicebatur, totum essentiale dici tum respectu materiæ & formæ tum generis & differentiæ: hic eadem distributio dicitur in ea latitudine intelligenda est, ut dicatur totum aliquod dividitur in materiam & formam, cum totum quando totum dividitur in genus & differentiam, prout exempla in theorematibus posita sunt. Ita solet vocari quæ libuerit hylica, hæc Metaphylica. Illue *Fonsec. lib. 4. Instit. Dialect. cap. 4. & 5. & lect. supr. cap. 26. in comm. n. 9 10.*

2. *De distributione totius integralis.*

5 Hæc distributio solet specialiter dici *Partitio.* Reperendumque adhuc est quæ tuba. 18. dixi *in comm. n. 6. 25. seqq.* Ac quæ adeo exinde nunc partitio est cum aliquod totum resolvitur in partes similares aut dissimilares principales aut minus principales, de quibus ibi dictum.

2 *Distributio totius Universalis.*

Divisio hæc est *divisio generis in species*, cum genus distribuitur in species. Genus enim est totum universale, quod dicitur *dividi in partes subjectas*, quia species sub genere continentur, quotiescunque animal constat ex genere & specie. *Ramæi* dicunt *distributionem ex effectis*. Species enim sunt quasi effecta generum, eo ipso quod genera essentialiter & intrinsecè suas species constituunt. Talis distributio est cum animal distribuitur in hominem & bestiam. Bestia in avem & piscem, &c. Metallum in aurum, argentum, stannum, &c.

7 *Indicia divisionis in species.*

Ulterius accuratè observandum est, quænam dividentia vere sint species. Sunt enim valdè multa divisa, quæ similitudinem habent cum divisione generis, & tamen revera non sunt divisionis genera. Id autem ex quatuor indiciis deprehendi potest. I. Si non possunt dari differentiæ, per quas aliquod genus restringatur. Nulla enim species potest esse sine differentia specificante. Ex hinc colligitur non esse divisionem generis, cum Ens distinguitur in substantiam & accidens. Nam substantia & accidens non possunt habere veras differentias. Nam de ratione veræ differentiæ est secundum *Arist. lib. Top. cap.* 5. ut de eo non prædicetur genus illius speciei, quam constituit. At fieri non potest, ut sit aliquid hujus differentia, quod non sit Ens. II. Deprehenditur, si præsumti distribuentes non differant essentialiter, sed accidentaliter, aut alia ratione. Sic non est divisio generis, cum quantitas dividitur in bicubitam & tricubitam. Hic enim hæc divisio fit secundum majorem vel minorem extensionem. Majus autem & minus non faciunt discrimen essentiale. Sic etiam non est divisio generis, cum animal dividitur in marem & fœminam. Nam distinctio secundum sexus diversitatem est accidentalis, quia sexus varietas fit solum secundum diversas dispositiones materiæ; Idem judicatur in similibus. III. Deprehenditur, si differentiæ distribuentes sint extraneæ generi, sicuti cum ars distribuitur in liberalem & illiberalem. Nam hæ differentiæ sumuntur ex diversitate usuum, aut etiam ex diversitate possidentium, per quæ non variatur ratio efficiendi, in quæ tendere esse artis.

Porro apud *Ramæos* est præterea divisio speciei in individua, vide ipsum *in Dialect. cap.* 6. Sed hæc pertinet ad divisionem generis in species.

8 Deinde observandum est, Tres istas fieri posse distributionem

tionem generis in species? Si vis proxime in ipsas species, ut animalium divisio in bestias, &c. Si vis in differentias specierum, ut dicitur animalium aliud rationale, aliud irrationale, &c. dividatur genus per differentias speciales, ut animalium aliud est rationale, aliud irrationale. Sed hic inquirendum est, quod ad hanc rem pertinet. 9

Trifariam fit divisio generis in species.

Genus recte dividitur per differentias.

De hac quæstione variæ disputant Aristotelici, Vide *Suarez in Met. in Index. tract. 6. sect. 2. cap. 3. Conimbric. lib. 4. Introd. Log. cap. ult. & Oceam. Gauberum lib. 2. de Met. & Joh. Regium Log. disp. Legale divisum. pag. 506. &c.* 10

Est autem observandum, Imperium duplex genus esse divisorum in quibus ponitur differentia, Cum differentia communior dividuntur per differentias speciales, ut sensibilium aliud est rationale, aliud irrationale. Cum genus ipsum dividitur per differentias, ut animalium aliud est rationale, aliud irrationale. 11

Fundamentum igitur cur aliqui hanc divisionem reiciant, est quod nulla differentia sit alia essentialis, unde sequitur nec differentiam communiorem esse essentialem specialiori. Et proinde non dicitur sensibilis est rationalitas, aut rationalitas est sensualitas. Quia neque aliud genus est essentiale differentiæ suæ speciei, ut proprietas *Arist. 1. Top. c. 5. 6.* Differentiam non debere esse speciem generis. De quo *supra* n. 12. Aut quicquid est eorum universale, id debet esse essentiale partibus, sive subjectis. 12

Divisio debet fieri in integras essentias. At solæ differentiæ non sunt essentiæ specierum. Ergo in eas non recte fit divisio. Assumptum patet. Nam essentia rei includit differentiam & ejus subjectum. Et ratio *veri* est, cui similes sunt cæteræ. 13

Sententia Auctoris.

Dicendum tamen est Non male dividi genera per differentias, quidquid sit de differentia generaliori significet genus, & postea per differentias speciales dividatur, prout *Aristoteles docet lib. 7. Metaphys. cap. 12.* oportet, inquit, *dividas differentiâ differentiam*. Est tamen observandum differentias illas summendas esse non in abstracto sed in concreto, atque cum connotatis generum, quæ sunt subjecta differentiarum. Ergo cum rationale, & irrationale dividunt animal rationale & irrationale, non sumuntur abstracte, pro rationalitate & irrationalitate, 8

nalitas: esse enim & rationalitas non sunt animal, sed sumuntur concretè. Ideoque rationale est, ens habens rationalitatem, & irrationale est, res habens irrationalitatem. Res autem ista est animal. Ex quo magis sensu istius diuisionis iudicium est de materia, diuisionem istam, animalium aliud est animal habens rationalitatem, & aliud est animal habens irrationalitatem. Neque enim hoc modo intelligitur differentia diuidentes, apparet nihil nullius esse momenti.

14 *Soluuntur obiectiones.*

Nam 1. Genus quidem non est essentialis sua differentia in abstracto sumpta, veluti animal rationalitas: At genus tamen est essentiale sua differentia concreta sumpta, veluti animal habens rationalitatem, ut patet. Eodemque modo differentiæ istæ concretè sumuntur, non significant differentiam præcisè, sed eum rem cum subiectum huius differentiæ. At 2. significatum tota essentia, ut patet. Quæ

15 De his ferè nihil dicendum superest, postquam per exempla in Theorematibus posita singula sunt dicta. Aristoteles vocant eas diuisiones per accidens. Hos enim casus possibiles sunt modo esse, quem sunt modi eorum argumentorum ex quibus sumuntur. Veluti cum subiectum sit vel inhærentiæ, vel adhærentiæ, vel separationis: ideo distributio adhibita per subiecta enumerans, vel subiecta inhæsionis, ut alborum aliud est homo, aliud bestia: vel subiecta adhæsionis, ut gaudentium alii sunt duces, alii milites: subsidiarii vel subiecta occupationis, ut studiosorum alii versantur in rebus Theologicis, alii in iudicis, &c. Et sic de aliis.

16 Hanc diuisionem vulgò proponunt Aristotelici. Vide B. Damascenum in Dialect. cap. 6. Fonsec. lib. 4. Inst. Dialect. cap. 7. aliosque. Hujus diuisionis exempla sunt. Fluuiorum alia sunt fœcolenta, alia limpida. Arborum quædam dura sunt, quædam mollia. Pomorum quidam leues sunt, quidam asperi. Bonorum alii justi sunt, alii fortes, alii temperantes. Sed diuisionis modus est supervacaneus & inutilis. Idque ex duobus. Quia nulla datur Logica inter accidens & accidens, sive adjunctum & adjunctum, sub his appellationibus, sed solum Logica refertur accidens, sive adjunctum ad subiectum. Est enim diuisio est inter argumenta

quem verum esse Logicum ad id usque habendo. Quæ facile reducuntur ad alios modos divisionis. Regula enim, verba grauia, ut subiectum, per frigidum enim intelligitur res illa, quæ habet frigiditatem. Magis autem subiectum est secundum vel humiditatis. Pertinet itaque illa frigidi distributio per siccitatem & humiditatem ad divisionem subiecti per adiuncta. Et sic alia etiam. Et sic etiam doctissimus Regius lib. 2 disp. Logica problem. Utrum sit per se ait accidens dividi per accidentia, non secus ac subiectum variaque divisum inducere cinquam mutuam subiecti.

6. An addenda sit divisio substantiæ in Accidentia?

Bannes. in Dial. tract. 7. habet peculiarem modum dividendi, quem sic vocat. Sed advertendum est hic, Substantiam vocari non semper sumi prædicamentaliter, ut sit idem quod per se subsistens, sed aliquando Topice, ut sic loquamur, sumitur. Estque tunc idem quod subiectum. Hoc sensu Arist. 1. post. c. 178. quatenus eam appellat substantiam, i. e. subiectum, ut exponit Zabar. lib. 4. de Anim. cap. 14. Ex quibus dico: Vocem substantiæ hic pro subiecto sumendam esse. Nam omnis divisio sumitur ex argumento alio, propter quod Ramus divisionem argumentum totum appellat. Substantia autem prout prædicamentaliter sumitur, non est argumentum sive locus Dialecticus, cum quis substantia est aliquid absolutum, cum scias quis nunquam solent propositiones aut Syllogismi resolvi sic, ut dicamus hic vel ille Syllogismus procedere à loco substantiæ, aut in hac vel illa propositione esse argumentum substantiæ & accidentis.

17

18

Summatim ergo divisio substantiæ in accidentia, est nihil aliud quam divisio subiecti per adiuncta, ut homorum alii sunt albi, alii nigri, item alii pauperes, alii divites, alii sani, alii ægroti, &c. Hanc igitur divisionem comprehendimus sub secundariis divisionibus.

7. An addenda sit divisio voci.

19

Ita docent Aristotelici aliqui. Loquutum quatenus simpliciter vox resolvitur, cum etiam quatenus indicatur ratio requisitorum. Et hoc posteriori modo vocant divisionem per accidens. Tales divisiones sunt: Acutum aliquando significat acutum figura, aliquando asperum acutum, aliquando sonum acutum. Et acutum aliquando significat id quod simile tactui, & aliquando quod stimulat auditum.

Sed

Sed hæ divisiones à nobis suprà discutiendæ sunt. Nunc enim ago de omnibus rebus, non nominibus. Unde dispositionem vocis non tam divisionem quam distinctionem dico. Vide de hac suprà c. 27.

CANON V.

20 *I. Divisio & divisum debent esse reciproca, ut.* Animal est homo vel bestia. Et quicquid est homo vel bestia est animal. Est autem hic observandum. 1. Inprimis axioma hoc intelligi de divisionibus primariis.

21 Id. Sæpè fiunt divisiones per nomina communiora, quæ quidem nomini toti sunt adæquata, veluti cum substantia dividitur in primam & secundam. Nam primum & secundum dividunt etiam qualitates, ut earum alia sit prima, alia secunda. Et sic in aliis. Item Physica dividitur in partem communem & propriam. Et tamen pars communis & propria dividunt etiam Metaphysicam, & sic in aliis.

22 Ad hæc observandum est, reciprocationem tunc fieri bifariam. 1. Si pro nominibus retinamus significationes, vel definitiones istorum nominum: veluti Physicæ pars alia est communis, alia propria. Et quicquid est pars communis, (hoc est pars agens de corpore naturali in genere) & pars propria, (hoc est, pars agens de corpore naturali in specie, veluti de cœlo, elementis & mixtis) hæc est Pars Physicæ. Etenim vocabula eadem (pars communis & propria) admittuntur in divisione Metaphysicæ, tametsi ibi non habeant eas partes easdem definitiones & significationes, sed pars communis hic est, quæ agit de ente in communi: pars propria vel particularis illa est, quæ agit de ente speciali, veluti de substantia & accidente. Denique est faciendum in aliis. Et tum constat reciprocatio.

23 2. Fit reciprocatio, si ad communia nomina retinamus ipsum divisum, hoc modo. Substantia est prima vel secunda. Ex quicquid est *substantia prima vel secunda*, id est substantia. Ex quo apparet istas divisiones habere hunc sensum. Substantia est vel prima substantia, vel secunda substantia. Qualitas est vel prima qualitas, vel secunda qualitas. Et sic etiam constat reciprocatio. Video Colin. *in Hispan. erudit.* 3 *part. fuisse* eum (nempe alienatio) reciprocum generis, idemque cum

Denique est observandum, reciprocationes istas non fieri in omnibus formis divisionum, eodem modo. Aliæ igitur sunt copulativæ, aliæ disjunctivæ. *Disjunctivæ* sunt

divisiones

divisiones generum. Ut animal est homo vel bestia. Unde quod est homo vel bestia est animal. Idemque judicandum est de his, quæ ad similitudinem horum fiunt, ut sunt divisiones subjectorum per accidentia, aut accidentium per subjecta. Aliæ divisiones fiunt *copulativæ*, ut homo integratur ex capite, ex thorace, & pedibus, & brachiis. Unde etiam reciprocatio hujus divisionis sit copulativa. 25

III. *Singulæ partes dividentes mixta habent quam totum divisum.* Est hoc ex *Aristot. 2. poster. cap. 5. & 1. prior. cap. 32.* ubi *Aristot.* improbat demonstrationes ex divisione, veluti ex divisione animalis in rationale & irrationale, ait non posse probari hominem esse rationalem, quia collectio per divisionem semper colligit solum divisum, non divisionem confuse in utroque membro (quomodo ipsa divisio æquipollet.) At sic divisio est aliquid communius & superius quâlibet parte dividente. Vide *Merlin. 1. prior. cap. 32. ad §. 3. in paraph. & Zabarell. 2. poster. ad text.* Est autem ratio, quia, clarum ex sola terminorum notitia. Qui enim novit quod sit totum, & quid sit pars, illicò novit totum esse aliquid majus & amplius parte. 26

Objicitur. Species distribuitur in genus & differentiam, tanquam in partes suas essentiales, veluti homo in esse animalis & rationalis aut rationalitatem. Et tamen animal (quod hic pars est) plus habet quàm homo qui totum quid est. Nam animal continet etiam bestiam. *Respondes Fonseca lib. 4. Instit. cap. 10.* & recte, animal quoad prædicationem latius patere, quàm hominem. Verum quod attinet ad essentiam, homo est plus aliquid continet quàm animal. Habet enim in essentia sua rationalitatem, quam non habet animal. Ex quo illud sequitur. Unumquodque totum secundum essentiam suam, quâ totum est, esse etiam majus partes suas. Ergò quia genus aliud totum est (nempe universale) respectu speciei, idcirco semper genus sic est aliquid majus sua specie. At universalitas consistit in latitudine prædicationis ad inferiora. Hæc ipsa ergo, quia genus ut universale est totum respectu speciei, idcirco majorem latitudinem ad tales prædicationes habet genus quàm species. Rursus, quia species est aliquid totum (nempe essentiale) respectu generis, idcirco etiam plus includitur in essentia speciei quàm generis, ut visum est. 27

IV. *Membra dividentia consentiant cum toto diviso.* Habetur apud *Ramum lib. Dialect. cap. 25.* Distributio itaque, sumitur

tantùm ex argumentis rectis quidem, sed non, inter se vero distinctis. Huc pertinet quod *Justinianus* [illegible] *Christianum. 3. fol. 169.* [illegible] est, in quæ dividitur. Unde [illegible] est substantia, substantia dividi non potest in corpoream & incorpoream, sic etiam substantia (divisum) opponitur incorporeo (membro dividenti.) Ita male dividendo [illegible] ficiis receptacula animarum post mortem in cœlum, infernum, limbum, locum purgatorium, &c. in Scriptura dicit est præter cœlum & infernum. Sic Sacramentum non potest dividi in Baptismum, Confirmationem, Conjugium, Unctionem, &c. Nam Conjugium, Unctio, &c. non sunt Sacramenta, si sic non consentiant cum Sacramento.

28 *V. Membra dividentia debent esse* [illegible] Hoc etiam proximè citato loco dicit *Ramus*. Et est [illegible] ἀντικείμενον. Hoc est, oppositis est dividendum. Quæ enim opposita sunt, differunt ab invicem, adeoque [illegible] plæ. Animalia nempe non possunt dividi in colorata & tantia, quia natans est etiam coloratum. Item non debent dividi in volucria & involucria, quia quædam animalia [illegible] partim volucria, partim involucria, [illegible] non debent dividi in sylvestria & urbana, eadem de causa. Sic *Scal.* reprehendit causæ divisionem in efficientem, materiam, formam, finem, & instrumentum, quia instrumentum est efficiens. Vide *Scalig. 1. de plant. per totum.*

29 Cæterum dissentio quæ hic præcipitur non opponitur alteri consentienti, sed ei soli quæ una pars contradictionis [illegible] ἀντικείμενον, hoc est, ut una de altera prædicetur, quod est in superioribus rejectis divisionibus. Adeò animal quod rationem potest bene dividi, per efficientem & effectum, in [illegible] cietatis domesticæ pars alia est parens, alia soboles. Syllogismi pars alia [illegible] præmissa, alia conclusio. Aut per materiam & materiatum. Corpus naturale aliud est [illegible] sunt elementa, aliud mixtum. Aut per subjectum & adjunctum ut hominis pars alia est anima, alia corpus. Sic in cæteris.

30 *Corollaria Institutionis* quas observationes habere rationes, si quando in bonorum autorum distributionibus videantur membra consentire. Aut, rudes divisiones fieri nominibus contrariis, quæ intelligenda sint nominibus [illegible] dictis.

Sic

Sic Aristot. 6. Metaph. Quantum dividit in discretum & continuum. At certius est: Quantitatem esse discretam vel continuam. Et sic cum bonum dividitur in utile, iucundum, & honestum (quandoquidem bonum vnde potest etiam iucundum & honestum esse & vicissim) nomina alia debent sumenda abstractivè; Bonitas alia est utilitas, alia iucunditas, & alia honestas. Et sic non amplius ista membra consentiunt.

31 Deinde attendenda sunt non tam verba quàm res & sensus verborum. Sic cum Pythagoras dividit homines ad ludos Græciæ eorum qui conflubant ad ludos Græciæ, alii victoriæ, alii quæstus, alii videndi desiderio ducebantur, quandoquidem fieri potuit, ut multi diceretur singulis his modis; Dicendum est: intelligendam divisionem in hoc sensu eorum qui nullâ præcipuè de causâ habebant ad ludos Græcos, alii &c. Et sic in aliis.

32 Non ens non potest dividi. Sumitur ex Arist. 3. de part. an. 3. Et patet, quia non entis non sunt causæ, non sunt effectus, non sunt adjuncta, non sunt differentiæ. Nonens vnde & quomodo & quando dividatur? Impossibile est, speciem esse non entis, veluti impedati (carentis pecunia) impenetrati (carentis alarum.)

33 VII. Non ens non potest esse pars dividens. Sic corpus non potest dividi in finitum & in infinitum. Nam corpus in infinitum non datur. Est tamen advertendum, cùm in controversiis & disputationibus etiam non entia solent habere suos defensores, adeoque per hypothesin non ens potest esse membrum dividens. Veluti omne temperamentum est vel ad pondus (in quo elementa omnia æquales gradus habent (vel ad iustitiam. Hic temperamentum ad pondus non datur (vid. Magir. lib. 3. Physiogn. cap. 6. Taurell. lib. 2. de mor. cap. 6. Irug. cap. 6. 7. Goclen. de cib. com. 7. & Sulig. lib. 1. de plant. pag. 257.) Ex tamen hypothesi, quòd aliquis sit, qui istud temperamentum defendere velit) temperamentum si dividi potest, atque non est vllius divisionis hic esse omne de quo quæri potest temperamentum est aut ad pondus, aut &c. Sic omnis locus recipiens animam post mortem (esto modo sic, sive fingatur solidè) est aut cœlum, aut purgatorium, aut lacus, &c. Et sic etiam quæcunque possit dividi in finitum & infinitum. Vide Fonseca lib. 1. met. c. 2. q. 2. sect. 4. p. 188.

34 VIII. Divisio non debet fieri per membra negativa. Sumitur

VIII.

IX. *Bona divisio.*

36 1. Divisionem aliquando

Cur divisio membris præstantiores?

37 Quando dimittenda dichotomia.

38

rum etiam scientiarum inferiorum subjecta præcognoscere debet.

39 XI. *Partes divisionis ambulent equidem passu*, hoc est, sumantur ex eodem genere. Ita male dividitur animal *rationale*, natatione & colore, quòd scilicet aliud animal sit natans, aliud coloratum. Vide *Arist. de part. anim. text.* 2. Nam natans cùm dicatur ex motu, membrum condividens etiam debet significare motum, quale est volans, progrediens, repens, &c. At coloratum significat qualitatem. Sic etiam malè dividitur genus dicendi in breve, longum, medium & floridum. Cùm illa membra significent quantitatem orationis, hoc qualitatem. Ita male dividitur syllogismus in universalem, specialem & proprium, explicando illam divisionem sic, quòd specialis & universalis dicatur secundum

40 quantitatem conclusionis, proprius autem secundum præmissas.

XII. *Simplex non potest dividi.* Ita patet. Nam quod dividitur partes habet. At quod simplex est, caret partibus. *Calor in Hisp. tract. 1 fol. 14.* Sunt simplex non posse dividi in partes essentiales vel integrales, posse autem dividi in partes subjectivas, hoc est, species. Et ita patet de genere generalissimo. Hoc enim simplex est, & nec genus & differentiam, nec materiam & formam habet. Et tamen dividitur in suas species.

CAPUT XXX.

De Definitione.

1. Definitio est argumentum, quo explicatur quidditas rei.
2. Res subjacens definitioni vocatur *definitum*.
3. Partes definitionis sunt genus & differentia.
4. Definitio autem est perfecta vel imperfecta.
5. Definitio perfecta est, quæ explicat rei quidditatem per genus & differentiam essentialiter: ut *hominis, quòd sit animal rationale.*
6. Imperfecta est, quæ fit per differentiam accidentalem. Ut *ignis est Elementum calidissimum siccum & levissimum.*

COMMENTARIUS.

1 Antequam explicem hic doctrinam definitionis, prius inquirendum est.

I. Utrum dentur definitiones.

Atque hic implicantur plures quæstiones. Nam 1. inquirit

poten-

pertineat ad eam de ea in Metaphysica? 2. An recte referatur ad doctrinam Categoriæ, tanquam sit methodus concludendi? 3. An recte referatur ad inventionem, hoc est, doctrinam terminorum simplicium? 4. Et ne ad nos pertineat, an præmittenda sit omnibus aliis argumentis. 5. Et si ita sit, An præmitti debeat divisioni? De singulis videndum.

1 *An doctrina Definitionis pertineat ad Metaphysicam.*

Videtur quod secundum Arist. multa de definitione tradit, 20 Met. c. 10. & 11. Deinde in Metaphysicis agitur de essentia. Ergo etiam de Definitione, quæ definitio declarat essentiam. Et propter hæc aliqui affirmarunt propositam quæstionem, dicentes solum perfunctorie agi in Dialectica de Definitione. Vide Suarez disp. 1. Met. sect. 2. n. 24. seqq. & ad Met. Arist. lib. 10.

2

Nihilominus hæc sententia non admittenda est. Nam 1. Arist. passim agit de definitione in Organo, 2. Post. c. 3. 8. 10. 13. 3. Definitio est de scientia, quæ est in scientiam. Denique apparet non validissime ex modo, quo tractatur definitionis doctrina. Is igitur modus non potest esse nisi practicus. Qui enim vult tradere eam, debet regulas proponere, secundum quas agere debeat definiens, quales sunt; *Definitio & definitum adæquata sunto. Definitum & genus ejus ex eodem prædicamento sunto. Definitor verbis Tropica non adhibeto.* Et quæ sunt aliæ. Hæc autem omnia sunt præcepta practica. Ad procedere modo practico, non convenit Metaphysicæ, quæ tota est speculativa. Indeque repugnat ei dare regulas & præcepta operandi, ut fieri dixi in doctrina definitionis. Ex quo relinquitur, quod satis bene ista doctrina congruat Logicæ, quæ disciplina Practica est, ut constitui *in Introd. Log.* c. 2.

3

Definitionem pertinere ad Logicam.

Ad *primam* objectionem respondeo: Metaphysici esse agere de essentia communissime sumpta. Hæc autem non facile cognosci potest, propter summam generalitatem suam. Indeque varia adminicula eam cognoscendi quæruntur, nempe, declaratur per negationem, veluti essentiam esse, cui non repugnet existere: item per operationem, veluti essentiam esse, quæ operationem, id est, aliquem aliquem ad agendum aut patiendum habet: item per definitionem, veluti essentiam

4

Quomodo Aristoteles in Metaph. agat de definitione?

esse, id quod significatur perfecta definitione. Sic igitur *Arist.* multa dicit de definitione in Metaphysica, quasi per modum commentarii, ut illustret doctrinam de essentia. Et sic docet *text. 17. Metaphys. com.* 42. alit. Definitionem consideravit à primo Philosopho, quatenus significat quidditatem. Et *Zabarella lib. 2. de Method. c.* 12. Divinus Philosophus, *inquit*, agere vult de quidditatibus rerum, & docere in quonam cujusque rei quidditas consistat. At de quidditate loquens non potest non definitionem considerare, quâ ipsam quidditatem significat. Ideò docere in quonam consistat quidditas, est docere ex quibus partibus sit definitio.

5 Alia etiam causa est, quam attingit *Suarez ad. 7. Metaph. c.* 1. quod nempe *Aristoteles* voluerit ostendere, materiam esse partem essentialem. Et per hoc errare *Platonem*, qui statuere voluit ideas à materia separatas. Ad hoc autem probandum etiam conducit definitio. Quia enim in definitione poni solet materia, signum est, eam etiam pertinere ad essentiam.

6 Ad *secundum* respondeo, negando consequentiam. Est quod ea invertendo sic. Metaphysica agit de essentia. Ergò non agit de modo cognoscendi essentiam, hoc est, de Definitione. Nam essentia est aliquid speculabile. Ad modus eam cognoscendi (ut ipsæ voces indicant) est aliquid practicum. Practicum autem & speculativum non possunt communicari in eadem scientia, alioquin etiam sic inferam Metaphysica agit de accidentibus. Ergò etiam agit de modo cognoscendi accidentia, hoc est, de syllogismo demonstrativo. Absurdum.

An Doctrina Definitionis sit Dianoëtica?

7 *Enstathius in præfat. 2. post. Animon. in præf. Comm. in Porph.* aliique plurimi Definitionem sub Methodo comprehenderunt. Fecerunt igitur Methodum quadruplicem, componentem, resolventem, divisivam, & definitivam. Methodus autem dicitur discursus inferens unum ex alio, ut declarat *Zabar. lib. 3. de Method. c.* 1. Unde sic doctrina Definitionis est illis Dianoëtica. *Dianoia* autem est illa operatio mentis, qua unum ex alio ex necessitate infertur. Solida tamen argumenta pro hac sententia non invenio.

8 Prolixè autem hanc doctrinam tractavit *Zabar. cit. lib. 3. & 4. de Method.* Vide tamen specialiter *l. 3. c. 11. seqq.* Rationes ex eo multæ colligi possunt. *1. Arist. 2. post. 14. & 19.*

Definitio non est 1.4.

referri ad primam operationem mentis. At discursiva est tertia mentis operatio. Definitio ut sic est discursiva, cum quia omnis discursus est inter terminum à quo, tanquam notos, & terminum ad quem tanquam ignotum, idcircò ille discursus sit vel à parte definitionis ad partem aliam: vel à definito ad definitionem: vel à definitione ad definitum. At neutrum horum est dicendum. Nam partes definitionis ad invicem conjunguntur. Et proinde nec disjunctio nec copulatio in iis locum habet. At termini discursûs non sic junguntur. Deinde definitum & definitio non conjunguntur aliter, quàm per particulam est. At particula est non est illativa; Sed solùm dicit hanc rem sic vèl sic esse. Discursus autem deducit unum ex alio, quia fit ex illo unum sit, idcircò etiam alia esse. Ideóq; judicium discursûs est particula illativa. Erg. *agitur, quam obrem &c.*

Standa in doctrina Dianoëtica.

Existimo tamen dicendum esse: Aliquid esse definitionem ipsam, & aliud definitionis usum. Usus definitionis ad definitum, & vicissim definiti ad definitionem potest esse discursivus, veluti si arguam aliquem esse hominem, quia sit animal rationale. Ipsa tamen definitio non est essentialiter discursus, quomodo Syllogismus discursus est, ut prius patuit. 9

An doctrina definitionis pertineat ad Inventionem.

Unum dubitandi est, quòd Inventio est de terminis simplicibus. At definitio est terminus complexus, nempe genere & differentiâ constans. Et confirmatur, quòd Aristoteli definitio est oratio. Oratio autem opponitur termino simplici. Vide *Arist. de interpret. cap. primo.* Hæc res satis explicata est supra *in summulis*, ubi de *Definitione sit inter argumenta Logica primo tractandum?* 10

Affirmatio. *Petrus Ramus* contra. *Extremum* inquit, *definitionis latus in rebus est rei maximè necessarium, quod ei certè incipit esse qui sit omni disputationi primum à re proposita definitione capitale exordium.* Si enim de re nulla rectè disputari potest, nisi quid sit illa intelligatur, quæ ratio est, ei cuncta in Logica locum, quod in primis debet constare? Ex quibus apparet duas *Petri Rami* hebere pro sua opinione rationes. 1. quia definitio est res valdè necessaria. 2. quia 11

Rationes Perionii.

2 quis de nulla re recte disputari poterit, nisi prius res quæq; definiatur.

12 *Definitio non est prior aliis argumentis.*

Ab hac tamen opinione discedendum est. Nam simplex est prius compositio, & ortum eo a quo oritur. At definitio est aliquid compositum & ortum. E suis componentibus atque adeo iis unde oritur posterior est, velut genere & differentia, materia, & forma, adjunctis effectis similibus, ex quibus omnibus sumuntur definitiones.

13 *Aliud est θεωρία, aliud usus divisionis.*

Deinde observandum est, aliud esse loqui de usu definitionis, & aliud de ejus θεωρία. Usu prior est argumentis aliis per argumenta facta. Quoad usum tamen, & applicationem definitionis ad res definibiles, recte dicitur primo debere tradi cujusque rei definitionem. Ita prius definitur homo, quam considerentur ejus effecta, vel adjuncta, & sic in aliis. Quanquam *Keckerm. in Gym. Log.* multis concedat, ne sic quidem primum exerceri debere instrumentum definiendi, sed ante hoc, ait usurpandum esse instrumentum definiendi, & dividendi nomen, quod sit per notationem & divisionem ambigui. Hic vult sequi definitionem. De eo hinc non inquiro.

14 Ex dictis apparet solutio *posterioris* rationis *Perionii*. Nempe, secundum plurium sententiam, definitio primum ponenda est, hoc est, primum exercenda est doctrina definitionis, sed non necessario qualis ordo est in exercitio Instrumentorum, talis etiam est in eorundem doctrina.

15 Ad primum respondeo negando consequentiam. Neque enim necessitas est mensura ordinis in docendo, ut quæ quid magis necessarium est, eo sit priori loco docendum. De visu prius docetur quam de tactu aut gustu, & tamen hi sensus sunt magis necessarii quam isti, ut ab *Arist.* bi peculariter dicti sint sensus necessitatis in lib. *de sens. & sensil.* cap. 1. Confer *Gellium l. 7. Noct. Attic. c. 6.*

An definitio recte postponatur Distributioni?

16 *Divisionis doctrina utilis est ad definiendum.*

Melanchthon definitionem distributioni postponit. At *Ramus* distributionem definitioni præmisit. Hujus consilium magis probo. Nam utilis est divisio ad definitionem multis modis. *Primo.* Quia modus peculiaris inveniendi definitionem est per divisiones, ut *Plato* docet in *Sophista*. Ubi ex variis divisionibus venatur definitionem artis Sophisticæ, & Sophistæ. Sic *in civili* ex aliquibus artium divisionibus venatur definitionem artis exteriæ. Item *ibidem*, variis

variis divisionibus colligit definitionem regis & civilis gubernatoris. Vide *Monlor. 1. prior. cap. 32. Schol. 1. Deinde* ex divisionibus suppeditantur partes definitionis, veluti genus & differentia, aqui sunt termini dividentes speciem, ut superiùs dictum est. *Denique* multæ definitiones solent fieri ex divisionibus. Sic *Aristo 2. de an. cap. 2. t. 24.* definit animam, quòd sit principium quo vivimus, sentimus, movemur, & intelligimus. Hæc definitio nascitur ex divisione animæ in vegetativam, à qua est ipsum vivere, & sentientem, à qua est sentire & moveri, & intelligentem, à qua est intelligere. Sic ex divisione sensuum interiorum, in sensum communem, phantasiam & memoriam, sumitur hæc illorum definitio: Sensus interni sunt qui species rerum sensilium apprehendunt, dijudicant, & conservant apud *Magir. lib. 6. Phys. cap. 12. aphor. 3.*

17 Est tamen observandum: Divisionem esse posteriorem definitione, quoad unius quisque usum. Prius enim rem definimus, quàm dividamus. Ita prius definitur Logica, quàm in partes dividatur. Et sic in aliis.

18 Nunc quasi proœmii loco cognito, ubi agendum sit de definitione, ipsa definitionis doctrina explicanda est.

II. *De Voce Definitionis.*

91 Nota hujus vocis elegans est apud *Damasc. in Dial. cap. 8. Dicitur definitio seu oratio, Memorabra finium est. seu Unde dicatur definitio. termini positionum textæ. Quemadmodum enim sine seu ter-*
mini positio separat proprium unuscujusque, sic & definitio
seu terminus naturam uniuscujusque separat ab alterius na-
turâ.

20 Est etiam in hac voce ambiguitas. *Aliquando* sumitur pro toto complexo ex definito & definitione, & sic definitio est integra propositio. *Aliquando* sumitur totum pro recta parte propositionis definitivæ, & sic definitio contradistinguitur à definito. *Tertiò* sumitur hæc vox in famosiori suo significato præcipuè. Et sic definitio est idem quod definitio perfecta, & contradistinguitur à descriptione. *Denique* definitio opponitur Notationi, atque tum definitio est declaratio rei. Notatio autem sive Etymologia est definitio nominis. *Quot modis dicatur definitio.*

III. *De definitione definitionis.*

21 Hoc peculiare habent termini Logici, ut multi replicentur supra se, idque ideo, quia sunt quasi formæ addendæ quibus

busvis entibus Sic divisionis est divisio. Et definitionis est
22 definitio. Indeque canones qui sunt de definiendo, utilis po
etiam in definienda definitione. Et rursus canones qui
sunt de distribuendo, utiles quoque in dividendo divi
sione.

22 Ergo definitio definitur, *quod sit oratio eam explicans quid res sit convertim. Arist. post. 2. vel. Top. 7. modius. Cicero in topicis.* Et ego sequens *Ramum lib. 1. Dialectic.* cap. 1. Simpliciter definiunt definitionem, quod definitio explicet quid res sit. Ego tamen addidi vocem *convertim*, ad distinguendam
24 definitionem à genere. Nam genus explicat etiam quid sunt species, ut *Arist. art. 1. Top. c. 5. S. 6.* Et *Porphyrius Isagog.* Enim
quid def. vero interrogando, quid sit Dialectica, recte respondebitur, non so
pars pol. lum Dialectica est ars differendi, sed etiam Dialectica est ars. In eo igitur est differentia. Quod genus prædicatur in quid
que def. est, sed *non convertim*. Etsi enim Dialectica est ars, tamen
non omnis ars est Dialectica. Ac definitio prædicatur in quid
convertim, ut Dialectica est ars differendi: & quicquid est ars differendi est Dialectica.

23 Quanquam non differo, omitti posse vocem (*Convertim*) idque propter duo. Unum, per excellentiam definitio prædicatur in quid. Familiare autem est, in definitionibus ponere etiam eas differentias quæ cum sint aliquo modo per excellentiam tantum huic rei definitæ conveniunt. Sicut materia definitur causa *ex* qua res est; Et accidens *in alio*. Sint etiam aliquo modo ex aliis causis res sit, & substantiæ sint in alio.
27 2. quia accurate loquendo, explicare quid res sit, nihil aliud quam explicare, quiddidatem rei. Quiddidas autem rei est Philosophis nihil aliud, quam ipsa essentia apprehensa in partibus essentialibus, hoc est, genere & differentia. Vide *Zabarell. 3. de Method. cap. 13.* Sic *Arist. 2. post. cap. 7.* ait *Quiddidatem esse nihil aliud quam id quod ex ratione constat, quæ sunt in quid est.* Atque hic explicare quid res sit, seu explicata quiddidatem rei est nihil aliud, quam explicare partes essentiales. Hoc enim loci definitionis & singularis invenitur explicare quid res sit. Atque hic ex dictis libenter relinquo, in definitione definitionis addi *convertim*, an non.

24 *Aristoteles* pro genere definitionis ponit *orationem*, quod quoniam ad intelligendum sit, judicat præstare ex dictis *sup. l. 1. Comm. 8. S. 7. & 12. huius capitis.*

De Definitione

Postquam definitionis explicatum vocatur definitum. Ideoque definitum dicitur relative ad definitionem sicut explicatum ad explicans, subjectum ad adjunctum. Velut homo est animal rationale. Hic definitio est, animal rationale; Definitum est homo. Dialectica est ars bene differendi, hic Dialectica est ipsum definitum; Ars bene differendi est definitio. Hic inquirendum est, quæ res possint esse definita, hoc est, quæ res possint definiri. Quæ non res definiantur, quæ non? 25

Quid definiri possit?

Quæ definiri non possint?

Aristoteles 7. Met. cap. 6. Non omnium rerum quærendam esse definitionem. Ut autem summatim patefiat, quæ res definiantur, quæ non, tria solent dici communiter à Philosophis. 1. Quicquid definitur debet esse per se in aliquo prædicamento. 2. Etiam specialissima debent esse in prædicamento substantiæ. 3. Et in prædicamento substantia debet esse proxima. Ex horum primo excludentur ea quæ in prædicamentis sunt per reductionem. Ergo perfecte non possunt definiri privationes, Entia per accidens, Entia incompleta, quorum Concreta accidentium, & quæ sunt alia, Per secundum excluduntur accidentia, ut nec ista definiri possint. Per tertium excluduntur cum genera generalissima, tum etiam individua, Dictum enim solum species est. Et sic Damasc. in Dial. cap. 8. in fin. ait. Solas substantias & species definiri. Hæc ergo res pertractanda est. 26

An solæ substantiæ possint definiri? 27

Affirmative sit Damascenus in Dial. cap. 8. & Aristoteles idem docuerat 7. Met. cap. 4. 5. 6. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Manifestum quod solius substantiæ sit definitio. Franciscus Vatrius huic doctrinæ contrarius est tom. 2. Peripat. discuss. lib. 4. in init. Omne Ens sub quocunque prædicamento sit, quia definitione explicatur. Offendunt in loci, compositionis, motus, & aliorum definitionibus apud Aristot. quicquid Aristoteles definitione explicatur, ea est proprietas non res substans, sicut grex Peripateticorum Latini nominis arbitrantur, cum dicunt, definitiones solum esse substantiarum, & non accidentium, contra Aristotelem. Hæc ille.

Sunt autem hæ in re tria dicenda, 1. Per verba Aristotelis non intelligi essentiam, sed substantiam. Ideoque omnino certum, definitiones non esse accidentium. Aperte enim Arist. comparat, lib. 7 Met. cap. 4. & 5. Substantiam & accidens; 28

cidens; sic ut quemadmodum isti maximè propriè commenit esse, ita etiam eidem maximè propriè convenit definitio. *Quemadmodum*, inquit, *ipsum ESSE inest quidem omnibus, non tamen similiter, sed huic quidem primò, illis verò consequenter. Ita & quod quid* (intelligit definitionem) *simpliciter est substantia, cætera verò quodammodo. Etenim interrogare etiam possumus, quid sit quale.* Et postea: *Ipsum quod quid erat esse, inerat primò quidem & simpliciter substantiæ, deinde cæteris; sicut & ipsum quid est, non simpliciter quid erat esse, sed quid qualitati aut quantitati erit esse.*

II. *Accidentium non sunt perfecta definitiones.* Ita patet, primò per rationem *Aristotelis*. Accidentia habent esse imperfectè modo. Ergo & definitionem. Definitio enim indicat esse rei. Ergo proportionatur etiam ad esse. 2. si detur perfecta definitio accidentium, tunc erit procul dubiò illa, per quam declaratur ejus essentia. At hæc non est absolutè perfecta. Nam essentia accidentis est inhærentia. Inhærentia autem non potest nominari sine appositione ejus, in quo est inhærentia, quod quidem est subjectum. Subjectum autem non est essentiale suo adjuncto. Ergo definitio illa, in qua ponitur subjectum, non potest esse absolutè perfecta. Nam perfecta definitio non est, nisi quæ est purissimè ex iis, quæ sunt eiusdem talia à priori. 3. Illa est perfectissima accidentis definitio, quæ satisfacit ad quæstionem quid sit illud accidens. Hæc autem est illa, quæ fit ex accidentis illius genere, subjecto, & causâ externâ. Veluti si definiatur Defectus Lunaris, quòd sit privatio luminis in Luna ob terræ interpositionem. Aut si definiatur tonitru, quòd sit sonus in nube, propter extinctionem ignis, si modò hæc sit causa illius, vide *Zabar. dilucide Method. c. 14.* Atque hæc perfectissima definitio accidentis, est tamen absolutè imperfecta, quia fit per non essentialia, hoc est, causam externam & subjectum. & remotis his non relinquitur definitio talis, quæ satisfaciat quærenti de quidditate Accidentis, ut docet *Zabar. de loco.*

III. *Solæ substantiæ definiuntur.* Hoc sequitur ex prioribus, & ex iis satis confirmatum relinquitur. Intelligendum autem est de definitionibus absolutissimis & accuratissimis. Nam descriptiones, quæque *in suo genere* possint dici perfectæ definitiones, accidentibus non negantur. Neque contrarium confirmant definitiones loci, temporis, & motus, huiusmodi à Patritio, Singula enim illa ab *Aristotele* definiuntur, mentione

rum aliquis extiterit, apparet inuenti eas definitiones.
Enim vero ista sunt imperfectæ definitiones.

Nisi sola species definiantur.

Assumptiua est *Damascen. in Dial. cap. 5.* Et idem habet *Arist. 7. Metaph. cap. 6.* Non erit, inquit, *ulli eorum, quæ non sunt species generis, quod quidem esse, sed his solum.* 31 32

Dico ergo primò, *Genera generalissima non possunt definiri.* Patet. Nam omnis definitio constat genere & differentia. At genera generalissimæ non habent genera. Propterea enim generalissima dicuntur, quia sunt supra omnia genera alia. Atque hinc in proportione sequitur, quia & differentiæ & genera nequeunt assignari, possunt in speciebus ultimis, idcirco has minimè propriè definiri. *Vide Zabar. 2. post. cap. 11. fol. 72.* Non possunt igitur accuratè definiri transcendentia; item nec substantia, nec accidens, vel alia summa genera prædicamentalia. Hæc enim sunt primò diversa. Ideoque nullius generis species sunt, sed sunt generalissima.

Obijcis. Substantia definitur, quòd sit Ens per se subsistens. Accidens, quòd sit Ens inhærens in alio. Ergo ista aut non sunt genera generalissima aut generum generalissimorum datur definitio. 33

Nihil enim videtur hic deesse ad perfectionem definitionis. Nam Ens ponitur loco generis in definitione substantiæ & per se subsistere loco differentiæ. Respondeo Ens non esse genus Substantiæ & Accidentis, ut aliquoties docui. *Vide capite 18. in corona n. 76.*

Dantur individua sensibus quæ? An individua non possint perfectè definiri?

Affirmativa est *Aristotelis 1. post. cap. 7.* Et aliquibus rationibus probatur *7. Met. cap. 15.* Primò: Quemadmodum scientia est rerum necessariarum & quæ semper eodem modo se habent, ita etiam definitio. Nam quemadmodum scientia non potest esse ejusmodi, ut modo scientia sit, modo opinio, vel etiam ignorantia, ita etiam definitio quæ est modus sciendi. At singularia sunt mutabilia. Deinde id per se definitur, cui soli convenit definitio tradita. Atqui nulla essentialis definitio potest uni soli individuo convenire. Nam v. g. solis (qui unicus est rerum natura) definitio non convenit soli huic soli singulari, quia si aliud Sol esset, conveniret ei eadem solis definitio. Non ergo definitur hic singularis, sed sol in communi. Videatur de his *Monlor. in lib. de Univers. cap. 1. pag. 423.* Et ad de *Suarez. ad 7. Met. cap. 10.* 34 *Singulare non posse definiri.*

In

35 In oppositum aliqui Doctores existimant, omnino posse singulare perfectè definiri, inter quos est *Antonius Andreas* 8. *Met. quæst.* 7. Potest autem ista essentia speciosè probari 1. In individuis datur conceptus communitatis, eo ipso quia prædicantur communiter de individuis nomen superioris speciei. Datur etiam differentia individualis scilicet. Ergò individua habent essentiales conditiones definitionis. E. & ipsam definitionem. Fatetur quidem 7. *Met. quæ.* 36 negatur in individuis dari differentiam individualem, substantialem, & relinquit solùm accidens individuale. Sed hæc sententia militare non potest. Nam sic individuum, quâ tale est, esset solùm ens per accidens, nempè ens constitutum ex entitate substantiali speciei, & accedente accidenti individuali. Accidens autem addituum substantiæ facit ens per accidens. At absurdum est individuum esse ens per accidens.

36 De singularibus potest esse scientia, ut patet exemplis Solis, Lunæ, &c. in Physicis, & exemplo Dei in Metaphysica. Ergò & datur singularium definitio. Et confirmatur per discursum *Aristotelis* antè celatum. Ille enim negabat, singularium non esse definitiones, quia eorum non est scientia. In oppositum ergò sequitur, si eorum sit scientia, esse etiam eorum definitiones.

37 Probatur per *Aristot.* 2. *post.* 8. *Accidit est, inquit, definire singulare, quod non universale.* Et *in eum locum Aristoteles* tradidit definitionem per substantiæ primæ, quæ est idem hoc substantia singularis.

38 Hic in re dicendum est *nullum singulare posse definiri.*

Decisio. Cur autem non possit definiri singulare, non sumitur ex ratione singularitatis sed aliunde, nempè vel summa singularis simplicitate, vel ex singularis mutabilitate. Nihil enim quorumcunque singularium creatorum sive Deus, aut Deo cum non possit definiri, quia est ens simplicissimum. Quicquid autem est definibile essentialiter & perfectè, non est essentialiter compositum, nempè ex genere & differentia. At quicquid Deus sit quid compositum. Quicquid enim compositum est, hoc eo ipso imperfectum est, quia compositio sequitur perfectionem dependentem à partibus componentibus. Indè quæ consequens est Deo etiam non convenire genus vel differentiam, quod conclusum est *in Introd. Log. cap. 3. comment. 7. sequ.* Vel loquitur de singulari creato, & cum definiri non potest propter ejus mutabilitatem. Procedítque tunc discursus

Aristotelis

Aristotelis ante recensitus. Neque enim comprehendit ibi *Aristoteles* singulare interrum.

His ita conclusis respondendum est ad argumenta, quibus probatur, singularia definiri posse. 39

Ad *primum* de differentia individuali differenter respondendum est, remotâ prius sententiâ *Favelli* anteà confutatâ. Ad primum in Deo ista differentia individualis propriè dari non potest. Nam de ratione differentiæ est, ut neque de ea genitis, neque species, cujus est differentia prædicetur, ut *Aristoteles* docet 6. *Top.* Quemadmodum rationalitas, quæ est differentia specifica hominis, dici potest nec homo, nec animal. At quicquid est in Deo, hoc est Deus ipse. Ergò nihil est in Deo, quod habeat rationem differentiæ. Indeque Deus non differens, sed diversus ab aliis dicitur, quia eo ipso distinguitur ab aliis, & non per aliquid sui habet differentiam. Deinde in aliis individuis, si maximè detur superadditus aliqua differentia individualis, tamen à nobis cognosci non potest, vel nominari sub proprio nomine. Neque potest cognosci ab nobis per affectiones aut operationes. Nulla enim affectio vel operatio in ullo individuo ejusdem speciei est, quæ non sit, vel esse possit in alio individuo ejusdem speciei, ut ex vi rei patet. 40 *Solvuntur argumenta, quibus probatur singularia definiri.*

Ad *secundum* resp: de nullo singulari esse scientiam, solam excipiendo Deum. Neque enim Sol & Luna, aliaque singularia sunt, ut disputavimus *in Introd. Log. cap. de Philosophia.* Quod autem hoc singulare (Deus) sit aliquid scibile & non definibile, ejus discrimen sumitur ex eo, quod & aliquid definibile, requirit ut sit compositum. Ut autem sit scibile, non requiritur. 41 *Deus est aliquid scibile, non definibile.*

Instantia. Ergo si aliquid sit scibile, etiam requiritur, ut sit compositum, quia quod scibile debet habere affectiones, sed non nisi ab affectio ens subjectum facit compositionem. *Resp.* Omne quidem subjectum scibile debet habere affectiones, sed tamen illæ affectiones non sunt necessariò aliquid prædicamentales, & possunt affectiones scibiles identificari cum subjecto, ut patet de affectionibus entis, quæ absque realitate non differunt, nec quidquam entis componunt, sed tantum addunt scientiæ. Nam ens in transcendentis suâ significatione sumptum, in quo habet affectiones, adhuc dividitur per simplex & compositum. Ergò sequitur, ens ut sic non esse compositum. Nunc enim superius præscindit à differentiis, 42 *Instantia.*

pes quas dividitur. Ergo iterum signum est, affectiones non
facisse compositionem in Ente. Adeoque non omnes affectio-
nes facere compositionem. Ex quibus satis apparet diversitas
scibilis, & definibilis in ratione compositionis. Quod autem
Aristoteles comparat scientiam cum definitione, id non
eandem mutabilitatem. Quod enim propter mutabilitatem
non est definibile, & vicissim.

43 Ad *tertii* argumenti *priorem partem*, in qua *Aristoteles*
asserit, *facilius esse definire singulare, quam universale*, Re-
spondeo singulare ibi non esse idem, quod individuum, sed
singulare ibi sumi pro minus universali; quomodo eadem
vox sumitur cum dicimus, *inductionem fieri à singularibus*.
Neque enim omnis inductio est individuorum ad infimam
speciem, sed aliquando inductio est inductio specierum, ad in-
ferendum genus. Ergo sensus est in dicto *Aristotelis*, quod
facilius definiatur minus universale, quam magis universale,
ut communiter Dd. exponunt. Vide *Perer. lib. 3. Phys. c.*
13. Zabar. 2. post. c. 32. pag. 1217. alioque.

Ad *partem posteriorem*, quia dicebatur, *Aristotelem* de-
44 finisse aliquod singulare hoc est, substantiam primam, Resp.
Sermonem nunc non esse de singulari in actu signato; hoc est,
de communi aliquo notabile, in quo convenium singularia
plura, quale quid est *substantia prima, hoc aliquid, persona,*
suppositum, &c. sed solùm est sermo de singulari in actu se-
cundo, hoc est, in particulari de hac vel illa substantia primâ,
aut persona, aut supposito, veluti *Petro, Paulo*. Igitur hoc
sensu singulare sumptum negavimus definibile esse.

45 Quòd si igitur nec genera generalissima, nec individua de-
finiri possunt, prout singula probata sunt, relinquetur solas
species definibiles esse, quod erat initio propositum.

Conclusio principalis quæstionis.

V. De partibus definitionis.

47 Partes definitionis sunt genus & differentia. Atque hæ
correspondent partibus definiti, ut *Aristoteles ait 7. Metaph.*
cap. 10. hoc est, quia definito istæ partes conveniunt, ideo
hæ partes etiam exprimuntur in definitione. Conferi *Suarez,*
exerc. 307. sect. 22. pag. 964. Est autem utraque pars neces-
saria. Nam in genere convenit species cum ipsis. Ergo illud adæquate non posset speciem definire. Differentia autem speciei non includit esse generale. Unde si illa sola poneretur, non significaretur per definitionem tota entitas definiti. Uterque igitur pars requiritur, ut genus in veluti potentia, aut

Solùm genus cur non possit definire?

Cur sola differentia non possit?

materia,

materia & subjectum. Differentia autem, sic veluti actus & forma in ea. Vide *Tauselli Cas. Alt. 2. 7. 8.*

Sunt autem hic aliqua notanda: 1. Si aliquando in definitione ponatur materia & forma aliave, quæ, ut sic, genus & differentia non sunt, tamen ea ibi poni tanquam genus & differentiam. Veluti cùm corpus definitur, substantia ex materia & formâ constans; item homo quod sit animal corpore organico & animâ rationali præditum. 47

2. Genus & differentiam, quando de definitione in genere (atque adeò quando etiam definitio sub se descriptionem comprehendit) sermo est, latè accipi ut genus sit quælibet quæ superius, quod *univocum* prædicatur, quale quid est etiam ens ad substantiam & accidens, & Deum, quod aliàs retrà & in rigore genus non est. Et sic etiam differentia dicitur omne id quod concipitur ut continens indifferentiam alicujus superioris. Et sic differentiæ sunt operationes, affectiones specificæ aliquæ, quæ aliàs legitimæ differentiæ non sunt, ut judicari potest ex Canonibus de differentia *cap. 8. n. 10. seqq. in Comment.* 48

Hic quæritur:

An omnis definitio habeat genus?

Dubium hoc est propter genus generalissimum. Hoc enim videtur posse definiri, & tamen genus non habet. Sed de hoc dictum *sup. in Comment. hujus cap.* 49

Supra quæ nunc notandum est: Genus proportionari definitioni. Unde definitio perfecta genus perfectum & accuratum habebit. At definitio imperfecta contenta esse potest genere qualicunque, ut insinuavi in prioribus. 50

Præterea notandum est: Bonos autores aliquando genera in definitionibus non exprimere, sed subintelligere. Id fieri potest modis duobus: 1. Cùm proxime præcessit aliqua divisio, ex qua sumitur genus, veluti si post divisionem scientiarum in Physicam, Metaphysicam & Mathesin definiatur Physica, quòd sit de rebus naturalibus, tum ex priori divisione facile intelligitur genus ejus *scientia*. 2. Sæpe contingit, ut voces quæ significant differentias, seclusa genere, ambiguæ sint, possintque aliis etiam rebus attribui, quod tamen ita non sit, genere apposito. Igitur si secus sit, ut differentiam significantes voces non significent aliud, quàm quod aliud omissum genus habet, tum posita differentia insinuat genus, eò quòd ipsa esse non possit, nisi in isto genere. Veluti linea est, quæ habet 51

Genera in duobus casibus possunt subintelligi.

bet longitudinem. Hic subintelligitur genus, quod est magnitudo. Et satis insinuatur per oppositam differentiam. Nam habere longitudinem nihil potest, quod non sit magnitudo.

2. An omnis definitio constet partibus plurimis?

52 Affirmativa sumitur ex *Arist. 7. Met. 10.* ubi definitio nam definit orationē, At oratio est aliquid complexum, ut patet *1. de interp. c. 4. §. 1.* ubi oratio dicitur, cujus partes significant separatim. Et confirmatur, quòd omnis definitio debet declarare quidditatem rei. Quidditas autem est essentia apprehensa sub pluribus vocibus per *Zabar. l. 3. de Method. cap. 20.* Unde sequitur 3. si definitio possit absolvi unâ voce, quod tum nihil differret à definito vel etiam à transumptione, quæ explicat unum nomen per nomen aliud. Velut decens est honestum. Apud *Aristot. 2. Topic. c. 4.* Vide *supra c. 16. n. 5.* Confer *Suarez. ad 7. Met. c. 10. q. 2.*

Propter hæc etiam quæstio proposita est affirmanda, loquendo de definitionibus perfectis.

53 *Concluditur affirmatum quæstionis.*

Sed *obstat* 54 *Objectiones* posse hæc definitiones esse ἀτελεῖς. *Arist. 3. de anim. 4.* Ibi enim voluptas definitur unâ voce ἀνυσία. Hic verò peccatum definitur unâ voce ἀνομία. Respondendum igitur est, vel has definitiones non esse Logicæ perfectas, vel terminos ἀνυσίαν & ἀνομίαν revera esse geminos, propter particulam privativam ἀ. Nam ἀλυπία, hoc est, ἀ λύπης, carentia tristitiæ. ἀνομία, hoc est, ἀ νόμου carentia, sive carentia regularitatis, vel repugnantia à lege. Quanquam de definitione peccati facilè apparet eam imperfectam esse. Positivum enim non debet definiri per privationem, ut ibi fit.

VI. De Definitione Perfecta & Imperfecta.

55 Hanc rem antequam explicem, inquirendum priùs est,

1. An hæc distributio sit sufficiens?

56 Videtur quòd non. Nam secundum *Damascen. Dial. c. 8.* datur triplex genus definitionis, nempe definitio descriptiva, descriptiva definitio. Ex his definitio perfecta absolutè vocatur definitio. Descriptio autem est definitio imperfecta. Altera est ex utraq; mista. Idcóq; *Damasc.* eam definit, quòd sit mixta ex substantialibus & accidentalibus. Qualis est. Homo est animal rationale, quod rectè incedit, latos habens ungues.

Hâc in re dicendum est, esse triplicem varietatem in definiendo. Igitur aliæ definitiones fiunt ex puris essentialibus, 57 aliæ fiunt per differentiam accidentalem solam, aliæ

fiunt

57

58

59

Rationes pro hac sententia

Rationes pro hac sententia non cogunt

Rationes pro hac sententia non cogunt

Rationes pro hac sententia non cogunt

dependens, quæ omnia indicant mortalitatem & mutabilitatem. Sic aliæ possunt addi differentiæ, quæ imperfectam faciant definitionem, quia sunt accidentales vel negativæ. Et in summa definitionis perfectio est, ut non sit ex ignotioribus naturâ, qualia sunt omnia, quæ essentialibus superadduntur. Atque hanc sententiam amplectitur *Ramus lib. 1. Dial. cap. de defin.* plurimique ejus interpretes.

61 Ad 1 *resp.* Posse esse accessionem, quæ tollat perfectionem. Sic contradistinctione includunt aliæ oppositiones, & tamen tàm fortes non sunt ut contradictio, etsi addant aliquid oppositioni contradictoriæ. Illud igitur additamentum est minuens. Et sic in aliis. Ex prioribus autem patuit: dicere abundantiam, & dicere perfectionem in definitione esse pugnantia.

62 Ad 2. *Resp.* Nullam accidentis definitionem absolutè perfectam esse, ut *Aristoteles* docet 7. *Met. cap. 5.* Nam definitio proportionatur entitati. At entitas imperfecta solum competit accidentibus. Ergo & definitio. De hoc in superioribus hujus capitis satis dictum est. Atque sic, quæ perfecta dicitur accidentis definitio dicitur sic solum κατὰ τι, & in genere suo. Cumque accidentia soleant à nobis non aliter apprehendi, quàm in ordine ad subsistantiam, quia essentia eorum est inhærentia, ideirco illæ definitiones maximè notificant ipsa, quæ adiungunt subjectum. Et proinde sic perfectiores sunt definitiones accidentium causales, quam quidditativæ, hoc est, eæ quæ definitiones descriptivæ sunt, quam quæ sunt definitiones simpliciter. Id tamen non dicit *Goclenius* aut *Piscator* in genere de descriptivis definitionibus. Id enim si ita est, cur non quasvis definitiones descriptivas faciunt, cùm perfectissimum semper sit præeligendum.

63 Ad *tertium* patet responsio ex superioribus dictis. Nempe tales definitiones sunt imperfectæ, quia recedunt à multis perfectionibus, quæ requiruntur in bonis definitionibus veluti, quòd definitiones debent esse brevissimæ, non habere redundantia, fieri ex notioribus naturâ. Et quæ sunt alia.

De definitione perfectâ.

64 Porrò definitio perfecta est, quæ explicat, quid res sit per genus & differentiam substantialem sive essentialem. Differentiæ autem essentialis nomine intelliguntur in genere omnia, quæ vel propriè sunt differentiæ, vel earum vim habent.

83

bem. Unde sic definitio perfecta est, cujus omnes termini sunt intrinseci, & à priori essentiales definitoni. Atque hoc posset esse tribus modis: 1. Si genus & ipsa differencia substantialis faciant definitionem, ut *Homo est animal rationale*. 2. Si materia & forma faciant definitionem, ut *Corpus est substantia, composita ex materia & forma*. 3. Si partes integrales definiant, ut si domus definiatur ex conjunctione tecti, parietum, & fundamenti. *Tria genera perfecta rum definitionum.*

De definitione imperfecta.

65 Definitio imperfecta, quæ alias descriptio dicitur, est, cum res explicatur per ea, quæ sunt non essentialia. Id autem potest esse varie. 1. Si definatur per causas intrinsecas; ut efficientem, & finem, ut: Accretio est motus corporis viventis, quo anima per calorem ipsum extendit, ut ipsum vivens debitam magnitudinem assequatur, atque sic omnes operationes vitæ exercere possit, apud *Zabarell. de accret. & nutrit. cap. 25 & in tract. peculiari de alimen. pag. 944. comment. Phys. 2.* 2. Si per effectus. Sic *Aristot. de an. cap. 2. t. 24.* definit animam, quod sit principium, quo vivimus, sentimus, & intelligimus. 3. Si per adjuncta. Sic elementa singula definiuntur per qualitates primas, apud *Aristot. 3. de cœlo. 4.* Si per oppositum. Quomodo *Horatius* virtutem definivit, quod ut vitium fugeret. 5. Si per simile, ut est in definitionibus factis per *ἀναλογίαν*, ut *Deus est circulus, cujus est centrum ubique, circumferentia nusquam*, hoc est, essentia omnipræsens, & infinita seu incircumscripta.

VII. De varietate in definitionibus substantiarum, & accidentium.

66 Imprimis repetendum est, solius substantiæ esse perfectissimas definitiones ex *Aristot. 7. Metaph. cap. 5.* & *Damasc. in Dial. cap. 8.* De quo suprà satis. Nihilominus suo modo perfectæ sunt definitiones accidentium, in quantum scilicet imitantur definitiones substantiarum, quoad notificationem essentiæ accidentium. Atque sic perfectissimæ sunt accidentium definitiones, quæ fiunt ex genere, subjecto, & causa, ut mox videbitur.

67 Igitur *definitiones substantiarum* sunt (loquendo de definitionibus perfectis) purè ex essentialibus, hoc est genere & differentia essentiali, aliisque, quæ similiter intrinseca sunt, ac quibus dictum *in proxima. §. 6. n. 64.*

68 Definitiones autem accidentium sunt trium generum, per

Definitiones accidentium sunt trium generum

Aristot. 2. post. cap. 10. t. 45. Definitionum (accidentium) alia est oratio declarans quid sit; Hæc est indemonstrabilis. Alia verò est syllogismus probans, quid sit, casu differens à demonstrativo. Tertia verò est conclusio demonstrationis probantis quid sit.

69 *Perfectissima eorum definitio.*

Ut hæc tria genera definitionum declarare possim, exordiar à media, quæ est *perfectissima* definitio. Igitur definitio istius generis illa est, qua accidens definitur ex genere & subjecto, & causâ externâ, veluti, *Eclipsis Lunæ est privatio luminis in Luna propter terræ diametralem interpositionem ad Solem.* Hic genus est privatio luminis. Subjectum est Luna. Causa externa est interpositio terræ. Sic *tonitru est sonus in nube propter extinctionem ignis.* Genus est sonus. Subjectum est nubes. Causa supponitur esse extinctio ignis.

70 *Quomodo vocetur syllogismus?*

Atque hæc accidentis definitio vocatur syllogismus *materialiter.* Quia scilicet partes ejus tales sunt, ut non adjecto alio termino possit ex iis fieri syllogismus. Idcóque differt talis syllogismus solùm à demonstratione terminorum positu vel casu, hoc est, si in alia forma disponantur iidem termini, qui in tali definitione ponuntur, tum emergit inde vera demonstratio. Nam demonstratio omnis ex his tribus fit. Nempe ex subjecto, causâ, & affectione per *Arist. 1. post. t. 57.* At hæc omnia sunt in tali definitione. Nam affectio per definitur. Subjectum autem & causa externa definiunt affectionem. Qui plura de his accidentium definitionibus, earumque convenientiâ cum demonstratione, ac in eam mutatione scire cupit, legat inprimis *Zab 2. post. t. 42. seqq. lib. 1 de mod. demonst. cap. 21. lib 4. de Meth. cap. 13. seqq & toto lib. de convers. defin. in demonstrationem lib. 2. de gen. & int. c. 5. n. 9. ad definitionem patredum.*

71 *Alia* accidentis definitio est (quæ primò ab *Aristotele* refertur) quæ fit per solam causam. Veluti cum dicitur: *Eclipsis est interpositio terræ*, aut *tonitru est extinctio.* Atque hæc definitio dicitur *causalis.* Indéque etiam illæ definitiones sunt intelligendæ causaliter hoc sensu, quòd Eclipsis fit *ex* interpositione terræ & tonitru *ex* extinctione ignis.

72 *Tertia* definitio est, quæ comprehendit genus & subjectum. Veluti *tonitru est sonus in nube. Eclipsis est privatio luminis in luna.* Et hæc definitio vocatur *quidditativa.* Quia partes hujus definitionis respondent partibus quidditativis in definitionibus substantiarum. Nam subjectum accidenti est

est pro materia, genus pro forma.

Sed hic quæritur:

An non aliis modis definiri possint accidentia?

Resp. Aristotelem in superioribus generibus definiendi ac- 73
cidentia, locutum esse solùm de accidentium definitionibus, quas habent in ordine ad demonstrationem, adeóque imprimis vera est sententia *Aristotelis* de iis accidentibus, quæ in scientiis considerantur ut passiones subjectorum, & iis, quæ per principia sua inesse probantur. Cùm enim demonstratio, ut dictum est, contineat affectionis subjectum & causam, idcircò omnis definitio affectionis, quæ ad demonstrationem refertur, vel continet illa omnia; & hæc dicitur perfectissima definitio accidentis, estque ea, quæ priùs est à nobis declarata: vel solùm continet partem demonstrationis. Si hoc; Tum vel continet causam affectionis, & sic est priùs recensita accidentis definitio causalis: Vel continet subjectum affectionis. Et sic est priùs recensita definitio accidentis quiddditativa Et sic ex præsenti modo loquendi de accidentibus, ea quæ non considerantur ut alteri inhærentia, non tam nunc accidentia, quàm substantiæ sunt. Vide *Zabarell. 4 de Meth. cap. 13 in initio.*

Ex quibus relinquitur esse etiam alios modos definiendi 74
ea, quæ accidentia, & non substantiæ sunt. Ita *Quantitas* definitur accidens extendens substantiam. *Habitus* definiuntur per actus, ut: Justitia est virtus suum cuique tribuendi. *Potentiæ* definiuntur itidem per actus & objecta Sic visus est, quo animal apprehendit colorem. *Disciplinæ* definiuntur finibus & objectis, ut Logica est ars disserendi. Physica est scientia de corporibus naturalibus. *Relata* definiuntur per respectum ad correlatum, ut: Dominus est persona habens servum. *Actiones* definiuntur per fluxum, aut dependentiam ab agente, ut Calefactio est ἐνέργεια, vel actus ejus, quod calefacit. Et sic deinceps.

IX. De viis inveniendi definitionem.

Duplex via solet esse investigandi definitionem quarum al- 75
teram *Plato in Sophista* alterum *Arist. 2. post. c. 12* tradit. Prima vocatur *divisiva*, altera *compositiva*.

De via divisiva.

Igitur via *divisiva* est cum sumimus aliquod remotum ge- 76
nus ejus rei, quam definiri volumus, & illud tam diu dividimus, donec offendamus differentiam, quæ non pateat extra *Via divisiva quid sit?*

extra rem, quam definire volumus. Hoc enim facto colligemus, nos habere differentiam specificam nostri definiti, genusque, quod supra illam speciem est proxime, esse verum genus. Ergo vol definire *hominem*. Sumatur igitur genus aliquod remotum hominis, quod homini sine dubio conveniat. Illud est *substantia*. Hæc substantia est corporea, vel incorporea. Quia autem homo non est aliquid incorporeum, ideirco incorporeum dimitto, assumpto *corporeo*. Homo ergo est substantia corporea. Porrò corporeum est vel simplex, vel mistum. Huic homini non convenit esse simplex, ergo assumo alteram speciem, qua comprehenduntur *mista*. Porrò mistum est vel perfecte, vel imperfecte mistum. Imperfecte mistum homini non convenit. Ergo id dimitto, & assumo *perfecte mistum*. Porrò perfecte mistum est inanimatum, vel animatum. Illud homini non convenit. Ergo id dimitto, & assumo *animatum*. Animatum est planta vel animal. Hic homo planta non est. Ergo assumo *animal*. Hoc animal est rationale, vel irrationale. Hic homo non est aliquid irrationale. Ergo id dimitto, & assumo *rationale*. Invenio autem rationale esse, convenire soli homini. Ergo iudico, rationale est specificam hominis differentiam, idcoque id, quod proxime divisum est per rationale & irrationale, esse proximum hominis genus. Atque sic habes genus & differentiam hominis, hoc est, integram definitionem hominis.

Cæterum *Aristot. d. lib. 2 post. cap.* 12. f. 78. *& seqq.* aliquot præcepta ponit in hac via definiendi, quam alias partim utilem, partim inutilem dicit. 1. *ut tales divisiones, per quas venamur definitiones, sint essentiales.* Neque enim per extranea & accidentalia fieri debent definitiones. 2. *ut pariter, quæ colliguntur ex variis divisionibus, sumantur in legitimo ordine, ut scilicet quo quodque prædicatum communius est ad definitum, eo priori loco sumatur & ponatur in definitione.* Veluti ex superioribus divisionibus substantiæ, ita coordinari debent prædicata hominis. *Homo est substantia corporea, mixta perfecte, animata, animal habens rationem.* Atque tum ad definiendum retinentur quæ ultimo assumpta sunt ex divisionibus, ut ibi sunt, *habere rationem*, & esse *animal*. Nam hæc includunt omnia, qua priora sunt.

Et præterea 3. notandum est *Cum divisiones generis sint modo per differentias, modo per species, retrito pro exi-*

gentia

genera definitionis modò species in differentias, modò differentiæ in species mutandæ sunt. Neque enim congruit, ut cùm differentia assignanda est, assignetur ea sub nomine speciei. Neque rursus congruit cùm genus assignandum est, ut id fiat sub nomine generice differentiæ. Veluti, si velim ex divisione formare definitionem hominis, & fiat rei animatæ divisio in sensitivum, &c. & posteà sensitivum dividatur in rationale & irrationale, nihilominùs in definitione hominis non debeo ex istis divisionibus assumere hanc definitionem. Homo est (*sensitivum* rationale, sed pro differentia generica *sensitivum*) debeo assumere speciem quam constituit sensitivum. Id autem est animal. Et sic homo definietur *animal* rationale. Rursus si ultima divisio fiat in species, & non in differentias, veluti ut animal dividatur in hominem & bestiam (non autem per rationale & irrationale) nihilominùs non assumi debet ipsa species, sed ejus differentia pro ea, veluti non debeo dicere: Homo est animal homo; sed, Homo est animal *rationale*. Et sic in aliis.

79 *Via divisiva non potest probare definitiones.*

Porrò usus hujus viæ non est, ut per eam probetur definitio. Neque enim divisio ut sic habet vim illativam, vel probandi, ut *Aristoteles* ipse docet 1. *prior. c. 32.* & 2. *post. c. 4. cap. 12.* & prolixè *Zabar. l. 3. de Meth. cap. & seqq.* *Monitor ad* 1. *prior. cap. 32.* Indeque Methodus compositiva *Aristotelis* Methodo divisivæ præponitur. Ista enim simul habet quandam vim probandi & implicat rationem syllogisticam.

80 *Via divisiva duas habet utilitates.*

Nihilominùs hæc via divisiva duplicem habet utilitatem in definiendo, ut tradit *Aristot. 2 post. t. 74. 75.* Igitur primùm ea fit, ut legitimè coordinentur partes definitionis, nempe, ut priori loco ponatur genus, quam differentia, utpotè cùm illud prius offendatur, quàm differentia. 2. Ut ea, quæ in definitione ut quid prædicantur, & essentialia sunt definito, cognoscantur omnia nullo prætermisso, ucut ex superiori via divisiva, ex qua colligebatur definitio hominis, apparet, enumerari omnia quidditativa prædicata hominis.

De via Compositiva.

81 *Via compositiva.*

Via compositiva est, quando ex aggregatione prædicatorum essentialium, quæ definito competunt, colligitur definitio. Atque hanc *Aristoteles* maximè laudavit, priorique prætulit. Igitur sic vel definire volo speciem infimam, hoc est eam, quæ proximè est supra individua, qualis est homo, vel definire volo speciem aliquam subalternam, quæ adhuc infra

infra se habet alias species. Talis res est *animal*. Atque hic suppono, solum horum dari perfectas definitiones, atque sed nec generum generalissimorum, nec individuorum dari definitiones, quàm rem supra considerauimus.

82 *Speciei infimæ definitio quomodo colligatur.*

Igitur loquendo de modo definiendi *speciem infimam*, veluti hominem, sumo omnia essentialia eorum omnium prædicata individuorum hujus speciei, veluti *Petri, Pauli, Johannis, Christophori, Ludovici, Philippi, Erasmi, Georgii, Thomæ* aliorumque. Et ex his facio definitionem speciei illius infimæ, rejectis omnibus, quæ cuique pleraque, vel eorum, aut accidentaliter conveniunt. Veluti non omnem hominem convenire videntem, aut audientem, aut esse *Graecum*, esse *Italum*, esse *Germanum*, esse *Gallum*, esse *Hispanum*, esse *Britannum*, esse *Polonum*, esse *Turcam*, esse *Tartarum*, esse *Persam*, esse *Indum*, esse *Æthiopem*, esse *Mauritanum*, esse *Barbarum*, esse *Scythicum*, esse *Canadensem*, esse *Brasilianum*, esse *Peruanum*, esse *Mexicanum*, esse *Floridanum*, esse *Virginianum*, esse *Novi Belgii*, esse *Novæ Hispaniæ*, esse *Novæ Franciæ*, esse *Novæ Scotiæ*, esse *Novæ Britanniæ*, esse *Novæ Zelandiæ*, esse *Novæ Guineæ*, esse *Novæ Hollandiæ*, esse *Novæ Caledoniæ*, esse *Novæ Cambriæ*, esse *Novæ Walli

In avem invenio esse volatile, hoc nomen convenit aliis animalibus. In pisce invenio naturalem vim natandi, hoc similiter non est in aliis animalibus. In animalibus terrestribus, in hoc quidem invenio vim latrandi, in alio vim hinniendi, in alio vim rugiendi, hæc non inveniuntur in animalibus, & sic deinceps. Ergo horum nomen non potest facere definitionem animalis. Nam quæ in definitione animalis continentur, debent omnibus ejus speciebus competere. Invenio autem in omnibus his esse substantiale, esse corpoream, esse mistum, esse animatum, esse sensitivum. Ergò hæc omnia oportet, ut sint essentialia animali. Proinde ex his facienda est definitio animalis. Quænam autem attributa hic sumenda sint, iterum via divisiva monstrat, in quantum ipsa præscribit ordinem partium definitionis, quomodo de specie infima dictum est.

84 *In definiendo conjungendam esse viam divisivam & compositivam.*

Atque ex his apparet ad definiendum nec satis esse viam compositivam *Aristotelis*, quia hæc sine ordine congregat prædicata essentialia, neque ex ea apparet, quænam prædicata assumenda sint ad definiendum, cum alias non oporteat omnia quidditativa prædicata assumere. Nec etiam satis esse viam divisivam *Platonis*. Nam hæc non implicat vim illationis, ex qua sequatur, hanc vel istam speciem aut differentiam dimittendam, & aliam accipiendam esse. Atque adeò existimo, utramque viam in definiendo conjungendam esse, ut ex divisiva via habeatur ordo partium, ex compositiva autem via habeatur necessitas illationis. Fundata enim illa sit in via quâdam inductionis, ut ex dictis patet. Qui plura hac de re cupit, legat Interpp. *Aristot. ad l. 1. prior. cap. 23. text. 2. post. 23. & n. 69. 70 seqq.*

CANONES.

85 Canones de definitione alii sunt, quasi speculativi, alii autem sunt magis practici. Rursùs alii loquuntur de definito, quale illud esse debeat, aut quomodo pro ejus diversitate varientur definitiones, alii loquuntur de genere definiti, alii de differentia, alii de his conjunctim. Atque sic hinc qualiscunque ordo horum Canonum sumi posset, quod tamen aliis faciendum relinquo. Hoc in genere observo: Canones hos, ut plurimùm loqui de definitionibus perfectis. Hæ enim inprimis dignæ sunt, de quibus solliciti simus.

86 1. *Quicquid definitur debet esse Ens.* Loquor de definitione perfectâ. Et sumitur axioma ex 2 *post. c. 7. §.* 2. Quod non datur, nemo novit quid sit, sed solùm quod significet nomen, ut

quid

quid significet hirco-cervus. Adde §. *seqq.* Et patet veritas quòd partes definitionis essentiam significant, nempe & genus & differentiam. At essentia non convenit, nisi enti. Non-entium tamen descriptiones dari possunt, veluti privationum & negationum, entium fictorum, & sic deinceps.

87 2. *Quicquid definitur est compositum.* Ita patet. Nam omnis definitio fit per genus & differentiam. At hi sunt termini componentes. Et proinde Deus non potest definiri perfectâ definitione, quia est ens simplicissimum, expers generis & differentiæ.

88 3. *Quicquid definitur, id est species.* Sumitur ex *Aristot. 7. Met. c. 4.* estque satis expositum *sup. n. 31.*

4. *Quicquid definitur id est substantia.* Axioma est *Aristot. & Damasceni.* estque itidem satis expositum *sup. n. 29. 30.*

89 5. *Quod non est per se in prædicamento, id non potest definiri.* Ita apparet. Nam quod per se non est in prædicamento, id hinc cognoscitur, non esse genus, aut species. At quod tale non est, non potest definiri, ut ex partibus definitionis appareret. Atque sic definiri non possunt.

90 1. Ea, quæ sunt *entia rationis, aut negationes.* Et patet. Cùm enim hæc verè non sint entia, etiam verò non habent essentiam, & proinde nec verè, & perfectè habent definitiones. Hæc enim omnia habent proportionem.

Quæ non possint definiri. 1 *Entia rationis.*

2. Ea, quæ sunt *entia per accidens*, qualia sunt mundus, Respublica, Philosophia. Et patet. Horum enim singulum

91 per se & propriè non est ens, sed entia. At una definitio debet significare unam essentiam, & proinde non convenit, nisi uni enti, & nominatim tradit *Aristot. 2. post. c. 7. §. 2.* quòd definitio debeat unum quid significare.

2. *Entia per accidens.*

92 3. *Ens infinitum.* De hoc patet. Nam infinitum, hoc ipso, quia infinitum est, est independens, atque adeò caret termino entitatis. At quicquid definitur id dependens est, nempè a

3. *Ens infinitum.*

93 partibus se à priori definientibus.

4. Ea, quæ sunt *entia incompleta* hæc differentiæ & partes essentiales. Et patet. Nam differentiæ non habent differentiam. At quicquid definitur, definitur per differentiam. Partes autem essentiales non definiuntur, nisi per respectum ad totum essentiale. At hoc eis est intrinsecum. Homo nonest de essentia suarum partium, sed contrà partes de essentia totius sunt.

4. *Ens incompletum.* 5. *Differentiæ cur non perfectè definiantur? Et partes essentiales.*

5. *Ambigua.* Et patet, quia hac multas essentias confusè

94 &

& indistincte significant. At una definitio indicat unam essentiam. Definitio enim in omnibus proportionaliter dicitur ad essentiam.

Objicies. Nullum vocabulum est, quod non sit ambiguum. E. nulla res potest definiri, si ambiguitas prohibet aliquid esse definitum. *Resp.* Ambigua non posse definiri, nisi præcognoscatur ambiguitas. Factâ enim præcognitione ambiguitatis, assumitur certa significatio, in qua definiens definire rem aliquam velit. Ubi notandum est, præcognitionem illam non necessariò esse expressam, h.e. scriptam, vel dictam, sed sufficit aliquandò, ut sit mentalis: Inprimis enim requiritur præcognitio ista ex parte definitoris, ne ipse confusè definiat. Logica autem potest certam significationem vocis alioquin ambiguæ ex ipsa definitione apprehendere, veluti, si definiam scientiam, quòd sit habitus solùm cognoscitivus, ego præcognoscere debui, quòd scientiæ vocem velim strictè accipere, prout opponitur arti. Legens autem eam definitionem, ex ipsa definitione cognoscit me non complexum esse artem sub voce scientiæ.

6. *Entia complexa*, ut homo bonus, per eam rationem, quæ data est de entibus per accidens. 96

7. *Concreta accidentium*, nam hæc sunt entia per accidens. Et 97

8. *Abstracta substantiarum*, ut animalitas. Nam hæc, ut sic habent modum significandi differentias, quæ sunt entia incompleta. 98

VI. *Definitum & definitio idem sunt.* Ita *Aristot. lib. 6. Top. c. 7. Sect. 2. Videndum*, inquit, *an res suscipiat intensionem, id verò quod in definitione est, non recipiat. Vel contrà, id quod in definitione traditum est recipiat, res autem non item.* Oportet enim vel ambo, vel neutrum intensionem recipere, εἰπερ ἐν τοῖς τὸ τί ἦν εἶναι τῷ λόγῳ ἀποδίδοται τῷ πράγματι, quia idem est, quod definitione traditur cum re ipsa. 99

Advertendum autem est ad explicationem propositi axiomatis, definitionem & divisionem intelligi posse pro terminis aliis Logicis, vel pro rebus significatis per eos terminos. Si primum, definitio & definitum non sunt idem, sed realiter differunt, atque sic definitio non est definitum, & definitum non est definitio. Omninò sicut cæteri termini Logici realiter differunt à suis correlativis. Causa non est effectum, Relatum non est suum correlatum, genus non est species; & species non 100

est

6. Entia per accidens.

7. Concreta accidentium.

8. Abstracta substantiarum.

est genus; Distributio non est distributum, &c. Si autem definitio & definitum intelligantur de rebus, quas significant, & quibus imponuntur, sic verum est definitionem esse idem cum definito. Exempli gratiâ Definitio, ut, *animal rationale*, est idem cum definito, nempe *homine*. Dialectica, & ars bene differendi, Grammatica, & ars bene loquendi, &c. Eadem sunt: quorum illa definita, hæ definitiones à Logico nominantur.

101 Addendum tamen: etsi definitio & definitum sic realiter idem sint, tamen differre ratione, quæ rationis differentia est in modo significandi essentiam. Definitum enim significat essentiam confusè. Definitio autem distinctiùs & evidentiùs propter conjunctionem plurium vocabulorum, per quæ seorsim significetur genus & differentia.

102 7. *Omnis definitio est oratio.* Ita *Aristot. l. 7. Met. cap.* 10. Ὁρισμὸς λόγος ἐστί. Vocabulum λόγος ambiguum est, indè que alii Interpp: vertunt rationem, alii orationem. Sed tamen posterior versio satis bona est. Advertendúmque est, orationem hîc sumi. Aliquando enim oratio est idem quod axioma, & tum oratio est dispositio duorum terminorum facta per copulam, ut homo *est* rationalis. Hoc sensu definitio non est oratio in quantum definitionem à definito distinguimus. Aliquando verò oratio vocatur qualiscunque conjunctio plurium terminorum facta sine copula. Indéque vocari solet hæc oratio imperfecta, prior perfecta. Talis oratio est *homo bonus, animal rationale, ars differendi, &c.* Hoc igitur posteriori sensu definitio est oratio. Omnis enim definitio conjungit terminum generis termino differentiæ,

103 Et per hæc solvitur *objectio Dounami*, qui *lib. 1. Comment. Log. c. 50. f. 134.* disputat definitionem non esse orationem, quia omnis oratio sit axioma.

104 *Quæstio.* Sed cur *Aristot. 2. post t. 10. Sect. 1.* non dicit definitio est oratio, sed solùm definitio dicitur esse oratio. *Respond. Aristotelem* ibi sub definitione complecti etiam definitionem Nominalem. Nam statim dividit ibi definitionem in Nominalem. Quia igitur hoc non semper est orario, idcircò *Aristoteles* dicit: Definitionem dici orationem. Vide *Zabarell. 2. post. col. 1* 44.

105 8. *Omnis definitio constat pluribus partibus.* Hoc sequitur ex priori. Adden. 47. *huius cap.*

106 9. *Omnis definitio debet habere genus definiti.* Ita *Aristot.*

6. Top. 5. ἐν ἅπασι γὰρ ἐνδέχεται ἁμάρτημα εἶναι, ἐν ὅσοις ἐστὶ καὶ τὸ τί ἐστι, hoc est, in omnibus definitionibus peccatum est, in quibus non proponitur Quid est. Cujusmodi est corporis definitio: Id quod habet tres dimensiones, aut hominis, id quod scit numerare, quia dictum non fuit, quid sit id, quod habeat tres dimensiones, aut quod sciat numerare. Patet. Nam definitio debet explicare quidditatem rei, Quidditativarum autem prædicationum fundamentum est genus. Adeò ut genus solum in Quid, differentia autem non in quid, sed in quale prædicari dicatur. Deinde differentia non magis est ens seipso subsistens ac forma. Sicut igitur hæc indiget materiâ in qua sustentetur, & cum qua compleat compositum: Ita illa indiget genere in quo fundetur, & cum quo absolvat definitionem.

Advertendum est, genus in definitione aliquando sub audiendum, idque in duobus casibus, de quibus *suprà num.* 51, *huius cap.* 107

10 *Omnis definitio habet legitimum genus.* Quod autem *legitimum* genus sit, cognoscatur ex Canonibus de genere suprà positis *cap.* 28. *num.* 137. *seqq.* Duo tamen addo specialia, quæ sequuntur. 108

11. *Genus & definitum debent esse eiusdem prædicamenti.* Id docet *Aristot. 6. Top. c. 5. Sect. 4.* πάλιν (ἁμαρτάνει) εἰ ἐν ἄλλῳ γένει ὄντος ἐκείνου αὐτῶν ᾖ ὁ ὅρος, hoc est: *Iterum (peccatur) si non ponitur definitum in proprio genere.* Clarius autem hoc docet *Aristot. l. b. 4. Top. c. 1. Sect. 5.* ut universaliter dicam, *inquit*, sub eandem divisionem oportet genus & speciem cadere. Si enim species sit substantia etiam genus est substantia: si species sit quale quippiam, etiam genus est quale quippiam, &c. Concluditur inde album non esse genus cygni, vel nivis, quia album non sit substantia, sed quale. Similiter autem vitiosum est, si definitum sit quidem cum genere in eodem prædicamento, sit tamen in alia specie illius prædicamenti. Veluti, si habitum definiamus per potentiam naturalem ad utrumlibet, &c. 109

Cæterùm vitiosæ esse cognoscuntur hinc definitiones illæ, quando anima definitur per crasin aut harmoniam, color per extremitatem; (si propriè intelligamus,) odor per exhalationem, remus per motorium, &c. 110

Aliqua hic expedienda sunt: *Quid sentiendum sit propter hunc Canonem, de definitione Catechetica SS. Cœnæ Sacramentum* 111 *Quæstio de*

Cœnæ Catechetica definitione apud Lutherum.

crementum Altaris est verum corpus, & verus sanguis Domini nostri Jesu Christi, sub pane & vino nobis manducandum ac bibendum institutum; *Et illa Baptismi.* Baptismus non est simpliciter aqua, sed aqua divino mandato comprehensa, &c. Nam & hic illa Sacramenta, quæ ad prædicamenta accidentium pertinent, nempe ad Categoriam actionum videntur per genera ex prædicamento substantiæ sumpta definiri.

112 *Calviniz norum sententia.*

Atque ex hoc capite rejiciunt definitionem Cœnæ *Keckermannus, Goclenius,* cæterique *Calviniani. Respond.* 1. Sacramenta non esse exigenda ad leges accurate definiendi, quia sunt entia per aggregationem, non entia per se. At ens

113 *Resp. authoris.*

per aggregationem non est ens, sed entia: Idcóque etiam non habet essentiam, sed essentias; adcóque nec habet definitionem, sed definitiones: vide *Arist. lib. 7. Met. cap.* 4. de definitione hominis albi. Tantùm igitur abest, ut à Theologo peti debeat Sacramenti accuratissima & legibus definiendi confirmata definitio.

114

2. Observandum in doctrina Sacramentorum, vocabula substantialia sæpè poni, & usurpari in sensu significante actiones, ut vel una eáq; receptissima divisio Sacramentorum indicat. Nam illa dividuntur in Circumcisione, *Agnem paschalem.* Baptismum, & Cœnam Domini. Hic agnus paschalis est nomen substantiale, & tamen proculdubio significat hic actionem, nempe mactationem & manducationem agni paschalis. Id ita esse patet, tum. 1. ex eo, quod species ambulare debeant paribus passibus, ideóque si una sit accidens, quod etiam reliquæ sint accidentia. At quil cætera Sacramenta ibi non sunt substantiæ, sed accidentia. Ergò & agnus paschalis ibi non est substantia, sed ponitur pro accidente. Deinde ex illa distributione conficitur, agni paschalis genus esse Sacramentum. At Sacramentum non est genus substantiæ. Genus enim ejusdem Categoriæ est cum specie, ut hoc notum axioma habet. Quòd si igitur agnus paschalis sumi potest pro actione circa eum, hoc est, pro manducatione & mactatione illius, cur non etiam corpus sumi possit pro manducatione corporis, & sanguis pro bibitione illius? Imprimis isti actus satis insinuantur in definitione *Lutheri.* Et alioquin etiam (*Bellarmino* judice; l. 2. *de Euchar. cap.* pag. 663.) usitate panis accipitur pro panis usu & communicatione. Supposito igitur, quòd non tam verba spectanda sint, quàm sensus, apparet

paret has definitiones non ſumere genus ex prædicamento ſubſtantiæ, ſed actionis, etiamſi alioquin, quando ſeparatim ſumuntur, corpus, panis, aqua, &c. ſubſtantiæ ſunt.

Facit huc quod Schegkius habet, 4. *Top. loc.* 4. *p.* 452. *Neque quis miretur*, inquit, *in definitionibus nonnunquam uſurpari vocabula diverſorum prædicamentorum, quæ tamen non idem ſignificant ſeparatim, & quando cum aliis complexa fuerint, &c.*

116

II. Quid ſentiendum de definitione relativorum, quæ genus ſuum ſumunt ex prædicamentis abſolutis. *Pater eſt perſona, habens filium: Filius eſt perſona, habens Patrem, Magiſtratus eſt homo, habens ſubditos, &c.* Videbatur genus ſumendum eſſe ex prædicamento relationis, ſicut & definitum exinde ſumptum eſt. *Reſp.* Propriè loquendo definita in prædictis definitionibus non eſſe ſolùm ſumpta ex prædicamento relationis, quia ſunt entia concretiva ex relationibus. Illa autem notant quidem relationes, ſed tamen connotant etiam ſubjecta illarum, nempe entia abſoluta. Atque ſic pater, verbi gratia, eſt ens per accidens, & aggregatum ex ſubſtantia & relatione. Indeque ex utroq; definiendus eſt pater, ſic tamen, ut relationis potiſſima habeatur ratio, expletque ipſa locum differentiæ, quia relatio eſt abſtractum prædictorum entium concretivorum. Abſtractum autem eſt formale concreti. Atq; hoc etiam eſt in aliis entibus concretivis. Nam concretum qualitatis definitur ex ſubſtantia & qualitate, veluti: Calidum eſt corpus, habens colorem, humidum eſt corpus, habens humiditatem, &c. Et horum intuitu malui admittere iſtas relativorum definitiones, quàm dicere eas vitioſas eſſe, quia genus ſit ens abſolutum eum Schegkio *in* 4. *Topic. Log.* 46.

Q. De definitionibus relativorum, quæ definiuntur generibus abſolutorum.

117

III. Juſtitia definitur à Juſtiniano *Inſtit. de juſt. & jure, Sect.* 1. quod ſit *voluntas* ſuum cuique tribuendi. An bene? Videtur quod non. Nam juſtitia habitus, & ita in prima ſpecie qualitatis. Voluntas autem eſt potentia naturalis, & ſic in ſecunda ſpecie qualitatis. *Reſpond.* Voluntatem ibi non ſumi pro potentia naturali volendi, ſed pro habitu, quo inclinatur voluntas ad agendum conſtanter, quomodo fortitudo dici poteſt voluntas conſtans & perpetua, quævis terribilia ſufferendi. Videatur Piccol. *grad* 4. *Phil. mor.* de ſubjecto virtutum moralium. Sic igitur genus & definitum hic ſunt homogenea.

Q. An juſtitia rectè definiatur, quæ ſit voluntas ſuũ cuiq; tribuendi.

12. In

118 12. *In definitione debet assumi genus proximum.* Ad intelligentiam hujus axiomatis repetantur, quæ suprà dixi, *cap. 28. de natura generis proximi.* Sancit autem hoc axioma Aristot. *l. 6. Top. 6. 4.* ἐν τῷ συμβεβηκέναι ἀεὶ τὸ ὑπερέχον μᾶλλον τοῦ ἐλάττονος, hoc est, *amplius peccat, si transiliens dicit genera,* ut qui justitiam dicit habitum æqualitatis esse activum, aut æqui distributivum. Namvirtutem transilit, quia ita definit. Causa illius rei hæc est, quia definitio debet declarare integram essentiam, atque ideo continere omnia attributa essentialia. Hæc autem continentur in differentia specifica & genere proximo. Proximis enim & inferioribus generibus omnia superiora & remotiora genera attribuuntur. Sic qui definit hominem esse animal rationale, dum animal dicit, dicit etiam corpus animatum, corpus mixtum, corpus naturale, substantiam &c. & sic in aliis. Ex hoc axiomate notant aliqui, malè definisi usum-fructum, quod sit jus utendi rebus alienis salva earum substantia à Paulo *l. 1. ff. de usufr.* & Justin. *in Inst. de usufr.* quia prò jure possit haberi aliud genus propinquius, quod est servitus personalis.

119 13. *In omni definitione ponatur legitima differentia.* Ita Aristoteles habet *5. Top. cap. 6.* nisi propriis differentiis definitum sit, non est bona definitio. Quæ autem legitima differentia sit, cognoscatur ex Canonibus de differentia positis supra *cap. 28. num. 109. seqq.*

120 14. *Definitio sit ex prioribus & notioribus.* Axioma est *Arist. 6. Top.* ἐκ τῶν πρώτων καὶ γνωριμωτέρων καὶ μὴ ἐξ ἐναντίων τῶν ἐναντίων ἢ ἐξ ἀμφοτέρων ἢ ἐκ τῶν πρός τι, ἐὰν μὴ καὶ τὸ πρός τι ἐκ τούτων ᾖ, καὶ ἐὰν μὴ ἐκ τῶν ὑστέρων καὶ ἐκ τῶν ἐπιγιγνομένων καὶ ἐκ τῶν ὕστερον γνωριζομέν

riora substantiis. Sic etiam à posteriori definitur mistio, quòd sit miscibilium alteratorum unio. 1. *de gen. & int. c.* 10. Denique relata se mutuò definiunt, & tamen sunt æquè nota. Qui novit unum, novit & reliquum, inquit *Ramus*.

Ad hæc advertendum est 1 Axiomata, quæ occurrunt de definitionibus, inprimis loqui de definitionibus perfectissimis & absolutissimis, sicut & sic in axiomatibus de distributione & demonstratione quæ generatim ac sine addito concepta, idem intelliguntur perfectissimis. Ex his dicendum est, definitiones illas, quæ ex qualitatibus & actionibus fiunt, non esse perfectissimas, sed secundarias, & sic factas de necessitate, quia scilicet commodiores haberi non potuerunt. 122

2. Advertendum: Esse aliquid prius & notius bifariàm Est igitur vel prius & notius simpliciter, & secundùm se; vel est prius & notius secundum quid, & respectu nostri. Ex his dicendum: Definitionem semper esse ex prioribus & notioribus, sed tamen diversimodè. Aliquando enim est ex notioribus & prioribus secundùm naturam, (qualis est, si fit ex genere & differentiâ substantiali) & tunc est perfectissima. Aliquando autem est ex notioribus saltem respectu nostri, & tunc est definitio secundaria, vel descriptio. Tales sunt illæ definitiones substantiarum, quæ sumuntur ab accidentibus earum: Substantia enim etsi accidente sit prior & notior secundùm cognitionem distinctam, per *Aristot: l. 7. Met: cap:* 1 tamen accidentia etiam notiora sunt substantiis per cognitionem confusam, quæ est secundùm nos, vel nostri respectu. Hanc distinctionem etiam *Aristot: alleg. loc: l. 6. Top: cap:* 4. affert ad hujus axiomatis explicationem. Simpliciter melius est, *inquit:* 4 conari, ut ex prioribus posteriora cognoscantur quoniam ad scientiam gignendam, hoc est magis accommodatum. Attamen apud eos, qui ex talibus cognitionem adipisci nequeunt, necesse est fortasse definitionem conficere ex illis, quæ illis nota sunt. 123

Quod attinet ad definitionem mistionis, eam ex hoc ipso principio rejecit *Scalig:* & rectè. Vide *exer: 101. sect 2.* 124 *Mistionis, definitio rejicitur.*

Propter relata dicit *Cajetanus*, non semper definitionem esse ex notioribus, quia relatum ponitur in definitione, tanquam ut terminus extrinsecus, Atque sic relatum definitur mentione correlati, non tanquam *per illud*, sed tanquam *ad illud* dicit *Albert: in tract: de relat. cap.* 9. Igitur quod, ponitur in definitione debet esse notius, si definitur definitum 125 *Relatorum definitiones, an sint ex prioribus?*

per illud, non autem si definiatur ad illud. Dici etiam potest definitionem relatorum etiam esse ex notioribus, quia relatum definitur per respectum, sive relationem suam quæ in illo incipit. Quia autem ille respectus terminatur ad correlatum idcircò illud etiam in definitione relati ponitur, non ut correlatum definiat istud definitum, sed propter respectum definiti, qui in illud terminatur. Nullus enim respectus intelligi potest sine suo termino. Vide *Fonsec. l. 5. Instit. c. 9.*

126 *De definitionibus Metaphoricis.*

15. *Definitio non fit ex verbis Metaphoricis.* Ita *Arist. l. 6 Top. c. 2 §. 4.* Αλλ' ὅτι τῶν καὶ τὰ ὀνόματα δεῖ εἰ χρὴ μεταφορικῶς εἰρῆκεν ὅδε, εἰ τῷ ἐπιτιμίῳ ἀμύητα πάντα ἔστιν ἡμῖν τὰ δηλούμενα, ἢ τῷ σαφεῖ ὁμοίως συμβαίνειν, &c. hoc est: *Alias* (locus obscuritatis est in definitionibus) *si per Metaphoras dixit; veluti, si scientiam defininiamus, quæ cadere vel labi non possit, aut terram nutriculum, aut temperantiam concentum.*

127 Probat autem *Aristoteles* hoc axioma: 1. quia quod dicitur secundùm Metaphoram, fit obscurum. 2. quia definitio talis non conveniat rei definitæ, sic temperantia definiebatur συμφωνία concentus. At omnis concentus est in sonis. 3. Si concentus est genus temperantiæ (vel alterius alicujus rei) idem erit in duobus generibus, quorum neutrum continet vel subordinat sibi aliud. Neque enim concentus virtutem (quæ temperantiæ genus etiam est) nec virtus concentum continet.

128 Ex hoc capite definitio Philosophiæ, quam *Plato* in *Phædone* tradidit reprehendi posset. *Philosophia est meditatio moriendi*, hoc est, de doctrina de abjiciendis vitiosis affectibus, quæ est mors quædam Metaphorica, ut explicat *Macrob. l. 1. in somn. Scip. cap. 13.* & *Galen. de dogm. Hippocr. cap.* Talis est & illa, quâ *Alcidamus* definiens Philosophiam, apud *Aristot. in Ret.* ait eam esse *contra naturæ*, sive propugnaculum legum. Talis est & illa, quâ *Pythagorei* & *Platonici* formam definiverunt per concentum vel numerum, quod non nisi Metaphoricè illi convenit, quia scilicet etiam contrarias qualitates redigat ad amicitiam, cui aliquid simile est in concentu & distinctis unitatibus. Alias nutto.

129 *Observationes. Quid Metaphora sit Aristotelis.*

Advertendum autem 1. *Aristotelem* voce *Metaphoræ* generaliter sæpissimè, & tum est idem quod Tropus. Sic *Poët. c. 21* inquit: Metaphora est alieni nominis illatio translatio aut à specie ad speciem, aut à specie ad genus, aut à specie ad speciem, aut secundùm proportionem. Speci-

lit-

liter autem sumitur pro illa solùm translatione, quæ est secundùm proportionem. Sic in Poet. τὸ μὲ φρέειν, τὸ ὅμοιον θεωρεῖν ἐστι. Uti Metaphora est simile contemplari. Potest autem utroque modo sumi vox *Metaphora* hoc loco.

II. Advertendum *Aristotelem* pro more suo prohibere voces Tropicas à definitionibus, prout licet exquisitissimæ & perfectissimæ forsan mundæ sunt. Id apparet ex duobus 1. quia *Aristoteles. 2. post. c. 12 t. 34.* eo modo à disputationibus rejicit Metaphoras, quo etiam à definitionibus. Sed à disputationibus non planè rejicit Tropos, ut ex eodem loco patet Ergò nec à definitionibus. Unde sequitur, aliquod genus definitionum hic intelligere *Aristotelem*, à quibus abesse vel t Metaphoras. 2. Quia aliàs communiter ad descriptiones refertur & illa, quæ est καθ' ἀλλογίαν, veluti, cùm caput definitur arx corporis, lex anima civitatis, &c. 130

III. Advertendum: Tropus non esse ejusdem generis. Alii enim sunt obscuriores aliis. Unde quò magis vox illa Tropica recedit ab obscuritate, eo aptior est ad definiendum. Et per hoc non usque adeò malè definitur Dialectica voce *differendi*, ad significandos actus rationis. 131

16. *Definitio non debet fieri per verba inusitata.* Axioma hoc sancit *Aristot. l. 6. Top. c. 2. §. 5.* ἐπὶ τὰ παρὰ τοὺς ὁρισμοὺς οἱ τοῖς νεμένοις ἀποκαλοῦσι χρῆσθαι, οἷς Πλάτων ὁρμᾶται τοὺς ἀμφιβόλους ἀποκαλεῖν, ἢ τὸ φαλαγγιον σκιδακας, ἢ τὸν μυελὸν ὀστεοψίς, ἢ τὸ ἀσκὸς τὸ μὴ εἰδότα hoc est: *Amplius* (obscurè dedit) *qui non positis nominibus utitur, ut Plato fecit, qui oculum definit Ciliumbrum, hoc est, qui umbram habet ex superciliis, aut araneam putrimordacem, aut medullam offigenam. Omne enim verbum inusitatum obscurum est.* Sumitur igitur ratio hujus propositionis ex fine definitionum quia est notificare, & quam maximè illustrare, atque evidenter cognitum are definitum. Non debent esse definitiones, tales, qualia opera veterum pictorum, quæ erant ejusmodi, ut nisi quis perscripsisset, cognosci non potuerit, quid unumquodque 132 *De verbis inusitatis in definitionibus.*

Recordandum tamen hic semper, *Aristotelem* has regulas rmare de definitionibus perfectissimis solùm. Nam alio- 133

Sic in ipse *Aristoteles* animam definivit ἐντελέχειαν, *lib. 2. de* atio *cap. 1.* quæ vox nova & inusitata fuit tempore *Aristotelis* & enus, ta putatur ab ipso *Aristotele*, ut *Cicero* docet *q. 1. Tusc.*

Spec 17. *In definitione nihil redundet.* Axioma ex *Aristot. l. 6.* 134

lit

Top. cap. 1. § 6. ὅτι τῶ μὴ καλῶς μέρη δύο, ἓν μὲν τὸ ἀσαφεῖ τὴν ἑρμηνείαν κεχρῆσθαι. Δεύτερον ἢ εἰ ἐπὶ πλεῖον εἴρηκε τὸν λόγον τοῦ δέοντος· πᾶν γὰρ περισσεύμενον ἐν τῷ ὁρισμῷ περίεργον. Hoc eſt, *Ejus, qui non eſt rectè* (ſcilicet in definitione) *duæ ſunt partes; una, ſi obſcura interpretatione uſus ſit; Altera, ſi plures dixit in definitione, quàm oportuit: Quicquid enim adjicitur in definitione ſupervacaneum eſt.* Cæterùm duobus modis videtur contingere poſſe illa redundantia: 1. Si in definitione ponantur vocabula ſynonyma. 2. Si unum includatur in alio, veluti, ſi differentiæ generales addantur ſpecialibus, aut accidentales eſſentialibus, ut ſi definirem hominem animal rationale, capax diſciplinæ, vel animal rationale ſenſibile. Hoc enim ineluditur in voce rationale. Aut ſi definiatur cupiditas appetitio rei jucundæ. Omnis enim appetitio eſt rei jucundæ, pertinétque huc, ſi generali opponatur ſpeciale. Hoc enim continetur. Ex hoc reprehendit. *Ariſtot l. 6. Top. c. 3.* definitionem æquitatis, ut ſi quis ea definiat imminutionem eorum, quæ utilia & juſta ſunt. Quod enim juſtum eſt, utile eſt. Eſt autem generale ſignum redundantiæ, ſi ablatâ unâ vel alterâ voce adhuc tamen remaneat definitio, vel ſicut *Ariſtotelcs* loquitur *l. 6. Top. c. 3. §. 2.* εἰ ἀφαιρεθέντος τινὸς, καὶ ὁ λοιπὸς, λόγος καὶ ἡ ἁπλοῖ τῶν ἐσίαν.

Redundantia in definitione fit dupliciter

Signum redundantiæ.

Cæterùm egit axioma limitatione propter multa exempla Doctorum, *Ariſtot. l. 2 Phyſ cap. 1.* definit naturam ſic, quòd ſit *cauſa vel principium motûs & quietis eius, in quo ineſt primò & per ſe, & non ſecundùm accidens.* Ubi principium tanquam latius, includit cauſam. Æquipollentia autem ſunt hæc tria, primò & per ſe, & non ſecundùm accidens. Et *in lib. Categ. Ariſtotcles* definit ſubſtantiam primam, quòd ſit *ſubſtantia, quæ maximè principaliter & proprie ſubſiſtit, neque de ſubiecto dicitur, neque in ſubiecto eſt.* Ubi æquipollentia ſunt, maximè, principaliter, & propriè. Includunt autem ſe hæc in ſubjecto eſſe, & de ſubiecto dici. *Ram. 2. Dial. c. 3.* definit neceſſarium *quod ſemper verum eſt, nec poteſt eſſe falſum.* Et in univerſum contingit ſæpè, ut per plura vocabula aliquid cognoſcatur faciliùs, quod obſcurum eſt quàm per unum. Quia igitur definitio eſt cognitionis miniſter, idcircò prout vocabula ſynonyma & ſe includentia, magis vel minùs, vel non juvant cognitionem. Ita etiam magis vel minùs, vel non ponenda ſunt in definitionibus. *Vocabula ſynonyma in definitionibus vel demonſtrationibus*

Synonyma aliquando adhibentur in definitione.

ponere.

ponere vitiosum est, si prorsus fiat sine causa. Sin autem ut res, de qua agitur, magis perspicuè, distinctiùs, accuratius, gravius, & ornatiùs declaretur, licet verbis synonymis, inquit *Pererius l. 3. de via & ord. doct. Phys. cap. 1. in fin.* Adde *Titelman. l. 2. consid. Dial. c. 16.*

QUÆRITUR:

An definitio hæc: [Homo est animal rationale] *sit deficiens.*

Communiter Philosophi approbant hanc definitionem. Sed *Damascen. in Dial. c. 8.* eam deficientem dicit, addendámque ait vocem *Mortale*, quia non solus homo sit animal rationale, sed etiam Angelus. 136

Sciendum est tamen, definitionem istam omninò esse convertibilem cum homine, si vocibus istis propriè utamur, quibus abusus est *Damascenus*. Propriè enim Angeli nec animalia sunt, nec rationales, ideóque nec animalia rationalia. Nam animal est species corporis physici, ideóque omne animal veram materiam, & formam, & quantitatem habet, quæ non conveniunt Angelis. Nam organicum non potest esse, nisi sit ex variis Elementis mistum. Quod autem tale est, hoc mortale est, non immortale; quale quid *Damascenus* Angelos appellat, & proinde ad distinguendos homines ab Angelis in definitione hominis addidit *mortale*. Deinde etiam Angeli propriè non sunt rationales. Nam ratio propriè est vis illa animæ qua discurrimus, seu quâ movemur ab effectibus, ad cognoscendas causas, aut à causis, ad effectus, vel à præmissis ad conclusionem: ut *Scaliger* docet *exerc. 307. sect. 5. & 334. & 338.* Angeli autem non intelligunt per discursum, sed intellectione simplici, & hinc vulgò non rationales, sed *intelligentiæ*, vel *mentes* à communiori nomine dicuntur. Quanquam si maximè rationales possunt dici Angeli, tamen definitio hominis nondum iis competeret, ut sint animalia rationalia. Etsi enim res, quæ significatur voce differentiæ restringat *rem significatam* voce generis, tamen in contrarium sæpè contingit, ut Grammaticè loquendo de *significatione vocis*, qua exprimitur differentia, cùm ipsa est ambigua, restringatur ad significationem certam à genere, cui apponitur. Habent enim mutuam operam sibi vocabula præstant in integra sententia, ut una alteram ab ambiguitate liberet, & ad certam significationem determinet, qua de re videri potest *August. de prin. Dial. c. 9.* 137

Angeli non sunt animalia.

Angeli propriè non sunt rationales.

Demuſcena igitur, ut antè dixi, abuſus eſt his vocibus. Rationale enim uſurpavit, quaſi per ſynecdochen ſpeciei pro facultate intelligendi. Quæ ſignificatio, ut ex dictis patet, eſt impropria. Nam non omnis intelligentia dicitur ratio, eo ipſo, quia eſt aliqua intelligentia ſimplex ſine diſcurſu, qualis in dubio eſt omnis intellectio Dei, & noſtra prima mentis apprehenſio. Animal autem ſumſit in ea Catachreſi, in qua apud veteres etiam Deus anima! æternum, & ſimiliter cœlum animal dicebatur. Quæ ſignificationes propter ſingularem impropriatem nunc evanuerunt.

138 8. *Definitio debet eſſe adæquata.* Adæquatio definitionis & definiti duo requirit. Primò, ut nihil ſit in definitione, quod non pertineat ad definitum, ejúſque eſſentiam. Deinde, ut quicquid continetur in eſſentia definiti id exprimatur in definitione. Signum igitur vitioſæ definitionis eſt, ſi vel definitum habeat aliquid eſſentiale, quod non contineatur in definitione, vel definitio aliquid habeat quod non contineatur in eſſentia definiti. Sicut *Ariſtoteles* inquit *lib 6. Top. c. 5. §. 2.* ἔτι ἢ (τόπος τὸ ἀσαφὲς ὅτι εἰ πρὸς πλείω λεγόμενόν τε ὁρίζοιντο πρὸς πάντα ἀπέδοκεν, hoc eſt, *Amplius autem* (locus obſcuritatis eſt) *ſi cùm ad plura dicatur definitum, non tamen omnia dedit* (definitionem: *ut ſi quis Grammaticum*, inquit, *definiat ſcientiam ſcribendi id quod proferitur, deeſt enim legendi. Is igitur benè demum definiet, qui ambo dixerit.* Hæc igitur prior definitio omittit aliquid, quod pertineat ad eſſentiam definiti, hoc eſt Grammaticæ. Ex alia parte vitioſa eſt definitio Medicinæ quâ dicitur, quòd ſit ſcientia efficiendi morbum & ſanitatem. Nam ſimpliciter alienum eſt à medicina morbum efficere, quem etiam quilibet alius efficere poteſt. Hæc igitur definitio continet aliquid, quod non pertinet ad eſſentiam definiti. Sic *Galen. lib. 11 Methic. 8.* malè definit putrefactionem, quòd ſit mutatio totius ſubſtantiæ putreſcentis ab externo calore, quia combuſtioni convenit etiam illa definitio vide *Zabar. l 3. de gen. & immiſt. c. 2.*

139 9. *Ejuſdem rei plures non ſunt definitiones.* Ita *Ariſt. 6. Top. c. 5.* πλείους ἂν ἐνδέχεται τὸ αὐτὸ ὁρισμοὺς εἶναι: ita etiam *eod lib. c. 14 §. 5.* Videtur tamen id non eſſe prorsùs verum, ut ex infinitis exemplis induci poſſet, eorum, quæ plures definitiones habent. Vulgaris igitur limitatio eſt hæc, quòd unius rei non ſint plures eſſentiales definitiones, poſſint autem

eſſe

esse multæ accidentales. Sed tamen sufficiens limitatio non est, Nam omninò, quo sensu unius rei sunt plures accidentales eo modo etiam possunt esse plures essentiales, *Quomodo unius rei non sint plures definitiones.*

Duo igitur dico: 1. Quantum ad verba, unius rei possunt esse plures definitiones accidentales & essentiales. De accidentalibus patet. Nam una eadémque res accidentaliter definiri potest, vel ex adjunctis, vel ex effectis, illisque vel omnibus, vel aliquibus, vel à contrario, vel ex proportione, &c. De essentialibus similiter patet. Nam una eadémque res essentialiter definiri potest, modò per genus proximum & differentiam specificam, modò per materiam & formam generi adjectam, modo per genus remotum & differentiam proximam, prætermissis aut omnibus, aut aliquibus differentiis intermediis, modò ex genere & enumeratione partium integrantium, ut communiter docent Doctores, & specialiter videri potest *Fonseca lib. 5. Instit. cap. 5.* 140 *Decisio authoris.*

Dico II. Quantum ad sensum & terminum definitionis, unius rei unam esse solùm definitionem. Nam omnes definitiones alicujus rei verbis discrepantes, conveniunt tamen in sensu, sic ut conspirent ad terminum, ut videlicet declaretur essentia definiti. Summa est: Unius rei non possunt esse plures definitiones, quæ scilicet plures exprimant vel inferant essentias. Unius enim rei una est essentia. 141

20. *Definitio non sit negativa:* Hoc axioma etiam habet *Arist. 6. Top.* Notandum autem vocem *definitionis* bifariam sumi. Aliquando definitio sumitur pro integra propositione, quæ ex definito & definitione constat. Hac significatione *Aristoteles* dicit: Definitionem accidentis esse orationem, quâ significatur aliquid illi inesse, *lib. 7. Metaph. cap. 4.* Aliquando autem sumitur pro altera parte axiomatis definitivi, quæ scilicet distinguitur à definito, tanquam alterâ ejusdem parte. 142

Ex hoc igitur dico 1. Si *definitionis* vox intelligatur pro axiomate definitivo, tùm verum est in universum, definitionem non posse esse negatam. Nam axiomata negata non fient ex terminis consentientibus. At propositio definitiva habet terminos consentientes. Nam partes definitionis ad definitum se habent, vel ut genus & differentia ad speciem, vel ut adjuncta ad subjectum, vel ut effectus ad causam, &c.

Deinde definitio sumatur pro altera parte axiomatis definitivi, 143

definitivi, quæ à definito contradistinguitur, tùm sensus hic est, quòd genus & differentia non debeat significari per vocabula negantia; quibus annumerantur etiam, quæ privantia sunt, eaque quæ saltem habet modum significandi privationem. Ita *Aristot. 6. Top cap. 6 § 5.* ait. Differentiam non debere in definitione explicari per negationem, veluti cùm definitur linea, longitudo *carens latitudine*.

144 *Duo rerum genera, in quibus possunt fieri definitiones negativæ.*

Solent autem (ut videre est apud *Perer. lib. 5 de mat. & priv. cap. 13.*) duo rerum genera excipi, quibus permittuntur definitiones negativæ: 1. Est ens perfectissimum, nempe materia prima. Hanc *Aristot.* describens, *lib. 7. Met. t 8.* sic inquit: *Dico materiam quæ per ſcipſam neque quid, neque quantum, neque aliquid aliud eſt eorum, quibus Ens determinatur.* 2. Est Ens perfectissimum, nempe Deus. Hunc describens *Damasc. l. 1. Orth. fid. cap. 8.* ait: *Deum esse principium sine principio, increatum, ingenitum, omni pernicie carentem, immortalem, infinitum, incircumscriptum, indeterminatum, infinitè potentem, incompositum, incorporeum, indefluum, impassibilem, inaccessibilem, virtutem nullâ mensurâ cognitam.* 3. Ens involuens in suo conceptu negationem, n. Cæcitas est carentia visûs, *in disput. 5. de anim. ration. th. 26.* Et hoc etiam *Aristoteles* docet *6. Top 6. § . 7. Fortasse*, inquit, *in nonnullis necesse est, definientem uti negatione ut in privantibus. Nam cæcum est, quod non habet visum, quem secundum naturam habere debet.* Et in universum privationes definiuntur ex remotione habitûs, per *Arist 6. Top. c. 9. Sect. 5.*

Additur tertium genus.

145 Ut tamen res plena sit, dico 1. Definitiones, quæ per negationes fiunt, non esse definitiones accuratas & perfectas, adeò, ut *Damasc. lib. 1. de Orth. fid. cap. 4.* negativam Dei definitionem, dixerit non esse definitionem. *Incorporeus*, inquit, *autumandus Deus est. Sed hoc* non est definitivum *substantiæ eius, ut neque ingenerabilem, sine principio, inalterabile, incorruptibile, &c. Hæc enim non eius quid est significant, sed quid non est. Atqui oportet eum, qui vult alicujus substantiam assignare, quid est dicere, non quid non est.* Hæc ibi.

146 Dico 2. Si vocabula negativa ponantur in definitione pro affirmativis, prout sæpè haberi affirmata non possunt, tùm definitiones illæ, etsi verbo tenus sint negatæ, tamen sensu sunt affirmatæ, indéque non reprehendi videntur supra posita axiomata. Logicus enim non verba, sed sensum spectat. Ita *Aristoteles in casu*, definit substantiam primam, quòd sit id,

quod

quod *neque de subjecto dicitur neque in subjecto est*, pro *maximè & principaliter per se subsistens*. Communiter definitur bestia animal irrationale. *Henricus* ultimatem judicio *Scaligeri*, acutissimè definit privationem divisibilitatis in se, & communicabilitatis in alio. *Non malè vir cuius bonæ*, inquit, *Scalig. exerc. 65. s. 5*, cùm deessent verba, quibus ponere entitatis quidditatem, per privationem ut posuit, non ut voluit, declaravit, vide etiam *exerc. 65. s. 54.*

147 2. *Definitio debet esse reciproca cum definito.* Reciprocatio definiti ad definitionem duo habet, nempe ut nec latior, nec angustior sit, definitio definito. Ita *Damascen. cap. 8. dial.* ἐστὶ δὲ ὁρισμὸς ἔστιν ὁ ἀντιστρέφων πρὸς τὸ ὁριστόν: hoc est: *Perfecta est definitio, quæ reciproca est ad definitum.* Explicans autem quid requiratur ad illam conversionem, inquit *ibid.* τελεία ὁρισμός ἔστιν τὸ μὴ ἐλλείπειν μήτε πλεονάζειν. hoc est: *Sanitas est definitionis est, ut non desit, nec redundet aliquid.* Vide sententiam elegantem *Augustini in lib. de quant. an. cap.* 25 Est autem veritas axiomatis plena. Nam quia differentia specifica ponitur in definitione. Illa autē restringit genus ad certam speciem, distinctam ab omnibus aliis entibus, ideò cò non potest non illa differentia, & propter eam definitio, cum suo definito reciprocari. *Servius Jctus ff de dolo mal. lib.* 1. dolum malum definit, quòd sit imaginatio facta ad alium decipiendum, cùm aliud agitur, & aliud similatur. Hanc definitionem rectè reprehendit Labeo; exposito axiomate, quòd scilicet angustior sit, eo quòd absque simulatione possit fieri dolus. Videatur *Martyr. Classi. 2. loc comm. cap. 13. n. 13.* Vide aliud exemplum ex *Galeno sup. axiom. 18.*

148 22. *Definitio debet accommodari ad melius non ad deterius.* Hoc habet *Arist. lib. 6 Top. 1 sect. 3.* ἔτι (σμαραγδάνει) εἰ μὴ πρὸς τὸ βέλτιον ἀλλὰ πρὸς τὸ χεῖρον ἀπέδωκε, πλείονων ὄντων πρὸς ἃ λέγεται τὸ ὁριζόμενον, hoc est, *Amplius* (peccat definiens) *si non ad melius, sed ad deterius dedit, pluribus existentibus, de quibus dicitur definitum.*

149 Duo autem sunt, quæ hic præcipiuntur: 1. Quando aliquid prædicatur de pluribus ἀναλόγως, sive secundùm prius & posterius, tùm definiens intueri debet perfectissimum, & secundùm illud formare generis definitionem. Perfectius enim analogatum est mensura cæterorum. Ita fit in definitione entis, quod est analogum ad substantiam & accidens; scientiæ, quæ per prius intelligitur de scientia speculativa,

tiva, per posterius de practica Demonstrationis, quæ maximè propriè intelligitur de demonstratione τὸ ὅτι.

150 II. In iis etiam, quæ non ἐ κλόγως, & secundùm prius & posterius dicuntur, nihilominus debet fieri respectus ad nobilissimum. Sic videlicet si sit habitus (verbi gratiâ) definiendus, qui in hoc vel illo homine existat imperfectè & ignobiliter, non repugnet tamen illius habitûs essentiæ, superiorem habere nobilitatem, secundùm maximam excellentiam definire debet. Hoc observavit *Cicero* in definitione Oratoris *in lib. de Orat.* & *Plato* d definitione Philosophi *in Theæto*, & Sophistæ, *in Dialogo, cui titulus Sophista*; & Regis, *in lib. de Regno*. Atque sic in aliis etiam, qui vult definire sanitatem, definit eam, ut nobilissimo modo esse potest, qui civem definit prout optimè & excellentissimè esse potest, &c. Vide *Scheg. 6. Top. loc. 23* & *Piscat. grad. 4. Phil. mor. cap. 41* & *grad. 9 cap. 29 pag. 818*. Hoc autem adeò verum est, ut si vel nusquam & nullibi existat ea res in tanta excellentia, nihilominus tamen vera sit definitio, quæ intuitu summæ nobilitatis possibilis facta est, sicut *Scalig.* inquit, *exerc. 71. §. 2. Etiamsi nullus homo justus sit, tamen justitia est habitus animæ distribuens secundùm rectam rationem*, vel ut Imperator habet; Justitia est constans & perpetua voluntas suum cuique tribuendi *in institut. de just. & jure*.

151 *De copulativis definitionibus.* 25. *Definitio non debet esse copulativa vel disjunctiva.* Hoc est, in definitionibus non debet poni vel &, vel *aut*. Sumitur autem prior pars ex *Aristot. 2. poster. c.* 30. ubi dicit, hominem esse animal pedestre, non animal *ET* pedestre, &c. ὁ ἄνθρωπος ζῶον ἐστὶν πεζὸν ἀλλ' οὐ ζῶον καὶ πεζόν.

152 *De Disjunctivis.* Altera pars autem sumitur ex 6. *Top. cap. 7. §. 6.* & patet, quia omnis disjunctiva præsupponit partium dissensionem. Dissensio autem locum non habet in definitione. Vide etiam *Scalig. lib. 8 caus. Ling. Lat. pag. 114. Zabar. lib. 3. de Method. cap. 22.* ait, definitioni propterea non convenire dictionem conjunctivam, quia non conjungantur, nisi ea, quæ ut plura proponuntur. Partes autem definitionis etsi plures sint, tamen non ponuntur ut plures, sed ut ad constituendam naturam & essentiam unam conveniant, quatenus alia pars potestatem dicit & determinatur, alia pars actum significat & determinat.

153 Intelligitur autem hoc de definitionibus primariis & essentialibus, quales sunt, quæ fiunt *ex genere & differentiâ specificâ*

specificâ essentiali. Nam in aliis conjunctiones locum habent, veluti, si definiatur aliquid ex adjunctis. Ignis est elementum calidissimum *ET* levissimum. Item, si definiatur aliquid ex effectis vel finibus. Equus est animal domabile ad vehendum *&* trahendum. Natura est principium motûs *ET* quietis. Anima est principium, quo vivimus, sentimus, movemur, *Et* intelligimus, &c. Tales etiam definitiones essentiales fiunt ex materiâ & formâ, ut Homo est animal corpore *&* animâ rationali constans, & in genere: Corpus est substantia constans ex materia *&* forma. 2. *Disjunctivus* etiam *particula* locum habet, inprimis in definitionibus, quæ ex divisione fiunt, ut ex collectione proprietatum vel officiorum, quæ speciebus illius generis conveniunt, ut: Liberum arbitrium est facultas, quâ suscipimus *vel* repudiamus, prout libuerit ea, quæ à ratione decreta fuerunt, apud *Martyr. Class. 2. c. 2. n. 2.*

Determinatio prioris axiomatis.

Quando copulativæ possint poni in definitione.

Quando poni possint particulæ disjunctivæ;

Quòd si quandoque particula *ET* in talibus divisionibus ponatur, nihilominùs æquivalet disjunctivæ, veluti cùm *Aristot. 2. de an.* cap 2. *t.* 24. definit *animam*, quòd sit principium quo vivimus, sentimus, movemur, & intelligimus. Hæc ex divisione nata est definitio, Nam vivere est ab anima vegetante, sentire & moveri à sentienti, intelligere à rationale. Ac proinde, *ET* optimè disjunctivè sumitur. Sic quando *Aristot. 2. Phys. cap.* 1. definit *naturam* principium motûs *&* quietis. *Thomas, Averroes*, alique exponunt *ET* disjunctivè. Quia esse principium motûs & quietis convenit naturæ divisivè, ut scilicet sit in aliis corporibus principium motûs, in aliis principium quietis, &c. *Sensus interni* vulgò definiuntur sensus, qui species rerum sensilium apprehendunt, dijudicant, *&* conservant. Hæc ex divisione sensuum internorum facta est definitio. Nam conservare est memoriæ, apprehendere primò phantasiæ, dijudicare est sensûs communis. Indèque *ET* æquivalet ibi disjunctivæ *aut.* Homo modo in disjunctivam commutatur etiam copulativa à Commentatoribus *Hispani in 3. part. Log. fol.* 115. cum definiuntur substantiæ secundæ, quòd sint species & harum specierum genera, &c. Et *idem tract. 6. fol. 228. & tract. 4. fol. 164. Nulla*, inquiunt, *definitio datur per disjunctionem, nisi in ea immutetur aliqua divisio; sicut cùm definitur syllogismus demonstrativus esse is, qui ex principiis veris & immediatis est syllogizatus, aut ex iis, quæ per aliqua prima & vera principium*

154 Et *aliquando idem est quod* Vel.

suæ

ſuæ cognitiones ſumpſerunt. Hic enim innuitur diſtributio demonſtrationis in eàm, quæ eſt à priori, & quæ eſt à poſteriori, &c. Idem eſt in definitione propoſitionis, quæ definitur, quòd ſit oratio eſſe *aut* non eſſe ſignificans.

155 24. *In definitionibus rerum* non debent admiſceri vocabula *Logica.* Malè igitur judice Piccolom. *in Introd: Phyl: Mor. c. 6. Euſtratius in proœm: morali Nicom:* definiens, inquit, Diſciplina de moribus eſt *ſpecies* moralis Philoſophiæ, quæ in morum hominis compoſitione verſatur. Ratio rei familiaris eſt *ſpecies* Philoſophiæ moralis, quæ de familiæ, cohabitantiúmque in ea conſtitutione conſiderat. Civilis eſt *ſpecies* Philoſophiæ practicæ, quæ de civitate, degentiúmque in ea æquâ ac concordi adminiſtratione pertractat. *Quæ definitiones,* inquit Piccolom, *omni ex parte approbandæ non videntur, quia minùs rectè in definitione alicujus ſpeciei dicimus, quòd ſit ſpecies. Non enim definientes hominem dicimus, quòd ſit ſpecies animalis, ſed abſolutè quod ſit animal.*

156 25. *Verba in definitionibus non actum, ſed potentiam ſignificant.* Exempli gratiâ: Genus eſt, quod de pluribus prædicatur in quid, &c. *Prædicatur,* hoc eſt, prædicari poteſt, vel quod aptitudinem ſeu potentiam habet, ut de pluribus prædicari poſſit, etſi actu non enuncietur de pluribus. Diparata ſunt, quorum unum multis pariter opponitur. *Opponitur,* hoc eſt, opponi poteſt, vel quod potentiam habet, ut pluribus pariter opponi poſſit. Nam ſi oppoſitorum unum uni tantùm actu opponatur, quod in uſu frequentiſſimum eſt, & aliis tamen opponi poſſit pariter, adhuc diſparata ſunt, ut benè obſervavit *Dounam in Log lib. 1. cap. 13 pag. 237* vide alia exempla apud *Melanchthon. l. 1. Dial. p. 151.* ad definitionem proprii.

157 *Cur verba in definitionibus potentiam ſignificant.* Cauſa cur verba in definitionibus non actum, ſed potentiam ſignificent, hæc eſt, ſecundùm Hiſpani commentatores *tract: 2. Cop. Log. f. 73.* Omnis definitio debet fieri per ea, quæ ſunt magis intrinſeca definito. Aptitudo autem ſive potentia magis eſt cuique rei intrinſeca, quàm actus ſecundùm eam: ut inde patet, quod potentiæ à rebus ſeparari non poſſunt, poſſunt tamen actus ſeparari. Eſt homo, qui non ridet, ſed tamen non eſt homo, qui non ſit riſibilis, &c.

158 *Objicis:* Cur igitur non ſtatim ponitur in definitionibus verba ſignificantia poteſtatem, ſed ſignificantia actum, ut in prioribus viſum eſt. *Reſp.* Id ideò fieri, quia actus ſunt notiores

tiores potentiis. Definitio autem debet per ea fieri, quæ notiora sunt. ex *Aristot. 6. Top: c. 4.*

26. *Definitio generis, debet competere omnibus speciebus.* 159
hoc sequitur ex reciprocatione definitionis. Et habetur apud *Aristot. 6. Top. cap. 1. Sect. 1* Ita si animal definitur, quòd sit res animata sentiens, tum etiam quælibet species animalis talis est.

27. *Definitio debet esse clara, non obscura.* Sumitur ab *Aristot. 6. Top. cap. 1. & 2.* Consistit autem obscuritas multis partibus, quarum aliquæ in prioribus Canonibus tactæ sunt. Primò igitur est homonymia, si aliqua vox definitiva sit ὁμώνυμος. Velut si definiatur generatio, deductio ad substantiam, 2. Si ipsum definitum sit homonymum, nec satis appareat, in qua significatione sumatur ipsum. De quo dixi superiùs. 3. Si definitio fiat verbis Metaphoricis. De hoc dixi *Can: 15. 4.* Si definitio fiat vocibus inusitatis. De hoc dixi *Can: 16. 5.* Si contrarii definitio non fiat perspicua. Nam qui rectè definitiones tradunt, & contrarias adsignificant. 6. Si nòn appareat, cujus rei sit definitio, sed si similis picturis veterum, quibus adscribendum erat, quis depictus sit, ut ait *Aristot. 6. Top. Cap 2. Sect. 8.* 160 *Causæ obscurantes definitionem & earundem signa.*

28. *Falsa est definitio, si intensionem recipiat definitio, non autem definitum, aut contrà:* per *Aristot. 6 Top c. 7.* 161

29. *Falsa est definitio, si duabus rebus propositis alteri magis conveniat definitio, alteri magis conveniat definitum,* per *Arist. 6. Top c. 7.* 162

30. *Relativum debet describi relatione ad alterum.* Est *Sect. 1, c. 8. in l 6. Top.* 163

31. *Conjugatorum & contrariorum sunt conjugatæ & contrariæ definitiones.* Est *6. Top c. 9. Sect. 1.* In hujusmodi adeò evenit ut qui definit, non unum, sed plura definiat. Qui scientiam definit, quodammodo etiam ignorantiam definit. Similitérque sciens, & ignorans; scire, & ignorare. 164

32. *Privatio describitur per habitum & subjectum.* Ut: Cœcitas est carentia visûs in oculo. Si alterutrum omissum sit, vitiosa est descriptio. Est apud *Aristot. 6. Top. c. 9. Sect. 5. seqq.* 165

33. *Definitum non debet ingredi definitionem.* Sumitur ex *Aristot. 6. Top. 6. Sect. 6.* Perinde autem est, sive obliquè, sive directè in ea ponatur. Et patet. Cùm enim pro quovis vocabulo definiente reponi possit ejus definitio, in probatione definitionis, ut *Aristoteles* docet *6. Top. cap. 7. Sect. 7.* idcircò 166

si

si definitum in definitione poneretur, recurreret definitio tota in definitione. Ita mala est definitio literæ per hunc Canonem: *Littera est minima pars vocis ex literis compositæ.* Sensus enim est τετραλόγως. Litera est pars minima vocis ex literis compositæ. *Ex literis*, h.e. ex partibus minimis vocum ex literis compositarum. Et sic in aliis. Et sic vitiosè definitur mistio, quòd sit *misibilium* alteratorum unio, ut observat *Scal. exerc.* 101 *s.* 1. Ita Magister malè definitur, quòd sit persona, cui in solemni promotione imponitur nomen *Magistri.* Sic *Zabarell. l.* 3. *de mist: generat: & Int. cap.* 2. Ex hoc reprehendit *Galenum*, quòd putrefactionem definivit mutationem corporis *putrescentis*, *&c.* possunt tamen aliqua definitiones ab hoc præcepto excusari, si dicantur non reales, sed nominales esse. Deinde observandum est, cùm definitum significetur voce complexâ, posse alteram ejus partem resumi in definitione, quia scilicet tum fungitur ista loco genere, veluti: substantia corporea est *substantia* materiâ & formâ constans.

167 34. *Cui convenit definitio, ei etiam convenit definitum, & contrà ac viciſſim*; Hoc sumitur ex identitate definitionis & definiti eorúmque adæquatione & reciprocatione. Unde hic nihil peculiariter addendum.

168 34. *Definitum est notius definitione.* Vulgare est, & sumitur ex *Arist.* 1. *Phys. t* 4. ubi *Aristoteles* ait: nomen, hoc est, definitum, esse definitione notius, Videtur autem id pugnare cum axiomate nostro 14. ubi definitio dicebatur constare ex notioribus & prioribus. *Concilio.* Definitum est notius definitionis partibus notitiâ confusâ, atque sic intelligendus nunc est *Aristoteles*, ut indicant verba ejus *in t* 4. *&* 5. *Totum*, inquit, *sensu est notius. Universale autem est totum quoddam, siquidem multa. ut partes comprehendit. Sic autem ut nomina quodammodò affecta sunt ad definitionem. Totum enim non distinctè significat, ut circulus. At ejus definitio non dividit ea singula. Sic & pueri principio viros omnes patres, & mulieres matres appellant, sed horum utrumque postea discernunt.* At definitum est ignotius, loquendo de cognitione distinctâ. Confer *Perer. l.* 3 *de ord: doct. Phys: cap.* 12. 14. *& Zabar: lib.* 3. *de Meth.* 12.

169 36. *Syncategoremata non debent poni in definitione.* Syncategoremata dicuntur additamenta categorematum, ut sunt *De Syncategorema-* omnis, nullus, quidam, aliquis, nunquam, semper, aliquando, &, aut,

aut. Ita Scalig. lib. de caus. ling. Lat. cap. 80. Definitiones à natura ita sunt comparatæ, ut adverbiis non egeant. Ipsis enim signa universalia tum numerorum, tum temporum necessariò & semper intelliguntur. Idem enim est: Homo est animal. Et omnis homo est semper animal. Sic & lib. 61 de caus. ling. Lat. cap. 127. p. 329. malè inseritur *Nunquam* definitioni. Nam definienti satis est, si dicat est hoc & hoc, sic & sic. Definitio enim intelligitur competere per se, & omni, & uni, & semper. Et rursus *lib. 8, cap.* 152. p 385. Definitio competat omnibus, & vacet superfluis particulis. Ac de particulis *Et*, & *Aut* in superioribus satis dictum est *Canone* 23. De cæteris addendum est aliquid. tibus in definitione.

170

Igitur primò particulæ adverbiales, *nunquam*, *semper*, &c. rejiciuntur à definitionibus, nisi fortè expleant differentiam definitionis, & per eas singulariter definitum distinguatur a rebus aliis. Atque sic rectè definitur. Necessarium axioma, quod *semper* (ad differentiam contingentis verum est Contingens quod *aliquando* (ad differentiam necessarii) potest esse falsum. Adversa sunt, quæ sibi *perpetuo* vel *absolutè* (ad differentiam relativorum) opponuntur. Relativis enim convenit aliquando consentire. Proprium est, quòd *omni soli* & *semper* (ad differentiam accidentis, vel adjuncti communis) convenit. *Nunquam semper*, &c. *quando* possunt poni *definitione*

Deinde, cùm lex sit, de assumendo genere proximo ad definitionem, id tamen læpè fit innominatum, hinc solet assumi genus remotum, cum adjectione particulæ *quidam*, & *quædam* & *quoddam*, & quæ his æquipollent. Atque tum etiam talis particula non vitiat definitionem. Veluti: Natura est ἀρχὴ principium *quoddam* motûs & quietis, &c. Apud *Arist. 2. Phys. cap.* 1 1. 2. Legatum est donatio *quædam* à defuncto relicta ab hærede præstanda, apud *Justian. in Instit. de Legat.* §. 6. 171 *De particula quidam quando* possit poni in *definitione.*

37. *Definitio est intelligenda ut absoluta ab omni nunc & hic.* Vetus canon est. Per *omne Nunc* autem intelligenda est omnis differentia temporis. Per omne *Hic* autem intelligitur omnis locus. Ergò definitio non debet competere definito solùm in hoc loco, sed quale est in omni loco; nec quale est hoc tempore, sed quale est omni tempore. Veluti: Contingens est, quod potest non esse. *Hic non esse* ampliandum est ad omne tempus, ut comprehendat etiam non fuisse. Nam quæ facta sunt, adhuc tamen dici possunt contingentia. Ergò contingens dicimus, quod deinceps fieri aut non

fieri

fieri non potuit, tum etiam, quod etsi nunc factum sit, tamen, antequam fieret, poterat fieri.

172 38 *Ubi sunt diversæ definitiones, ibi sunt diversæ res.* Ex hoc axiomate concludebat Simplicius animam non esse naturam quia diversæ sunt utriusque definitiones; Et Mercenarius, aliud esse mistionem, & misti generationem. Sed sciendum est, 1. Diversitatem definitionum posse esse *cum subordinatione* aliquâ, quomodo diversa est definitio hominis & animalis, atque tum diversitas etiam non est realis & essentialis, sed talis qualis est inter genus & speciem. Ac talis etiam diversitas colligitur tantùm ex diversa definitione animæ & naturæ. Vide *Zabarell. de Natura c. 3. & 9.*

173 II. Diversitas definitionum potest esse in *accidentalibus*, veluti, quòd secundùm diversas intentiones aliæ atque aliæ formantur definitiones. Sic una quantitas est, quàm tractat Physicus, & Mathematicus: quia tamen iste considerat eam ut hærentem in materia & corpore, hic autem à materia abjunctam: idcircò iste connotat in ejus definitione subjectum: Hic non. Et hoc in casu non fiunt res diversæ essentialiter, sed solùm accidentaliter, vel ratione. Et idem existimat de mistione, & misti productione, *Zabarell.* quem vide *lib. 1. de mist. gen. c. 8. & 9.*

Caput. XXXI.

De Testimoniis.

1. Hactenus fuerunt quatuor classes argumentorum. 1. Consentaneorum. 2. Dissentaneorum. 3. Comparatorum. 4. Ortorum; Nunc sequitur de Testimonio.

2. Testimonium est sententia testis.

3. Dividitur tripartiam: 1. Ex parte testis. 2. Ex parte authoritatis. 3. Ex parte rei testatæ.

4. Ergò I. Testimonium est totuplex, quotuplex testis. Ergo aliud est testimonium Dei, aliud angeli, aliud hominis, atque adeò aliud experientiæ, aliud sensuum, aliud legis, &c.

5. II. Testimonium est divinum, vel humanum.

6. Testimonium divinum est, quod habet authoritatem, sive dignitatem divinam. Tale testimonium est Dei tum per se tum per scripturam loquentis.

7. Humanum est, quod habet authoritatem humanam, ut sunt testimonia artificum, legumlatorum.

III. Testimonium est vel de re sacrâ, vel profanâ.

9. De re sacra est, quod refertur ad articulos fidei. De profanâ, quod secus est.

COMMENTARIUS.

I. De voce Testimonii, & æquipollentibus.

1. Hoc argumentum dicitur *Testimonium*, tum quia fertur à teste, tùm quia est de re aliquâ testatâ, vel testandâ. 1

2. Dicitur *autoritas*, & *locus ab autoritate*. Ubi tamen observandum est: Autoritatem bifariam dici. Aliquando est idem, quod dignitas & existimatio dicentis, vel testantis; & sic à testimonio distinguitur, & non est testimonium ipsum, sed est in Testimonio. Veluti, sic testimonium est *Aristotelis*: formam esse ingenerabilem. Autoritas autem est, doctrina & sapientia Aristotelis, quæ me adducit, ut credam ipi testimonio. 2. Sumitur Synecdochicè pro toto complexo, ex testimonio ipso & testis dignitate. Sic autoritas *Aristotelis* citatur, cum illius viri sapientis dictum citatur. Unde sic sub testimonio comprehenditur autoritas. 2

3. Dicitur *argumentum inartificiale*, à *Cicerone in partit.* & *Ramo in Dial. cap.* 32. *lib.* 1. Et *Aristot.* 1. *Rhet. cap.* 2. non quia nihil, sed, quia minus artis habet, quàm cætera argumenta. Minor certè ars est compilare dicta aliorum ad confirmandam aliquam conclusionem, quàm eruere ex terminis conclusionis per effecta, causas, subjecta, adiuncta, aliáque argumenta, rationes ad eam probandam. 3

4. Dicitur *argumentum assumptum & externum*. A *Cicerone in Topicis*, & indicatur ab *Aristot. in Rhet. ad Alex. cap.* 8. Atque hæc appellatio commodè illustrat hanc doctrinam. Dicitur igitur assumptum vel externum, quia à se, &, ut testimonium est, non habet vim probandi, sed habet eam extra se, & eam aliunde assumit, nempe ex autoritate testis, hoc est, ex causis, effectis, adjunctis, &c. testis. Et hoc est, quod *Ramus* ait, *lib.* 1. *Dial. cap.* 32. Testimonium non suâ naturâ, sed assumptâ alterius argumenti vi arguere. 4

5. Vocatur etiam ex *judicio rei*, & ἐκ κρίσεως, ut ex *Boëtio* & *Themistio* refert *Regius l.* 4. *disp. Log. Probl.* 10. *pag.* 848. & ex *Arist.* 2. *Rhet. cap.* 23. *Fonseca* 7. *Instit. Dial. cap.* 35. 5

II. De definitione Testimonii.

Testimonium ferè non dicitur sine ambiguitate de suis inferioribus. Unde non adeò commodè definiri potest. Dixi- 6

tamen *esse sententiam testis*: quæ voces sunt intelligendæ cum proportione ad testimonium. Prout igitur hoc de aliqua re dicitur proprie, vel improprie: Ita etiam res aliquæ dicuntur propriè, vel improprie testes, & proprie vel improprie dare testimonium.

Hic quæritur,

An testimonium rectè dicatur argumentum?

7 Ratio dubitandi est triplex. 1. Quod testimonium dicitur aliquid inartificiale. At omne argumentum hoc ipso, quo Logicum est, est artificiale. 2. Omne argumentum est terminus simplex. At testimonia sæpe sunt integræ sententiæ, sive axiomata. Denique argumentum & testis opponuntur. Sic in *Platonis Protag.* ait *Socrates: veritatem esse ponderandam non teste sed argumento.*

Nihilominus ex omnibus indiciis apparet, testimonium esse argumentum. 1. Quia ex eo fiunt axiomata, cum testimonium ponatur loco prædicati & testis loco subjecti. 2. Quia ex eo fiunt argumentationes. Porrò *rationes contrariæ* distinctis locis solutæ sunt in superioribus. Ad 1. *Reliquum* explicando, quomodo testimonium dicatur inartificiale, quod vide *praced. n.* 34.

Solutio objectionum.

Ad secundum vide *loc. cap. 1. in comment. n.* 8.

Ad tertium *ibid. n.* 1.

III. De divisione Testimoniorum.

8 Ea satis clare proposita est in theorematibus. Solum est observandum, variare me ab illis Logicis in definiendo testimonio divino & humano. Vnde divisio sumitur ex causa efficiente. Sed sic non apparet, quomodo adæquata sit hæc divisio, cum non omnia testimonia sint à Deo aut homine. Sunt enim etiam aliqua testimonia angelorum bonorum & malorum, apparitionum, stellarum, creaturarum, &c. Nec apparet quomodo in ratione efficientis & non connotans auctoritatem testimonii vel testis, testimonium Apostoli contineatur sub divino, & non alterius Sacerdotis, qui etiam ex inspiratione Dei loquitur. Cumque hæc omnia sint à Deo, propterea satius est *divinum* testimonium dicere quod divinam, hoc certam & infallibilem auctoritatem habet. *Humanum* autem dico, quod habet auctoritatem humanam, hoc est, inconstantem, incertam & fallibilem, quæ talis est. Atque sic est testimonium, quod non est Apostoli, sed vulgaris Sacerdotis, etsi sanctus si non habet auctoritatem divi-

nam

nam, sed si quid certitudinis & infallibilitatis est in eo, id est, non quia talis hominis testimonium est, sed quia commensuratur veritati scripturarum.

Sed quanta autoritas sit diversorum testimoniorum per distinctas quæstiones explicabo,

1. De Testimonio Dei.

Dei testimonium est omni exceptione majus. Unde quicquid dixit, verum est. Et quicquid fecit bonum est, quoniam ipsa veritas & bonitas est. Sed quæritur: 9

An Dei testimonium arguas assumpta vi?

Ita existimat *Ramus*, additque in genere de testimoniis: *quod perexiguam vim probationis habeant, cum requisita rerum veritas subtilius exquiritur.* Hoc tamen aliqui nec vere, nec piè dictum existimant, inter quos est *Donnus lib. 1. Dial. cap. 32. in com. pag. 461.* Alii *Ramum* defendunt, itaque plurimi. 10

Hic in re existimo 1. *Dici posse eriam modo divinum esse testimonium arguere assumpta aliqua vi.* Assumuntur enim ad testem attributa & effecta Dei, qui verus & bonus est, qui sapiens & omnipotens est, hoc dixit, Ergo verum est. Ibi assumuntur adjuncta Dei. In quantum tamen subtiliter hæc intuemur, tum, quia attributa divina identificantur cum divina essentia, illa attributa non tam dicuntur assumi ad testem, qua essentialiter intelligi & includi in teste. Cùm igitur Deum dicimus, hoc ipso dicimus essentiam veracem, sapientem bonam, &c. 11

2. *Ostendo inter Christianos, Deum Israelis colentes, rum verum est: Testimonium divinum non exiguam, sed summam probandi vim habere, etiam cum subtilius veritas inquiritur,* ut sit omnis veritatis norma in illud testimonium. Sed tamen est modus, secundum quem commodè explicetur mens *Rami.* Nempe non semper concertant Christiani cum Christianis, sed aliquando cum Judæis aut Paganis. Atque tum, cum contra Paganos fermo est, exiguam vim probandi habet, si afferantur testimonia Dei Abraham, Isaac, & Jacob, immensa Pinum in mundum, hoc est, testimonia ex Veteri & Novo Testamento. Potiora tum sunt oraculorum, Sybillarum, Pythagoræ, Platonis, aliorumque Ethnicorum dicta, per quæ primum adducatur Ethnicus. Sicut propterea Patres in talibus sermonibus non scripturas, sed Ethnica placita afferre soliti sunt. Et idem est in certaminibus Judaicis, 12

daicis, ubi Dei testimonia ex Novo Testamento similiter ex-
iguam vim habent.

13 Porrò alia Dei testimonia sunt, ut simpliciter loquentis; alia ut loquentis per scripturas. Ergo de his seorsim videbitur.

II. *De Testimonio scripturarum.*

14 Hoc testimonium ejusdem autoritatis est, loquendo de scripturis Canonicis, cum eo, quo Deus loquitur immediate. Quia sancti Dei homines scripserunt ex afflatu & inspiratione Spiritûs sancti.

15 Inprimis autem hic providendum est, ut habeatur verus sensus scripturæ. Alioquin enim non est testimonium ex scriptura, sed in scripturam illatum: ut *Augustinus* ait, *Epist. ad Marcell.* Cæterùm, ut verus sensus divinorum testimoniorum habeatur, observandum est, 1. *ut accipiatur sensus literalis.* Etsi enim etiam aliqua scripturæ dicta habeant sensum allegoricum & mysticum, tamen dubium est, an eum Spiritus sanctus intenderit, & si intenderit, quousque eum extendi voluerit. Vide *Hieron. in cap. 13. Matth.* Sic *Augustin. Epist. 48. ad Vincent.* reprehendit Donatistas, quòd ex illo: *Indica mihi ubi pascis, ubi cubas in meridie,* voluerunt extruere, quòd Ecclesia sit solùm in *Africa.* Et addit: *Quis non impudentissimè utitur aliquid pro se interpretari, quod in allegoria positum est, nisi habeat manifesta testimonia, quæ illustrent obscura.* 2. Tenenda est Grammatica & Rhetorica, ut intelligantur voces & phrases, quibus scriptura utitur, inprimisque hic ad fontes recurrendum est, hoc est, textus Hebræos, & Græcos. 3. Adhibenda est Logica analytis, ut intelligatur scopus, antecedentia, & consequentia. 4. Conferendæ sunt scripturæ, ut sensus sive interpretatio sit consona & conformis fidei. 5. Scriptura est integrè allegandi, non ut Diabolus allegavit. *Psal. 91. Matth. 4.* omittendo particulam, ut custodiant te *in viis tuis.* Alia quæ prolixè traduntur à Clarissimo *Flacio in Clav. scripturæ,* ibi vide. Quibus adde *Augustin. lib. de doct. Christ. & Consens. Evang. Erasmum in serm. de vera ratione Theol. quæ est præfat. ad Comm. in Matth.* aliósque.

Regula de eruendo vero sensu scripturarum

III. *An authoritas Patrum sit infallibilis & divina?*

16 Pontificii valde multum tribuunt patribus. Unde consensum cum eis ponunt pro nota Ecclesiæ.

Nihilominus

Nihilominus dicendum est 1. *non esse authoritatem patrum infallibilem.* Nam 1. patres sibi ipsi nolunt hanc certitudinem tribui. Sic cùm *Volusianus Augustino* nimium tribuisset, petit *Augusti Epist* 3. ut istam opinionem præsumptam deponat. Et *Epist* 7. inquit, *Ego fateor me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt. Unde si aliquid vel incautius, vel indoctius positum est à me, quod non solum ab aliis, qui id videre possunt, meritò reprehensum est, verum etiam à meipso, nec mirandum est, nec dolendum. Nam nimis perversè se amat, qui alios vult errare, ut error suus lateat, &c.* Et posteà memorat quendam à *Cicerone* laudatum, quòd nullum verbum emiserit, quod revocare vellet. *Quæ quidem tam quamvis præclarissima videatur, tamen credibilior est,* inquit, *de nimium fatuo, quàm de sapiente profecta.* Et posteà: *Ab hac ego excellentiâ tàm longè absum, ut si nullum verbum protulero, quod revocare vellem; fatuo, quàm sapienti sim similior.* Et *Epist. 9 ad Hier.* de *Origine* scribit quòd in eo, quæ vera & recta invenit, (ita *Origines* non est mensura veritatis *Augustino*) approbet & laudet, falsa verò & prava improbet & reprehendat. 17 *Patrum autoritas non est infallibilis. Patres nolunt sibi tribui infallibilitatem.*

2 Ipsi Patres declinârunt objectiones sumptas ex prioribus Patribus. Sic cùm *Augustino* objicerent Donatistæ, dicta *Cypriani* & *Hilarii.* Respondet *August. Epist.* 48. *ad Vincent. Hoc genus literarum, quod est Episcoporum nostrorum, distinguendum est ab auctoritate Canonis. Non enim sic legantur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, ut contrà sentire non liceat, si ubi fortè aliter sapuerunt, quàm veritas postulat. In eo quippe numero sumus, ut non dedignemur etiam nobis dictum ab Apostolo recipere: Et si quid aliter sapitis, id quoque vobis Deus revelavit.* Sic & *Justin. q.* 119 cum ei objiceretur aliter sentire Patres Respondet: *Sed Apostolus, pater patrum sic dicit.* Huc pertinet, quod idem *August.* habet. *Ep.* 18. *in init. Ego solis scripturarum libris didici hunc honorem habere ut nullum eorum autorum scribendo errare aliquid, firmissimè credam. Unde si aliquid in eis offendo literis, quod videatur contrarium veritati; nihil objiciam, quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum, aut intellexisse, quod dictum est. Alios autem ita lego, ut quantâlibet sanctitate doctrinæ præpolleam, non ideò verum putem, quia illi sic locuti sunt, sed quia mihi vel per auctores Canonicos, vel aliâ probabili ratione, quòd à vero non abhorream, id persuadere* 18 *Patres declinarunt objectiones ex aliis Patribus.*

potuerunt. Sic lib. 2. de Baptis. com. Donat. cap. 3. ait: Ipsi scoporum libros non esse tales, ut non possint reprehendi à sapientioribus & doctioribus. Habetur d. 18. Sect. Qui nescit apud Gratian. Adde ibid. ex Augustino, non frater, &c. in quorumlibet.

19 *Patrum errores.*

3. Patres aliquando deprehenduntur errare. *Hieronymus* damnavit secundas nuptias. *Tertullianus* in multis approbat sententias Montanorum. *Cyprianus* censuit rebaptizandos esse, baptizatos ab hæreticis. *Ambrosius* sentit Martyres profusione sanguinis sui nobis salutem acquirere. Omnes fitme *Patres synagogæ Judaicæ* paulo ante adventum Christi, existimârunt futurum mundum hominem, regemque terrenum. Vide Dn D. *Hunnium tom. 1. op. Lat. f. 1. 2. de Ecclesia.*

20 *Pontifices recedunt à doctrinis Patrum.*

4. Ipsi Pontifices aliquando recedunt à sententiis eius communibus Patrum. *Cajet. in præf. in Gen.* ait: *Si quando occurrerit aliquis sensus, inquit, textui consonans quamvis torrente Doctorum, dicunt, lector se æquum censorem præbeat, nullúsque detestetur eum ex hoc, quod dissonat à priscis Doctoribus. Non enim alligavit Deus scripturæ expositionem priscorum Doctorum sensibus. Alioqui spes nobis tolleretur exponendi scripturam.* Et sic *Perer. in Gen. lib. 3. n. 46. & lib. 7. n. 178.* ait, non inique se facere, quod dimissa Patrum communi sententia, dicit: Paradisum terrestrem non superesse. Addit simile factum *Augustini*, ante quem omnes ferè dixerunt, mundum paulatim sex diebus conditum, ipse tamen mundum simul conditum dicit, & inde successores plurimi. Sic idem *Perer. lib. 7. in Gen. n. 178.* ait, communiter à Patribus doceri, quòd veræ aquæ sint supra cœlum, nihilominus aliam sententiam rectius defendi, quòd aquæ illæ intelligantur esse in medio aëre. Et addit postea *n. 181.* admonitionem, quòd opiniones contrà Dd. consensum initio tractandæ sint leniè & cunctanter, donec accedant aliorum Doctorum & Academiarum judicia, manifestè innuens, communem Patrum sententiam falsam esse posse.

21 *Patrum consensus facit veri similitudinem.*

II. Dico: *Consensum eum Patribus esse judicium veri similitudinis solùm & probabilitatis.* Probabile enim *Aristoteli* dicitur, 1. *Top. cap.* 1. quod multis sapientibus videtur. Atque sic sentientes præcludimus 1. necessitatem tenendi quod Patres tenuerunt. 2 Præcludimus temeritatem in dissentiendo à doctrina Patrum, hoc est, media via imus, nos nimis

nimis Patres extollentes, nec nimis eos deprimentes.

22 Patres in rebus sacris æquiparantur Philosophis in rebus suis.

Ex dictis apparet, Patrum testimonium tanti esse in expositione rerum Theologicarum, quanti æstimatur doctorum Philosophorum in expositione rerum Philosophicarum. De quibus dicitur, quòd non tribuant rebus veritatem, sed solum apparentiam credulitatis. *Propter hujus vel illius affirmationem nihil mutatur quidem in re, mutatur tamen animus dissentientis, dubium incredulitate alicujus sententiæ, propter auctoritatem & judicium sapientis, judicantis eam esse veram, ajunt Tol. Colon. ad Hisp. tract. 5. 222. fac. 2.*

23 Considerandum 1. qui veri Patres sint,

Cæterùm tum adhuc est observandum 1. Loqui nos de veris Patribus, hoc est, inprimis, qui vixerunt à nato Christo ad annum 400. & paulò amplius. Postea enim paulatim abire cœptum est à puritate Ecclesiæ.

24 2. Eorum quæ vera scripta Catalogus Scriptorum suppositiorum.

Loquor de verorum Patrum scriptis, non suppositiis, sed genuinis. Multa enim tribuuntur Patribus, quæ eorum non sunt. *Hieronymo* tribuuntur commentaria in Epistolas *Paulinas*. Sed illa putantur scripta à quodam *Pelagiano*. Vide *Augustin. l. 3. de peccat. merit. c. 12.* *Damasceno* tribuitur liber de oratione pro defunctis. Sed *Chemn. p. 1. ad exam. conc. Trid. p. 182.* & ipse *Bellar. l. 2. de Purgat.* & ostendit fictitium esse librum. Idem, Canones Apostolorum librum, *Abdiæ*. & Pastoris fictitium ostendit *l. 2. de bon. op. c. 20. p. 280.* *Clementi* tribuuntur libri constitutionum, sed fictitios esse monstrat *Chemn. p. 4. exam. conc. Trid. p. 206. 207.* Sic librum *Hermæ* improbant *Eusebius* & *Tertullianus*. Vide *Chemnit. ibid. pag. 210.* Et de Epistola *Ignatii ad Philip. ibi.* & similes sunt multi alii. Videri hac de re possunt *Magdeburgenses* in Centuriis, cùm singulorum Patrum libros recensent. Et *Gratian. d. 15. sanctæ Romanæ.*

25 3 Videndum, an verè sit patris, quod ei tribuitur.

Videndum est, an apud patrem sit, quod ex eo citatur. *Augustinus* scribit, quòd *Tertullianus in Scorpiaco* damnârit *Valentinianos*, quòd dicerent, mortuos non esse colendos. Sed nihil tale est in isto libro, ut fatentur etiam *Bellarm. l. 2. de sanctis, c. 11.*

26 4 Considerandæ est exemplaris vetustas.

Videndum an sit, quod allegatur, in omnibus, & inprimis vetustis exemplaribus. Sic pontifici ajunt ex *Chrysostomo*, quòd Imperatores Christiani supplicarint Sanctis. At hoc in vetustis exemplaribus non habetur, sed assumptum est in posterioribus. Vide *Chamier. in præf. ad part. 4. exam. Trid. Concil.*

27 5. Videndum an quod in translatione est, sit etiam in originali textu. Sic deprehensi sunt Pontificii apud quos allegatur ex 6. Syn. Can. 36 hoc modo apud Grat. d. 22 c. Renovantes. *Renovantes Decreta sancti Constantinopolitani Concilii petimus, ut Constantinopolitana sedes similia privilegia habeat, quæ Roma, non tamen magnificetur, ut ista.* Atinia Græco est sensus contrarius, pro *petimus* est ὁρίζομεν *definimus*. Et pro negativa: *Non tamen*, est affirmativa κ, Καὶ τὰ ἐκείνῳ μεγαλύνεσθαι. Hæc potiora sunt, quæ sunt notanda circa usum doctrinæ Patrum. Qui plura volet, videat Chemn. d. præf. ad p. 4. exam. & p. 1. in 6 genere traditi. pag. 128. seq. prolixè.

5. *Considerandum exemplar originale.*

IV. An Concilia habeant autoritatem infallibilem?

28 Pontificii Logici dividentes testimonia divina connumerant iis, Concilia, Traditiones, & Decreta Pontificum. Videt *Fonsecam, Hunnæum, Titelmannum*, aliosque in Logicis. Et adde *Peresium l. 2. de rat. comp. c. 19.* Et quanquam plena horum tractatio magis Theologica est, quàm Logica tamen in quantum à Logico proponenda est divisio testimonii divini, idcircò necessariò hic videndum, an nostra divini testimonii doctrina imperfecta, an verò Pontificiorum superflua sit.

29 Igitur Pontificii Conciliis authoritatem divinam tribuunt, quanquam restringunt hoc ad Concilia ea, quę à Pontifice *Romano* indicta sunt, & confirmata, *Greg. l. 1. Regest. Epist. 24. sicut sancti Evangelii quatuor libros*, inquit, *si quatuor Concilia (prima) recipere me, atque venerari fateor*, ut habetur *c. 22. C. sicut sancti Evangelii.* Et addit *Greg. C. justissimi vitæ atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etsi lapis esse cernitur, tamen extra ædificium jacet.*

30 Contra hanc opinionem non inquiram, an illa omnia Concilia, quæ Pontificii œcumenica dicunt, à Pontifice congregata, aut confirmata sint, nec etiam an aliquid autoritatis ex tali congregatione aut confirmatione iis possit accedere; sed solùm breviter ostendam, Concilia errare posse, remissâ objectionum solutione ad Theologos.

31 *Errores Conciliorum.* Igitur 1. Erravit *Concilium Neocæsariense*, damnans secundas nuptias *can. 7.* Concilium *Chalcedonense* erravit (ex Pontificiorum hypothesi) quando exæquavit Episcopum *Constantinopolitanum* Pontifici Romano. Rursus erravit Concilium *Constantiense* (ex Pontificia hypothesi decernens, quòd Concilium sit supra Pontificem, Concilium *Syrmiense* congregatum

gregatum à *Constantino* Imp. & *Liberio* Papa fuit, ut ex *Socrate* & *Sozomeno* scribit *Perer. 19. c. in Gen. n. 39.* Illud igitur anathematizavit sententiam eorum, qui negant *Gen. 19. (pluit Dominus à Domino)* intelligi duas personas, dicentes, à *Domino*, esse idem quod à seipso. Et tamen ipsi Pontificii sic id postea explicârunt, quòd à *Domino* sit per *Hebraismum* idem quod à seipso. Ita *Vatablus, Pagninus, Oleaster, & Pererius* ipse. Ergò de sententia Pontificiorum nonum, erravit Concilium. Seipsos enim anathematizatos esse, contrarium docentes, non audent dicere. Synodus *Romana* sub *Sylvestro c. 16.* sub anathemate præcipit erroneo argumento Sacerdotibus, ut maneant extra curiam, quia curia dicatur à cruore. Rursus *in superiori Neocæsar. Conc. Can. ult.* præcipiunt Episcopi, ut in qualibet civitate septem sint Diaconi, At hæc ipsa lex nunc abrogata est. Et quid verbis opus est? Ipsi Patres Concilii, cùm recedunt à Concilio, rogant, ut, si quid errârint, id remissibile eis velit facere Dominus. Vide *præf. ad tom. Concil. de ord. celebrandi Concilia.* At id non dicerent, nisi præsumerent, quòd possint errare. Ex *l. 1. Inst. jur. Can. tit. 2. §. alio verò*, dicitur, inter Concilia ductu Sp. S. congregata posse discordes esse sententias, atque tum tenendam antiquioris & majoris authoritatem. Plura omitto. 32 *Patres recedentes à Concilio rogant veniam errorum.*

V. An Decreta Pontificum habeant authoritatem infallibilem?

Hic iterum affirmativa sententia est Logicorum Pontificiorum. Et *d. 19 ac 20. apud Gratian.* decreta ista Scripturis exæquantur, docenturque quòd eodem modo tenenda sint, ac si ab ipso *Petro* sint formata, ut *Agatho* Papa rescripsit *d. 19. can. sicomner.* 33

Hac in re dico I. *Posteriorum Pontificum decreta adeò non esse divina, ut potius Antichristiana dici debeant.* II. *De antiquioribus Pontificibus idem judicandum est, quod de aliis Patribus.* De quibus dixi in prioribus. Aut fortasse etiam minùs eis tribuendum est, cùm per Apostolum *2. Thess. 2.* statim in initio Antichristus operatus sit mysterium iniquitatis. III. Decreta autem quæ antiquioribus Pontificibus ascribuntur *in tom. 1. Concil.* illa multis suspecta videntur & non immeritò judicantur esse suppositicia. Videatur *Cent. 1. 2. & 3. Magdeb. suis locis. Witack de Pontif. p. 398. seqq. Sleidan. de 4. sum. Imper. p. 205 seqq.*

VI. An

VI. An traditiones habeant autoritatem divinam & infallibilem?

34 Per traditiones, inquit, *Tannerus in Colloq. Ratisb. sess. II. p. 230.* intelligamus ejusmodi præcepta & constituta ad eadem seu religionem spectantia, quæ exclusa infallibili autoritate Ecclesiæ in Scriptura nec aperte continentur, nec ex ea evidenter deducuntur. Has igitur traditiones Pontifices atque adeò eorum Logici testimoniis divinis annumerant, *juxta Concil. Trid. sess. 4. decr. 1. Traditiones istas, quinquam Concilium, pari pietatis affectu ac reverentiâ (cum Scripturis) suscipimus, & veneramur.*

35 *Catalogus falsarum traditionū.* Contra hæc dicemus primùm quòd obtentu traditionum multa in Ecclesia sæpè defensa sunt, quæ tamen posteà deprehensa sunt falsa fuisse.

36 *Christum anno 50. ascendisse.* 1. Irenæus ex traditione docebat, Christum ascendisse anno à Nativitate suâ quinquagesimo. At Ecclesia id posteà dimisit. Vide *Chemnit. in Harmon. in prolegom. p. 19.*

37 *Paradisum superesse.* 2. Presbyteri *Asiæ*, Apostolorum discipuli, Paradisum terrestrem adhuc superesse tradiderunt. Et hoc posteà frequentissimè traditum est à Patribus. At hanc traditionem oppugnat *Perer. l. 3. in Gen. n. 48.*

38 *Opinio Chiliastarum.* 3. Apud *Euseb. l. c. 39.* memoratur de Papa *Fabiano*, Apostoli auditore, docente, quòd diligenter didicerit ab Apostolis eorum præcepta. Inter ea autem fuit opinio *Chiliastarum.* Et inde à plurimis Patribus ea acceptata fuit. At nunc commodissimè rejicitur.

39 *Christum uno anno prædicâsse cessatura supplicia.* 4. *Clemens. l. 1. Stromatum*, memorat, se diligentissimum fuisse in audiendis iis, quæ tradebantur. At hinc in multiplices errores incidit, Christum uno solùm anno prædicâsse cessatura simplicia, &c. Vide *Chemn. p. 1. ad Conc. Trid. p. 64.* ubi similia tradit de aliis.

40 *Conclusio.* Quandoquidem ergò sciri non potest, an verè Apostolorum sit, quod ab iis traditum dicitur, nos Scripturas solas amplectamur. Hæ sunt lucerna pedibus nostris, & solæ pro divinis testimoniis habeantur.

VII. An ex apparitionibus mortuorum sumantur idoneа testimonia ad probandas res sacras?

Affirmativa est Pontificiorum. Sic *Bellar. l. 1. de Purgat. c. 11.* probat Purgatorium, quia anima *Patricii* apparuerat S. *Germano*, *Vitalinæ Martino*, & *Severinus* apparuit cuidam Episcopo *Coloniensi*, eique significavit, se in Purgatorio torqueri,

torqueri, quòd horas Canonicas non persolviſſet diſtinctis horis, ſed mane omnes ſimul concerraſſet. Et quæ ſequuntur. Talia multa ridicula proferre memorantur apud *Chemn. part. Concil. Trid. pag.* 184. *ſeqq.* Eodémque modo probare ſolent cultum ſanctorum & imaginum, adorationem reliquiarum, peregrinationes ad loca ſancta,

Hoc in re ſatis nobis eſſe poterat, quòd ipſi Pontificii aliquando rejiciunt apparitionum teſtimonia, ut maximè ea, quæ à viris magnis inter Pontificios ſint deſcriptæ. Sic *Bellar. l. 2. de Purgat. c.* 15. rejicit quod *Beda l. 3. hiſt. c.* 19. ſcribit de viſione *Furſæi*, quòd hic viderit in via ad cœlum eſſe maximos ignes, per quos etiam tranſeuntii, qui nihil combuſtibile habeant. Etſi *in primo citato loco* magnificè extollat *Bellarminus* viſiones *Furſæi* à *Beda* deſcriptas. Sic rurſus *l. 2. de Purg. c.* 14. rejicit viſiones, quę teſtantur animas in purgatorio eſſe inciertas de ſua ſalute, quæ tamen conſcribuntur aliàs à *Dionyſio Carthuſiano 4. Noviſſ. a.* 47. Sic hiſtoria Scholaſtica *in Gen. c.* 24. refert, Methodio in carcere revelatum eſſe, quòd *Adam* 15 annis luxerit lapſum, & illis exactis genuerit *Cain*, deinde poſt 15. genuerit *Abel*. Inde autem poſt centeſimum interfectum eſſe *Abel*. At hæc revelatio rejicitur à *Perer. l. 7. in Gen. num.* 9. 10. Talia multa commemorari poſſent.

41 *Pontificii ipſi aliquando rejiciunt apparitionum teſtimonia.*

Eſt tamen ſupra hæc obſervandum, Patres etiam diſertè rejeciſſe eas apparitiones. Vide *Tertull. de an. c.* 33. *Theophyl. in c.* 8. *Matth. Auguſt. de civ. pro mort. Chryſoſt. hom.* 29. *in Matth.* ait, hæc eſſe vetularum & deſipientium verba, & puerorum ludibria de animarum reditu, & ſi maximè anima dicitur *ego talis anima ſum*, tamen hanc orationem à fraude ac deceptione Diabolicâ eſſe. Poſtea etiam inducit probationes, quòd nec juſtorum, nec peccatorum animæ redire poſſint. Conf. *Sutlivan. de Purg. c.* 18. *p.* 263. *de Martyr. Claſſ. 1. c.* 9. *n.* 5. *& Claſſ. 8. loc. com. c.* 14. *n.* 110. *& c.* 23. *Chemn. pag.* 3. *ad Conc. Trid. p.* 325. *Hondorff. in Theat. Hiſt. ad 3. præcep. tit.* 8.

42

VIII. *An ex ſomniis poſſint ſumi probationes?*

Ariſtot. de divin. per inſom. c. 2. Negat ſomnia à Deo immitti, quia inprimis σπουδαίους, h. e. minùs generoſi & gregarii homines ſolent futura prævidere in ſomniis. Exiſtimat, ſi ſomnia à Deo eſſent, cum inprimis ea contingere excellentibus hominibus. Sed hæc ſententia Ethnica eſt, & profligatur multis exemplis divinorum ſomniorum, quæ in Scripturis memorantur. Neque exiſtimandum ſolùm antiquioribus temporibus

43 *Ariſtotelis ſententia.*

poribus à Deo hominibus somnia immissa esse, sed id adhuc etiam quandoque fieri. *Augustin. de cura pro mortuis* memorat, Mediolani, cùm civis quidam mortuus fuisset, venisse creditorem, & petiisse debitam pecuniam ab hæredibus. Filius, etsi sciebat creditori isti à parente satis factum, tamen acceptilationem, aut quitantiam, quam vocant non invenit. Hinc in somnio docetur, ubi ista acceptilatio posita sit. Hoc *Augustinus* docet factum esse per Angelum. Similiter frequenter contingunt.

44 *Decisio autoris.*

Ex quibus sequitur somnium, quâ tale est, non esse fallax & incertæ fidei, Sic enim conveniret id omnibus. Nihilominus, quia & varii lusus possunt esse in somniis, ut per eos Diabolus adducere ad superstitiones & hæreses possit, somnia *primò* non esse credendum, sed omnia sunt examinanda ad legem & ad testimonium, *Esa.* 8.

IX. Quatenus testimonium consuetudinis vim habeat.

45 *Consuetudo loquendi*

Lex pertinet ad testimonium. Sub lege autem continetur consuetudo, quæ est lex non scripta. Est autem advertendum aliter loquendum esse de consuetudine circa verba, & aliter circa res, earumque veritatem, aut bonitatem. Igitur quoad verba consuetudo non est dimittenda; Juxta illud: *Verba valent sicut nummi. Nummi usu, verba usu.* Quoad rerum Veritatem autem, aut actionis bonitatem, non ita obligat consuetudo. Atque tùm consuetudo ut sic, nihil valet; valet solùm, cùm pro fundamento habet veritatem rei, aut bonitatem actionis; secus est, cùm pro fundamento habet falsitatem rei, aut actionis malitiam. *Si quid contra fidem catholicam usurpari dignoscitur, non tàm consuetudo, quàm vetustas erroris est appellanda.* Dicitur in *Instit. jur. Can. dist.* 1. *tit:* 2. §. *hæc tamen.* Et *Augustin. l.* 3. *de Bapt. contra Donat. cap.* 6. inquit, *Veritate manifestatâ, cedat consuetudo veritati.* Et antè. *In Evangelio Dominus ait: Ego sum veritas, non dixit, ego sum consuetudo.* Et *Cypr. lib.* 2. *Ep.* 3. *ad Cœcilium,* inquit, *si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Nullque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* Rursus cùm consuetudini veritas subest, tenenda illud *Augustin. ex lib. de Baptism: contra Donat. cap.* 3. Cùm consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmiùs retineri. Unde similes sententias, *d.* 8. *apud Gratian.*

Quoad res.

Consuetudo fortificat veritatem.

Et

Et adde Schneidw. *lib. 1. Inst. 2. §. ex non scripto. num. 4.*

X. An lex naturæ contineatur sub testimonio divino?

Ramus sub humano, *Aristotelici* sub divino testimonio legem naturæ continent. Vide *Bourhus. in compar. Log. 6. pag.* 835. Hic utrumque dici posse videtur. Ergò, Humanum erit testimonium lex naturæ, quatenus homines per hanc suam notitiam de peculiaribus rebus testantur. Testimonium autem divinum erit, quatenus coincidit cum lege morali, in Scripturis propositâ. Cùmque inprimis authoritas faciat testimonium, humana humanum, divina divinum, idcircò, cùm lex natura authoritatem divinam habeat, magis ad divinum testimonium pertinere videtur quàm ad humanum. 46

VI. An judicium sensuum sit infallibile?

Resp: 1. Negativè, *judicium sensus nullum est.* Non enim sequitur id non esse, quod sensus non cognoscit. Non videmus animam, quæ tamen revera est. Et sic in aliis. Sunt enim multa sensibus improportionata, quæ idcircò sentiri non possunt. Qualia sunt Entia spiritualia, essentiæ substantiales universales, cùm sensus tantum cognoscat 1. Singulahia. 2. Accidentia, 3. In corpore. 47

2. *Sensuum judicium certum est, considerando totam latitudinem objecti cujusque.* Veluti quod judicat visus, hoc non est sonus. Et quod judicat auditus, hoc non potest esse color. Et sic in aliis. 48

3. *In particulari tamen sensus errare possunt,* idque in multis. 1. propter indispositionem *organi.* Veluti, si oculus læsus sit, videntur sæpè viridia, quæ alba sunt. Si læsa sit in lingua, putantur amara quæ sunt dulcia. Et huc pertinet etiam, si læsum, aut perturbatum, vel occupatum sit commune sensorium. Sicut est hominibus ægrotantibus cerebro; aut ebriis, quorum cerebrum nimis est oppletum humoribus; aut attentis in certa aliqua re, unde in consideratione illius non advertunt, quid dicatur ab aliis. 2. Propter indispositionem *objecti.* Veluti, si ad videndum non sit objectum satis illuminatum, quomodo in crepusculo potest errare visus, si hominem intueatur. Aut si objectum sit valdè minutum, quomodo errare potest legens literas minutiores. Aut si objectum sit admodùm tenue. Visibile enim densum esse debet. Aut si sit nimis distans, veluti errat visus judicando de quantitate Solis. Aut etiam si objectum sit minùs propinquum 49 *Errare potest sensus*

propinquum sensorio, quomodo non potest cognoscere visus objectum, quod oculo supraponitur. 3. Propter indispositionem medii. Veluti, si sit id imbutum alienâ qualitate, quomodo per cuticulam linguæ non recte ad sensorium transfertur sapor in febricitantibus, quia in his amaror flavus occupavit linguam. Aut si ad videndum non sit medium satis tenue, quomodo errat visus, videndo per nebulas aquam, aut fenestras.

CANONES.

50 1. *Quicquid Deus dicit, hoc verum est.* Ita patet, quia veritas Dei est ei essentialis & ipse est mensura omnis veritatis. Itaque,

51 2. *Quicquid in Scripturis dicitur, hoc verum est.* Ita patet, quia scripturæ sunt vox Dei. Intelliguntur autem hunc scripturæ Can: h.e. illæ, de quibus constat quod a sanctis Dei hominibus scriptæ sint, non autem quæ sunt scripturæ apocryphæ. Excipio etiam, quæ per prosopopœiam, & non ex sententia scripturæ dicuntur.

3. *Ejusdem roboris est, quod vel immediatè in Scripturis est, vel ex iisdem deducatur.*

52 Sunt enim aliqua in Scripturis, quæ in iis non dicuntur, ut ait *Nazianz. lib: 2. Theol.* Atque hoc genus argumentandi per consequens Christus ipse confirmavit, quando ex dictis Deus est Deus viventium, & est *Deus Abrahæ, Isaac, & Jacob*, concludit dari resurrectionem mortuorum. Sed quia non facile apparet, quænam genuinæ sint consequentiæ, idcirco postea alia specialia notanda sunt.

53 4. *Scriptura in vero suo sensu, demum est vera scriptura, hoc est, divinum testimonium.* Ita apparet, quia Hæretici etiam usurpant Scripturas, & ex iis formant consequentias. Nihilominus testimonia divina non afferunt. Inferunt igitur Scripturis suum sensuum. Et sic quod divinum putatur testimonium, hoc ipso revera humanum est. Cavendum igitur ne peregrinus sensus Scripturis inferatur. Vide *Gratian. d. 37. Can: Relatum est.*

54 5. *Non est sensus Scripturæ, qui non est ex originatione linguæ Scripturæ.* Ita patet, quia Spiritus S. istis solum linguis locutus est, Hebræâ scilicet in Veteri, & Græcâ in Novo Testamento. Unde quod in translatione est solum, non autem in originali linguâ, id in tantum non divinum, sed humanum

manum est testimonium. Malè igitur Pontifex Latinam vulgatam versionem canonizavit, hoc est, humanam auctoritatem fecit divinam.

6. *Non est sensus Scripturæ, qui contrariatur aliis Scripturæ testibus.* Sic *Justinus in Dial. cum Tryphone, pag. 129. Nunquam audebo hoc vel in animum inducere, vel eloqui sibi adversari Scripturas. Verum, si quæ Scriptura, quæ ejusmodi esse videatur in medium proponatur, & obtutum cum, quasi adversaria, alii sit, habeat, omnibus modis persuasum habeas nullam Scripturam ab alia diversam esse. Ipse me potius, quæ dicta sunt, non intelligere fatebor.* Similia posui ex *August: Ep. 18. sup: q. 3. hujus cap:* Veluti, quod dicitur *Joh. 15. v. 15* omnia dixi vobis: non potest habere sensum præteritum, quia pugnat cum illo, *Joh: 16. v. 12.* Multa non potestis portare modò. Verùm illum sensum habebit, juxta illam regulam: *Multa dicuntur facta, ut intelligantur certo futura,* quam tradit *August. lib. 1. in Genes: contra Manich. c. 7. & Ep. 57. ad Dardan.* Et *Justin: Apol: 2. Tom. 1. f. 151.* Huc pertinet, (hoc est, ad conciliationem Scripturarum) aliæ regulæ: veluti, quòd *multa dicantur in Scriptura comparatè, quæ intelligenda sint absolutè, & multa absolutè, quæ intelligenda sint comparatè.* Veluti: Misericordiam volo & non sacrificium. Et tamen alibi Deus legè præcepit sacrificia. Item *multa dicuntur κατὰ πολογικῶς, hoc est per modum causæ, quæ intelligenda sunt εὐβατικῶς, seu eventualiter, hoc est, intelliguntur ut judicantia eventum,* ut *Damascen: dit l. 4. de orth. fid. c. 20. & Chrys. hom. 55. in Joh.* Veluti concluſit omnes sub peccato, ut omnium misereatur, hoc est, ita factum est, ut omnium misereatur, Rom. 11. Sic etiam *mos est prophetarum & Apostolorum, arguere reprehensibiles in populo, quasi omnes sint reprehensibiles, alioqui laudabiles, quasi omnes laudentur;* ait *August: l. 2. de Unit. Eccles. c. 12. & Ep. 48. ad Vincent. & Ep. 59. ad Paulin.* Et explicatur apud *Hyperium, lib. 2. de rat. stud. Theol. c. 16.* Et *Whitak. de Eccles. p. 222.* Hoc tenendum est, ne feteamur tales Scripturas contrariari illis, quæ dicunt, alios pios, alios impios, alios electos, alios reprobos, alios damnari, alios justificari. 55

7. *Cum locus difficilis & obscurus varias habet explicationes, nulla earum tenatur obstinatè, imprimis, cum illæ analogiæ fidei, contextui, & linguæ propriæ non repugnant.* Traditur ab *August. l. 1. de Gen. ad lit. c. 18.* Et explicatur a *Peter.* 56

Perer. cap. 1. in Gen. reg. 3. in init. Quæ sum igitur Pontificii obstinatè colligunt *ex loco 1. Cor. 3. v. 15.* (*salvus erit, quasi per ignem*) esse purgatorium. *Ex loco 1. Petr. 3. seqq.* dari Limbum Patrum; cùm uterque locus de confessione Pontificorum, sit difficillimus, & quàm maximè obscurus, adeòque multiplices interpretationes habeat.

57 8. *Non est sensus Scripturæ, qui pugnat cum analogia fidei.* Debet scilicet omnis interpretatio esse analoga sive conformis fidei. Ita dicta, quæ videntur significare peccatum originale esse substantiam, non sunt tamen intelligenda substantialiter, cùm secus tolleretur resurrectio carnis nostræ, & monousia Christi, & nostrorum. Proinde hic tenenda est regula: *Multa esse vocabula in Scripturis substantialia, quæ tamen dicunt accidentia.* Veluti: Febris exivit ab illo. Et tamen febris non est substantia. Confusio opperuit faciem. Et tamen

58 confusio non est corpus.

9. *Non est sensus Scripturæ, qui pugnat, aut non cohæret cum contextu.* Ita non asserunt sensum Scripturæ Photiniani, quando locum *Joh. 1. v. 1. 2.* ubi *Λόγος* dicitur creare, explicant de creatione spirituali. Nam contextus indicat quòd mundus, quòd per Christum dicitur factus, non receperit eum venientem in mundum. At hoc non est de iis quæ à Christo facta sunt nova creatura. Ita malè Iidem cum *ad Hebr. 2. (initio tu, Domine, fundâsti cælum &c. terram)* explicant de Deo Patre. Nam contextus evidenter extendit sermonem ibi esse ad Filium, & cum comparari ibi cum Angelis.

10. *Sensus proprius semper tenendus est, nisi evidenter probetur contrarium.* Non est dubium, multa in Scripturis dici

59 tropos. Ideòque sine exceptione sensus proprius non semper urgendus est. Ita errârunt *Anthropomorphitæ*, quòd aliquot membra Deo asscribuntur in Scripturis, ipsi proprie intellexerunt, cum necessariò intelligenda sint per Metaphoras; quia alibi Deus describitur ut essentia spiritualis. Sic errârunt *Chiliastæ*, de millenario regni Christi ex Apocalypsi. *Judæi* urgenter literam in Prophetiis de Messia. *Pontificii* in dictis de Antichristo ex Apocalypsi, cùm tamen hic liber ferè omnia doceat mystico sensu. Ad hæc ergo tutur declinanda, valet superior regula, quæ sumpta est ex *Augustin. lib. 3. de doct. Christ. cap. 10. 16.* docetque, quod proprius sensus eligendus sit præ tropico, *nisi evidenter*

contrarium

communem probetur. Et ita *Calviniani* in verbis cœnæ malè deserunt literam, sive τὸ ἐστὶν, cùm non possint docere evidenter à *sensu* recedendum esse. Neque peti debent ab eo, qui literam tenet, rationes, cur sic sentiat. Simile hoc esset, ac si quis peteret ab iis, qui in itinere sunt, cur sequantur viam communem & tritam? vel cur ingrediantur per januam, & non per fenestram. Vide *Bell. l. 1. de Euchar. c. 12. f 673.*

NOTA,

Quæ hactenus proposita sunt Theoremata, de intelligendis Scripturæ sacræ testimoniis, possunt eodem modo adaptari ad testimonia quarumvis aliarum Scripturarum, veluti Philosophicarum, Medicarum, & Juridicarum: Veluti 1. non solùm *Aristotelicum est*, quod ad literam in *Aristotele* est, sed etiam, quod ex eo deducitur. 2. Testimonium *Aristotelis* in sensu ab ipso intento solum est *Aristotelis*. 3. Non est *Aristotelicum*, quod non est sumptum ex *Græca* lingua, quâ scripsit *Aristoteles*. Et sic deinceps. Solùm sunt aliqua peculiaria in Testimoniis Scripturæ sacræ, quæ facilè discerni possunt. Veluti: hoc testimoniis ejusdem autoris non convenit, ut sibi non contrarientur. Fieri enim potest, ut homo retractet ea, quæ priùs scripsit, veluti multa sunt apud *Aristotelem* conferendo librum Categoriarum & Metaphysicorum: apud *Augustinum*, conferendo libros retractationum, cum aliis libris.

60 *Generaliter hæ regulæ servari etiam debent, in cognoscendis sensibus aliorum testimoniorum.*

Quicquid est divinum testimonium, hoc conformatur Scripturæ sacræ. Hæc enim est mensura veritatis. Proinde pro divinis testimoniis non agnoscimus consensum Patrum, traditiones, concilia, definitiones Pontificum, apparitionum, somniorum, &c. de quibus satis in superioribus. Nam horum singula aliquando dissonant à Scripturis, ut ibi visum est. At, inquis, sæpè hæc etiam sunt Scripturis conformia? *Resp.* Non dici omne illud, quod divinæ Scripturæ conforme est, divinum testimonium, nempe, quod divinum testimonium est, aliâ conditione debet esse etiam authenticum vel authoritativum *ex se*, non per conformitatem ad aliud. Aut dicas: Non esse tum alia dicta Conciliorum vel Patrum, sed esse testimonia Scripturarum, quia in iis sint vel secundùm literam, vel secundùm bonam consequentiam.

61 *Non omne conforme divinis literis dicitur divinum testimonium,*

11. *Nullum testimonium humanum, quâ humanum est, est necessariæ veritatis.* Ideóque hic dici potest: *Testimonia*

62

humana inclinant, non necessitant. Dixi autem, *quæ humana sunt est.* Nam in quantum conformatur rationi cereæ, aut testimonio manifesto Scripturæ, in tantum necessitant, ut dixi. Dico autem testimonia humana inclinare. Neque inopportunus est in rebus Practicis, ubi virorum sortitum, sensus, prudentium exempla plurimum valent. In rebus Theoricis etiam nonnullam vim habent. In primis enim ne sæpe contingit, rationes non satis intelligi possint, à junioribus præterim, & hebetioribus. Tam igitur primò testimonia adducere non oportet ad veritatem. Sicut *Aristoteles* ait *Oportet discentem prime credere, & admirari.*

63 2. *Testimonium adversarii contra ipsum firmum est.* Primum dico, non semper ad probationem veritatis, attamen ad adversarium convincendum valere. Per testimonium adversarii intelligo omnem hypothesin, quam admittit adversarius, ut ex ea eum probem, sive non. Ita firma sunt testimonia ex V. Testamento contra *Judæos*, item ex eorum Thalmudistis. Contra *Gentiles* dicta *Sibillarum*, responsa oraculorum & Dæmonum, dicta gentilium Philosophorum & Poetarum.

64 Sic *Justin tom. 1. in orat. cum gentibi. p. 55. Tatian. Athenag. Theoph. p. 105. & Apol. 2. p. 132. 165.* multa affert ex Græcis de & pro Christianis dogmatibus Christianis.

65 Verum ad testimonia adversariorum, se eorum vocem etiam pertinet, quod nostes aliquando, tentantur de re nostra contra alios. Ita si quis Paganus nobis obiciat nostras Scripturas à nobis confictas, valde juvamur testimonio nostrorum, hoc est *Judæorum* de Scripturis. Sic *Justin. in orat. contra Gentiles. p. 54. ait. Quod etiam nos ipsa nostra præcepta tibi observamus, utrum id ne molestum est procul dubio.* Ne enim ex Ecclesiæ *Judæorum testimonia de Scripturis.*

causam peccemus, adhuc ex scriptoribus, quos [illegible] *sunt ex Hebræis eas interpretatos probemus, ut ex his hebraicos esse codices veteris testamenti, ac non recentes, neque corrupta juris liquidò & manifesto appareat.*

3. *Prima testimonia firmiora sunt.* Per Testimonia antiquissima autem hic intelligo. Theologiæ ratio tum est, ut antiquissimis testimoniis Theologicis fides habenda tum sit, quia veritatem non posse altitudo mentium, quam per congeriem ad Scripturam. Hæc enim mens ita est simplicium, quæ religio docet et magis conformis, ea simplicium

censendi

censenda est melior. De scriptore profano verum est contrarium. Nam sæpe unus derogat priori. Idque propterea, quia æqualis potestas Imperatorum omnium. Unde alter alterius decreta abrogare potest. Et ita hodie maxime obligant Leges, quæ derogant juri veteri, ubi intervenit discrepantia.

Testimonia Patrum afferunt sententiæ, quæ per ea 67
probatur, non necessitatem, sed probabilitatem. Hactenus a Sotis decimum est. Unde repetantur observandæ contrationes in lectione Patrum eorumque allegatione.

Testimonium tenuium famæ authoritatem habet per 68
authoritatem testis. Unde prout ea major minorve est testimonium censendum est firmius vel infirmius. Sic *Hecuba* apud *Euripidem* ait ad *Ulyssem*: *Ab inexistimatis proficiscens gratia ea ne existimaris eadem haudquaquam iucundam valet.* Sic apud *Gellium*, cum post varias consultationes primum consilium obtingeret ab homine sordido & infami: tamen id consilium non est promulgatum ab illius auctore, sed ab alio gravi viro, ne dignitas consilii per indignitatem consulentis vilesceret. Sic ergo testimonia sapientiorum Philosophi præponderant testimoniis Philosophi vulgaris. In uno vocum plus est tribuendum classicis autoribus, quam scholasticis, utpote qui malis Grammatici fuerunt. In veritate historiarum plus valet recitatio probatorum historicorum quam mendacium scriptorum, quales plerumque sunt, qui hostium suorum historiam scribunt, sicut *Surius* & *Cochlæus* in mendacio deprehenduntur, quod fabulantur quæ-dam de morte *Lutheri*.

De caute Patrum ait *Hieronym. ep. Lat. I. 28. 181.* 69
Lutherus utpote *Ecclesiasticorum scriptorum certare authoritate, ego* Lutherum
Lutherum utpote *Ecclesiasticus testimoniis commendatum* non præferam
Dan. 13. Vel. Exod. 14. & 16. non dubitabo plurimis præferre prioribus. Patribus.

Testimonium hostis maximi faciendum est quod est in 70
favorem nostrum. Ita maxime faciendum est testimonium quod *Lutherо* peperunt *Calvinus*. *Witek. in Lut. Pontif.* *Laus Lutheri.*

Erat Lutherus homo spiritu prophetiæ & dono Scri-
pturas interpretandi admirabili præditus. Et *p. 726. Hald:*
Erat Lutherus egregius homo, cum ante alios, tum ante
hanc tempestatem, vir certe electus. Classicum dixi certe?
Hanc tempestatem, quam nulla fluminis pelagus exæquare
aut superare queant. Et *in epistolarum suarum ad-* 71
ditamento [illegible]

ximi est faciendum. Sumitur fere ex *Can.* 12. & continet specialem applicationem ad materiam vituperii. Ita igitur cum ipsi gentiles, ut ibi *Justinus* memorat, vituperent suos. Deos maximè certè digni judicabuntur vituperio. Ita cùm Pontificii Scriptores omnes fere scribant de impietatibus plurimorum Pontificum, de eorum hæresi, superbiâ, socordiâ, aliisque egregiis illorum virtutibus facilè apparet, maximè reum esse Pontificem tantorum criminum.

Pontificii laus.

72 18. *Consuetudinis mala nulla vis est.* Mala vocatur, quæ pugnat cum divina lege, jure naturæ, aut jure communi. Talis est, quòd Persæ non sunt soliti deliberare, nisi in conviviis, & cùm essent ebrii. At ebrietas prohibet quin judicando, & ineptum reddit, ad accurate consultandum. Ita mala est consuetudo, quòd indiscretè Sacerdotes jubentur esse cœlibes: quòd nundinis solent celebrari diebus festivis, ibidemque choreæ. Magna tamen vis est bonæ consuetudinis, qualis est, quæ populi consensu frequentatur, nec repugnat divinæ legi, juri naturæ, aut communi legi. Ita *Justinus* lib. 1. *Instit. tit.* 2. *Diuturni mores consensu utentium approbati legem imitantur.* Et Augustinus *Epist.* 118. *cap.* 2. *ad Januar. Quod non contra fidem, neque bonos mores instituum, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est.* Ergò, citat ibi Augustinus ex Ambrosio *ad quam fortè Ecclesiam veneris ejus more serva, si non cujusquam vis esse scandalo, nec quenquam tibi.*

Bonæ consuetudines observandæ.

73 19 *Testimonium juris naturalis firmum est.* Sic Augustinus *lib.* 3. *Confess. cap.* 8. unde repetit Gratianus *distinct.* 8. § *Quæ contrà, aut bonorum morum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt, ut pactum gentis aut civitatis lege, aut consuetudine firmatum, nullâ civis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim est omnis pars suo universo non congruens. Cùm autem Deus aliquid jubet (sub quibus jussis sunt jura naturæ) contra morem aut pactum quorumcunque sit, si non est ibi factum, est faciendum: si est omissum, est instituendum, & si institutum non erat, est instituendum.*

74 20. *Testimonium humanum non valet contra certam rationem.* Hoc axioma latè patet. Ergò 1. id verum est, de testimonio consuetudinis. *Sanatio quibuslibet exemplis antiponenda est* ait *Augustinus lib.* 22. *de civ. Dei. c.* 23. Deinde verum est de testimonio sensuum. Hoc enim sæpè corrigitur per ra-

enim, veluti, cùm sensus judicat solem esse quantitatis pedalis, ratio ducta ex qualis Eclipsium indicat id verum non esse. 3. Verum est de legum Politicarum testimonio, ut & Canonicarum, quales multæ sunt Ethnicorum principum, & Romanorum Pontificum. Item 4. verum particularibus Doctorum testimoniis. Nihil valet testimonium *Platonis*, quod pro ideis affertur, cùm manifesta ratio ostendat eas non dari. Imò, cùm verum vero semper consonet, ne quidem testimonium divinum pugnat contra certam rationem. Sic *Augustin.* ait *Ep. 7. ad Marcell.* Et *Petavius ad Genes. 1. Reg. 4.* per exempla docet. Nempe tum dicendum est, non esse sensum divini testimonii eum, qui contra certam rationem pugnat. 75

21. *Testimonium legis humanæ cedit divinæ.* Et in genere *Testimonium humanum cedit divino recte intellecto.* Ita dimittitur lex *Pharaonis* de occidendis pueralis *Hebræis*, & recedit divinæ *non occides.* Et testimonium legis Christi: *Bibite ex hoc omnes*, (quibus ederant de sacro pane) validius est, quàm testimonium legis Pontificiæ, qua bibere solum Jubentur missificus.

22. *Testimonium legis cæremonialis cedit morali.* Veluti Lex Cæremonialis est, non comedere panem propositionis, non vellere spicas, seu laborare in Sabbatho. At si id fiat peccando contra legem moralem, ut scilicet per inediam quis fame pereat, tum lex cæremonialis dimittenda est, & satisfaciendum legi morali. 76

23. *Testimonio legis novæ cedit lex vetus.* Ita præceptum de circumcidendo in V. Tollitur per contrarium præceptum in N. T. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Et idem est in constitutionibus Imperialibus. Et in genere verum est, quod sequitur. 77

24. *Testimonium ejusdem autoris recentius, est validius vetere.* Sic *Augustin. contra Epist. Donati* dixerat *Matth. 16. v. 18.* per petram intelligi *Petrum*, sed *lib. 1. retract. c. 21.* ait, per petram non *Petrum*, sed quem *Petrus* confessus est, intelligi. Ergò, hoc potiùs tribuendum est *Augustino*, quàm illud. Sic *Arriaga, t. 1. Cursu. C. 6.* motum facit speciem quantitatis. At postea *lib. quæst. 12.* Motum, ait, esse quantum per accidens. Hoc ipso validius est. Huc pertinet illud: *Ad rationem quorundam non curat Pontificiores cogitationes meliores.*

25. *Testimonium popularis sermonis, cedit testimonio accuratiori.* Loquor de usu testimoniorum, in rebus Theo-

populi, Oratorum, Historicorum, &c. Poetarum, &c. vt ait Horatius, secundùm eorum morem dicuntur. Sic *Aristoteles* ait: ὁ χρόνος ἐστὶν ἀριθμὸς κινήσεως κατὰ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον. *Tempus est numerus motus secundùm prius & posterius.* Quæ omnia, vt dicere consuevimus. Indicans se ex Vulgi more loqui. Quæ omnia nulla alia.

Testimonia ultimus negative & affirmative. Aristoteles sic loquuntur. Ultimus ad aut contradictorium, &c. Ita dum. Ita affirmativè colligitur in testimonio divino Scripturam testatur Deum velle omnes homines salvos fieri, & Christum mortuum esse etiam pro iis, qui pereunt. Hæc igitur insolu certum est. Vt Astronomi recentiores Mathematici, &c. esse Solem esse aliquos Planetas, qui sunt in corpe Solari. Probabile quid ita esse. *De negativa* vsu est

Negativa vsu est. Negandum, cum posita bifariam intelligi. Hæc negatio pr ponatur verbo essendi. Veluti Scriptura sua *Aristoteles* vt *Aristoteles dicit:* Non esse hoc aut hoc, aut hoc aut hoc, quia negatio postponatur verbo essendi. Veluti Scriptura, vt *Aristoteles dicit:* Non esse hoc aut ho quantum ad posteriorem sensum testimonia divino & hu mano negatur. Veluti Scriptura dicit: Non fieri ju stificationem per opera. Ergò certè verum est. Et *Aristo teles dicit*, non esse fœcundum summum bonum in volup tate, aut divitiis. Ergò id est probabile. Quantum autem priorem sensum attinet. Adsparia sunt testimonia divino & humana. Et sic dicitur: Humana testimonia non valere negative *Aristoteles* in Logicis non scripsit de Syllogismis pos tionis vel Methodo. Ergò nihil hominis docuit. Nihil sequitur. Et testimoniis divinis etiam primus negative prontur hypothesin, quod Scriptura sufficienter omnia tradat, quæ ad sa tem nostram pertinent, vt sunt verba Timothei. Veluti Scriptura non docet, celebrandam esse missam, aut invocandos esse Sanctos. Ergò non est missa celebranda, nec invocandi sunt Sancti. Atqui secundum hunc modum omnes testimo gendæ hæc est sententia. Nam valet argumentum in rebus ad salutem pertinentibus. Ita igitur male aliquis argumentatur Scriptura non etiam dicit esse aliquem ignem, supra, ergo non est. Et sic in aliis. Hæc dicta sufficiant, quia magis sunt Syllogistica, quam Topica.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

INDEX RERUM.

Prior numerus caput, posterior numerum marginalem in commentario indicat; quod si aliquando unus numerus signatur, numerus capitis ex præcedenti allegatione intelligatur.

Abstractio, Abstractum. *imperfecta* ibid.

Abstractio opponitur concretioni Paraccidens *varie significatur* 3.65

Abstractiva materia, quæ sint in- Actio, Actus.

tellectui à Metaphysico. *Causis suis.* *Declaratur* 6.76. *Omnis, quomodo* 2.126. *Actus*

Abstractive quid sit 23. *Est privative* *quinti voluminis* 3.126. *Actus*

in concreto *liquat requiruntur* 16. *quædam actionis*

Absurdum. *materialis, quædam immaterialis*

Ejus locus non datur 26. *non quædam sunt veri motus,*

est in termino simplicium 5. *sed quædam non, quomodo actionis*

in certum connexum *non formatur.* *Actus, qualem omnes*

Accidens. *causæ debeant habere ex bifariam*

An possit esse subjectum *Ejus bisariam dividitur* 2.73.

non est ens 1. *Actus, quando dicitur nobilior potes-*

Accidentia habent suum esse ibid. *tate* 22.60

Non est omne id quod adveniens Agens, Agere.

in alio 57. *Est, quod aliquid* *agens quando nobilius sit patien-*

Accidentia specie differentia *te* 5.53 *ad pa-*

possunt esse subjecta in una *rem non potest esse pinu-*

materia 48. *quædam subjecta sunt* *lum* 3.

inseparabilia 81. *non semissum interdum agit va-*

Non est in generatione *lentius* ibid. *duo agentia diversæ*

quid si abstractive concretive *eiusdem speciei effectum non producunt u-*

sumptum 38. *Nihil potest judicio* *nius* 3.368

sensus corpus naturale *quod in subordinatis inferius non agit si-*

Non potest esse definitio *mul* 22.85

29 & 62 *trifariam definitur* 68 Adæquatio.

ejus perfectissima definitio est *Duo requirit* 6.75, & 8.182

Pp 4 Adhæsio

Adhæsio
Duplex est 8.67.
Adjunctum
De eo agitur toto cap. 8.
Non prædicatur de subiecto nomine substantivo 8.53. eius varia significata 4. adiungi duo complectitur 12
Adjunctum commune quid 8.144
Eius duæ conditiones ibid. an sit idem, quod accidens prædicabile? 146. est separabile, vel inseparabile 171. non omnio denominant subiectum 189
Ut simpliciter denominet tria requiruntur 190
Adjunctum proprium v. proprium
Adversa
De iis est toto cap. 17.
An simul esse possint in gradibus excellentibus 17.52. Eorum definitio 3. Eorum idem est subiectum 8.69. Eorum divisio in mediata & immediata exponitur 8. non potest esse in eodem subiecto 40. inter ea non datur medium 64. Alterum eorum quando potest sit prædicatum 65
Se possunt mutuo formaliter 860.
Aer 69
In media regione non est frigidissimum 8.102. quomodo ibi gignantur meteora frigidissima? ibid.
Æqualitas ambiguè sumitur 22.4
Affectiones specierum sunt duplices 26.142
Affirmatio duplex 16.9
Allusio quid sit? 26.19. Ejus varia exempla ibid
Alimenta quomodo contraria alendo 16.1
Angelus, & Angelica
Definitio 2
Analogum, & Analogia
Ad eam nihil fieri perfectio & imperfectius, quam species 26.2. quid sit? 22.5. Grammatica quæ 2. Logica est attributionis & proportionis 25. Analogum proportionalitatis 47. Nulla analogia est inter duo 50. Inter analoga est proportio mutua. 41
Anima
Eius potentiæ sunt in quovis animato 8.90. Rationales quomodo inorganicæ 16.60. Animæ potentia communicatur corpori 136. Primo sunt in anima habitualiter quomodo sit actus corporis? quid necessarium in ejus definitione intelligatur? 1
Animatum
Quomodo ex eo sit semper nobilius inanimato? 21.67. quæ ratione sola anima dicantur causa univoce 91
Angelus
Non sunt animalia 30.137. Non sunt rationales ibid. an sint agentia libera 25. in illis est radix libertatis 46. an habeant materiam? 47. quot modis in illis habetur materia? ibid. de veram materiam non habeant 18. an possint videri & tangi? 22. quo possint generare? 33
Antecedentia
De iis vide toto cap. 9
Quot modis dicantur? 9. eorum necessitas probatur resolutione axiomatum & Syllogismorum in simplicibus terminis

Non possunt referri ad aliud 7 illis positis non necessariò sequitur consequens 8. 11

Apocalipsis
Hæresis sumitur 7.10 quis sit Theologia ibid. eius duo genera ib.

Apparitiones animarum
Indicæ signa 3.41 eas non verè apparere 42 ab Apposition lo annamanderitur? 1.31

Aqua
Calefacta à quo reducatur ad frigus 5. 20 & quando amittat humiditatem 8.106

Argumentum, arguere
Argumenta vera requirunt in suis definitionibus 12. cur alia definiuntur numero singulari, alia plurali, alia sunt unius nominis, alia diversorum ib. quid sit? 1 ib 1 eius variæ classes ib 1b 2 eius ambiguitas 1.1. a capitum pro quolibet termino, ex quo integratur, & essentialiter constituitur axioma ib. exponitur eius definitio 32 quid sit argumentum 1.16 eius Etym. ib. declaratur divisio arg. 1. 16. omne argumentum est terminus simplex 33. nullam propositionem, nullam discursum habet ib. dicitur relativè ad aliud 81. 22. quod est correlativum alicuius argumenti id etiam est argumentum 1 37. an unum argumentum tantum habeat correlatum: 1 37. quod continetur sub aliquo argumento eius correlatum continetur etiam sub correlato illius argumenti 1.38. quicquid ab aliquo diversum argumentum diversum etiam modum arguendi habet 1.39. in quodcunque resolvitur axioma aut syllog. idem est argumentum 1.40 unum quodque argumentum defendendum est ex suo correlato 1.41. Definitiones argumentorum Logi habent veritatem in rebus ipsis 1.42 Diversi modus arguendi variat essentialiter argumentum 1.42

Autoritas
Bifariam dicitur 31,2

Auctrix facultas
An sit indifferens ad agendum 3. 18, & 65

Axioma
An sit terminus simplex 1.9

B

Bestiæ
An bestiæ sint liberæ in agendo 3. 58, & 64. earum formæ sunt mortales, & naturaliter 5.50 sustinent cognoscunt finem 6.28

Bonum
Quid est communius, ens, vel bonum explicatur 22.49 Proprium, quando nobilius sit communi ibid. Ejus divisio in honestum & jucundum 6.8 Bonum, quod est finis, non comprehendat utile 36 Bonum & malum, quomodo in eodem? 41.1 Non quævis contrariantur ibid. An sint privantia? 17.56

C

Calor & frigus an sint adversa 17. 54

Calvinianos crasse philosophari ostenditur 8.108

Causatum, vide effectum

Causa

Causa cessante, cessat effectum 3. expo-
nitur 1.8
Causa, causalitas
Male singulatur definitio causæ Ra-
mire 1.42. Quid sit? 2.tb.2
Ejus definitio. Eius notatio 2.1.
Eius ambiguitas 2.2. Quomodo
omnis causa sit efficiens 2. ibid.
Definitionis declaratio 2.3. & seqq.
Cuius disciplinæ sit agere de cau-
sis 2.6
Causarum abstractio est duplex, ge-
neralis, & specialis. Generalis
rursus duplex ibid.
Quomodo causæ abstrahantur a ma-
teria 2.10.11
Differentia doctrinæ Logicæ &
Metaphys. de causis 2.13
An divisio in internas & externas
causis sit bona 2.14. seqq.
Causarum ordo arbitrarius 2.9
Causæ quomodo dicantur internæ &
externæ 2.16
An tantum sint unæ causæ? 2.17
Causæ describuntur vocibus ab effe-
ctu desumptis 2.29
Ad numerum causalitatum nume-
rantur causæ 2.37
Quot sint causæ? 2.43. & seqq.
Omnis causa prior est effecto 2.59
notior eodem 2.60. nobilior eo-
dem 61. simul cum effectu 62.
principium 2.69
Vox causæ interdum extenditur ad
privationem 2.69
Omnis causa agit 2.73
Nil est sine causa 2.74
Nil est causa sui ipsius 2.75
Nullius causæ effectus non est ens
2.27
Omnis causa influit in effectu 2.73.
Qualis causa, talis effectus
Causa causæ est causa causati
Posita causa ponitur effectus
Quid sit causalitas
Duplex est continuatio causarum
Causa efficiens
Habet nobilissimum influxum
Quomodo dicatur causa interna &
externa
Efficiens quomodo primum motum
in se primo habeat
Quid sit?
Eius varia divisiones
Quid sit causalitas efficientis
Ab efficiente incipiendum
Efficientis definitionis explicatio
Efficiens definiendus est ex quo et ipsi
suo effectu 3.4
Efficientis causalitas an sit actio
An omne efficiens sit agens
An omne efficiens sit procreans &
conservans causatum 3.14
Efficiens est conservans 3.13
Vere agit 3.
Efficiens nobilius est effecto 3.13
Nullum efficiens agit in
3.142
Efficiens debet esse simul cum
ente
Efficiens magis universe agit for
3.144
Efficiens magis fortiter agit 3.146
Nil agit ultra vires
Omnis efficiens agit propter finem 49
Quicquid efficit est aliquid 150

Efficiens quid sit formaliter, & virtualiter 3. 51
Efficiens non potest esse principium sui ipsius 3. 53
Causa procreans & conservans quid sit? 3 th. 3
An causa conservans sit vere causa efficiens 3. 20
Causa conservans ad solam efficientiam spectat 3. 23
Divisio in universum influxum ibid.
An distinguantur causa procreans & conservans 3. 24
Possint duplices res confluere 3. 25
Omne genus continet species subalternas 3. 32
Causa solitaria & socia quid sint? 3 th. 5, & 6
Tres sunt gradus solitariæ causæ 3. 27
Ac Pater & Filius & Spiritus S. possint dici causæ socia creationis, & justificationis, & conservationis &c. seqq. 3. 28
Causa naturalis voluntaria & libera 3. 32
Causæ naturalis multis opponitur 3. 32
Quomodo distinguantur inter se 3. 36
Quid sit voluntaria? 3 th. 14
Quid naturalis? 3 th. 15
Agens liberum secundum se indeterminatum est 3. 38
Liberè agere nobilius est, quàm necessariò 4. 40
Causa libera est indifferens respectu mediorum, non finis 3. 3
Agentia naturalia an sint indifferentia ad hujus vel illius generationem individui? 3. 58. & 62
Causa libera est indifferens ad omnes prærequisitas 3. 102
Agentia naturalia non agunt solum per accidentia 3. 127
Agens voluntarium potest producere contraria 3. 157
Et ad triplicem ibid.
Agens naturale agit secundum extremum suarum virtutum 3. 159
Agens naturale non potest suspendere actionem 3. 160
Semper agit idem. c. 3. 11. 160
Agens naturale diversos modos habet agendi 3. 161
Agens naturale potest res contrarias producere 3. 162
Causa voluntaria potest agere, & non agere positis omnibus ad agendum requisitis 3. 163
Causa efficiens principalis & instrumentalis. Instrumentum. An instrumetum sit causa? 2. 30. 31.
Non potest reduci ad materiam 3. 33
Pertinet ad causam efficientem 3. 34
Quid sint? 3. 8, 9. & quomodo causantur? 3. 33. Instrumentum non movet, nisi motum 3. 153. Agentis principalis & instrumentalis una est actio 3. 154. Instrumentum duplex est actio ib. Instrumentum nobilissimum, quod usui inservit operi 3. 155. Instrumentum eò melius est, quando magis finis est proportionatum 3. 156
Causa efficiens per se, & per accid.
Per se quid sit, & quotuplex sit? 3 th. 11. per accidens quid sit 3 th. 12. quid causa causalis 3 th. 17. &c. cod. 90 quid fortuita causa? 3 th. 18. an sit causa per accidens? 3. 30. seqq.

Non

Non est per accidens, removens impedimentum, 3.78. *Requisita causæ per accidens* 3.79 *An causa per accidens sit solum in efficiente,* 3.80. *An posita divisio causæ per accidens in necessitatem & fortunam sit bona?* 3.83 (& 84 *An divisio in fortunam & casum sit bona?* 3.82. & 86. *Quomodo sit intelligendus Aristoteles dicens: Agens non per se agit, vel necessario, vel fortuna* 3.82

Causa efficiens univoca & æquivoca

Quid sit univoca causa? 3. *th.* 20 *Æquivoca quid?* 3. *th.* 21. *An soli efficienti competat?* 3.91. *An comprehendat instrumenta* ibid. *An primam causam?* ibid. *Quid requiratur ad causam æquivocam?* 3.92. *Univocæ causæ duo gradus,* ibid. *Univocum & æquivocum magis conveniunt causæ generanti quam conservanti* 3.92. *Causa univoca sua communicat essentiam* 3.94 *Potentia agentis univoci tota manifestatur in effectu,* 3.166. *at non æquivoci,* ib. *Agens æquivocum semper nobilius est effectu,* 3.167

Causa efficiens per emanationem, vel per transmutationem

Quid agens per emanationem 3 *th.* 23. *Quid per transmutationem* ibid. *An causa peremanationem sit vera causa?* 3.96. & 137

Causa efficiens est universalis, vel particularis

Quid universalis? 3. *th.* 26. *Quid particularis?* 3. *th.* 27. *Quomodo distinguuntur à prima & secunda*

Causæ particulares determinatæ universales, 3.170. *An detur plures causæ universales præter Deum*

Causa universalis agit immediatius quam particularis

Efficiens prima & secunda.

Causa secunda movetur à prima

Causa secunda agit revera 3.

Causæ secundæ ab duplicem agunt finem, 3.124. *Propria efficacia causarum secundarum nil derogat potentiæ divinæ*

Causa prima non pendet à secunda 3.

Causa secunda non agit, nisi mota à prima 3.

Causa secunda in virtute primæ 173. *Ab ea solum pendet esse in fieri*

Causa efficiens interna & externa

Interna quid? 3. *th.* 28. *Externa?*

Dupliciter illa divisio prævi potest 3.129. *An detur efficiens externa,* ibid. *Quo respectu causæ dicantur*

Causa efficiens Moralis & physica

Quid utraque sit 3. *th.* 34. *Divisio explicatur* 3.

Causa corrumpens

Aliqua corrumpentia nullam habent causalitatem, 3.20. *Aliqua pertinent ad causas procreantes* ib.

Causa loco movens

An possit dici causa generans, 3.

Dupliciter potest dici generans,

Causa Materialis

De ea tota cap. 4.

Materia an possit dici membrum. 2. 69. Quomodo sit externa & interna? 2. 5. An ipsa sit causa per accidens? 3. 81. Ex materia res est bifarium, 4. th. 2. Materiæ vox multipliciter sumitur, 4. 2. Ejus scripturæ 3. Ejus definitio explicatur, 4. 4. Materiæ causalitas. 4. 5. & 34. An sit causa? 4. 6. Quomodo sit non Ens? 4. 10. & 014. 23. An sit natura? 4. 10. Respectu motus est subjectum, 4. 11. Quotum rerum causa sit? 12. Quæ rerum habeant materiam? 27. Causat solum compositum, 29. Non limitat generationem, 30. Concurrit ad compositum in fieri & esse 4. 35. An pertineat ad essentiam? 3. & 5. Materia & forma causæ sunt, etiam quâ sunt in composito, 4. 39. Materia remota & propinqua quæ? 4. 37. *Immanens & transiens*, 4. 38. Dicitur unaquæque bifariam, ib. Materia sensitiva & intelligibilis quæ? 4. 39. Prima & secunda 41. An sit materia prima? 4. 42. *Materia Ens & Res* quæ? 4. 44. *Materia* dat composito entitatem ultimam, 4. 45. Materia quomodo informis, 4. 47. E à positâ non sit, non gignitur res 46. *Mosaica materia* quomodo sit informis, 4. 47. In dignius est, cujus materia degnior, 4. 48. A materia non est differentia 49. At est à materia artificiosum, ib. Una materia non potest suscipere plures formas, 4. 50. Est prior forma, 51. Mus ex quolibet fit quodvis, 52. In materia præquiritur dispositio ad recipiendam formam, ibid. Materia prima non est cognoscibilis per sensum, 4. 40. Est potentia sensibilis, 39. Materia non agit, 57. Aliquando induit rationem efficiens, 4. 52. Habet actum entitativum 5. 24. Non habet suum esse per formam, ibid. An possit dici pura potentia, ib. Prima distinguitur à materia secunda 5. 26. Non est principium individuationis, 5. 55. Quomodo sint eadem numero, quorum materia est una, ibid. Materia non est causa conservans 3. 23. Quomodo ab ea abstrahatur in Metaph. 2. 10.

Causa formalis

De ea est toto cap 5. Quomodo ea abstrahatur à materia, 2. 10. 4. 40. Forma dat esse membrum, 2. 17. Quomodo sit interna & externa, 2. 24. Ejus officia quatuor, 5. th. 2. & 2. 41. Forma non est causa conservans. 3. 23. Formæ, quâ forma est, non conveniunt actiones, 3. 18. Forma quid sit, 5. th. 1. Causalitas ejus quæ, ibid. 3. & comm. 33. Ejus variæ divisiones, 5. th. 5. & seqq. Formæ vox quo modo sumatur 5. Ejus alia varia nomina exponuntur, 5. 5. Ejus definitio explicatur, 5. 13. An sit causa 5. 17. Forma est definienda ex respectu ad causatum suum 5. 30. Quomodo informet materiam, 5. 32. Forma substantialis & accidentalis quid, 5. 34. An aliqua formam

Forma sit substantia 5.34
Forma generica, specifica & numerica quid 39
Plures formæ possunt esse in eodem composito, 5.41. Forma mixti alia est ab anima 5.47
Plures formæ subordinatæ possunt esse in uno composito 5.50
Formam esse principium individuationis 5.51
Non habet materiam 4.24
Quomodo aliquæ dicantur materiales ibid.
Quid sit eam educere ex materia, 5.32
Plura habet in voce Forma

Causa finalis,
An finis referri debeat ad causas externas 2.18
Finis quomodo sit externus & internus 2.23
Plura habet in voce Finis

Causa exemplaris
Quid sit, 2.36. Exemplar non est quinta causa, 2.37. Determinat agens, 2.39. Non est finis 2.40
Nec materia, 2.41. Non potest reduci ad formam, 2.43. Quomodo dicatur forma, 2.48. Relative ad effectum 2.49

Causa sine qua Non
Quid sit, 2.53. Est nomen vetus 2.52. Pertinet ad antecedentia, 2.54. & 9.6. Dicere negari ponique res conditionata 9.10

Cælum
Variæ eius significationes 5.89

Cælum
An sit universalis causa 3.14. 3.20
Non influit in actiones immateriales 3.33. 4.14. Nec in alias actiones quæ non sunt veri motus 3.34. 5.

Cognitio in inferiora triplex
Non influit in omnes mutationes 3.
Non est corporalium actionum
Est simplex 5.
Est propter hominem
bilius
Quomodo sit levissimum
Comparata. Comparare
Ad quæ vocat comparatum
Comparatio non fit
identitatem
De comparatis, vide
Comparatorum vnio ambigua
tur, 211. Eorum
claratur
ris affectus in
Comparata an sufficiant
quatuor in parte
13. Comparata vi comparat
sunt aquæ
20. Co
parationum
vium, 21.
ant veris
21. 34. Comparatio non
esse inter res diversi generis, 38 & 39. Res
bet similitudinem
voca non possunt
Quæ comparantur secundum
magis & minus eiusdem
De comparatis in quantitate
De Comparatio in qualitate, vide
Concretum.
Quid sit, 25. sh. 4.
cationes in composito 25.
An concretum semper

ibid.
Abstractum & concretum non prædicantur de se invicem 34
Nec de eodem dicuntur ibid.
Conjugata 25
Quid sint, & quando dicantur 26
An differant à casibus? 3
An vocalia dicantur univocata 35
An aliqua sint Paronyma 30
An conjugata sint, quæ eorum principium eundem habent 32
An conjugata sint, quæ nullum à principio habent convenientiam 28
Conjugatorum tria genera 29
An recte præponantur 29
Connotantes
Veris est Cap. 1 in genere, & cap. 2 in specie
Mentis imagines habeant, Paria similia 15
Consequentia
Veris est toto cap. 9
Divers modis dicuntur, 91. Consequens posita ponitur antecedens 99
Compositio
Impropria dicitur 38
Quidquid ex pluribus compositum habeat materiam & formam 28
Concilia
Non habent autoritatem infallibilem 38
Eorum aliqui errores ibid. 31
Consultatio, consilium
Quid sit 43
Consilium an Deo tribui possit 43
Disputatio dicitur ibid.
Consequendo non est diminuendo 13
Circa res dubias sequendo, ibi. Veritatem fortiùs amplectendo, 45. Malæ consuetudinis nullius, 72. Rara est observanda 72
Contexta
De iis est toto cap. 19.
Quot modis dicantur, 10. Veteres angustiùs acceperunt ibi.
Non habent dependentiam ab invicem. 2. Probatur argumenti hujus necessitas 3. Necessariò connexorum ubi est unum, ibi est & alterum, 10. 8. Unitorum refertur pertinet ad connexa 19. Uno eorum posito ponitur & alterum 11. Connexorum unius connexorum est connexum & alterius ibid.
Contingentia
Bifariàm dicitur 42
Contradicentia, Contradictio
Prædicari possunt de eodem cum æquivocatione terminorum 19. 1. & 14. 23. Quid sint 19. 1
Contradictionis ambiguitas 19. 2
Contradicentium definitio declaratur 19. 3. Contradictio duplex, 198. Implicita quomodo pertineat ad definitionem contradicentium 198. An sint argumenta Logica? 19. Propositionum contradictio quæ? 11
Differt à Topica 14. An aliquando terminus contradicens possit esse positivus? 14. Contradictio dupliciter sumitur 19. In contradicentibus non est medium 19. Contradictio est oppositio privativa 19. 23. Est fortissima oppositio 24. An distinguantur à privantibus

cunctibus & quomodo 20.1

Contraria

Quomodo minuantur in differentibus gradibus? 5.85. Eorum possessorum plures esse species quam quatuor, 12. 18. Non possse eidem tribui, 14.9. Non fieri simul in eodem tempore, brevissimo momento, 14. 6. Varie multis dicuntur, 16.1. Quibus conditionibus non sint in eodem subjecto 14.16

Eorum unum quomodo multis opponatur? 15. 16. Eorum divisio in affirmantia & negantia, 16.9 An aliquando dividantur in adversantia, contradicentia, & privantia 16.13

Cur ipsa subdividantur, disputatur non, 19. An dicantur univoce ad species suas? 20. Contrarietas affirmativa est principalior, 21. Contraria non sunt unum, 24. Eorum unum est ens & alterum 17. 47. 6 unum sit alterum non est, 16 25. Si unum non sit, alterum est, 16 Fuisse sequitur unum, alterum esse 26

Non possunt esse in eodem subjecto, 27. Eorum contrariis sunt consequentia, 28. In quibus rebus sit contrarietas 17.11

Substantiæ essentialiter aliquid contrarium, 17.12. Non sola quantitas, 14 Est inter differentias, 15. Et formas substantiales, 17. Et substantias completas 38

Contrariorum respectu definitio 19. Logicè non definiuntur per agere & pati 21 & 22

Cur recte definiuntur, quod sub eodem genere distent 17.41

Distant sub eodem genere 17

Non sunt sine medium, 17. 38. Quando aliquid contrarium

Contraria [illegible] sunt in eodem subjecto

Contraria non sunt, quæ sub eadem specie, 17. Contraria unius [illegible] eadem genere [illegible] ipsa genera, 40. [illegible] varietatum, 17.44. Eorum [illegible] eadem scientia

Contradictoria

Duorum in qualibet [illegible] alter est necessario

Correlativa

Duplicitèr [illegible] genus animabile [illegible] ditur in rationale & [illegible] cum

Quomodo de eo [illegible]

Corpora sunt [illegible]

Possunt penetrari, [illegible]

Corpus possessum [illegible] telum, 16.22. [illegible] tur umbra

Interdum opponitur [illegible] mutabili

Corruptio

An detur [illegible] generatione, variis gradibus [illegible]

Bruta [illegible]

Quid sit species in definitione, 1.28. [illegible] 1.28. [illegible] habeat [illegible]

Genus.

Quando de genere fiat mentio. 23. 83.

D.

Definitio.

Definitio nominis. 4. 10

Definitio rei. 4. 9. 62. 3

Definitio est duplex, simplex, 5

Definitio [illegible] 6. 3

Definitio [illegible] prosl. 12. 2

Definitio dicitur argumenta in [illegible]

[illegible] 16. 22. cum [illegible]

[illegible] 24. Definitio [illegible]

[illegible] Cur non [illegible] Ge-

[illegible] nus sint infinitæ, 64. Imperfectæ è quibus argumenta sumantur, 65. Definitum quid 30. 25

Quid possit definiri 26

Definitio per se in aliquo prædicamento 26. 89

Sola substantia perfecte definitur 27

Species 30. 88. & 32

Non datur genus generalissimum 32

Non datur individuum 34. Non Deus, 39. 38. Quod definitum debet esse Ens, 86. Compositum 30. 87. Ens reale 36. 90. Positivum, ib. Ens per se 91. Ens per accidens, 62. Complexum [illegible] definitum. Vide argumenta præcognitionem 95

Definitum debet esse [illegible] 6. Definitum & definitio [illegible] 30.

[illegible] 30. 106.

[illegible] 30. 107. Definitum & genus [illegible] 30. Definitum [illegible] 30. Definitum à definitione, 30. [illegible] 30. 131.

[illegible] 30. 139

[illegible] negativum, 142. In rebus [illegible] positivum, 143.

Debet esse complexum 144

Debet accommodari ad melius, non ad deterius 30.148
Non debet esse copulativa 151
Nec disiunctiva 152
Quomodo copulativæ in definitione poni possint 153
Quomodo disjunctivæ ibid
Quomodo debeant in ea admisceri vocabula Logica 30.155
Ejus verba cur non actum sed potentiam significent 30.156
Debet esse clara 160
Ejus obscuritas nascitur ex sex causis

Dependentia.

Quid dependentia requirat 2.5
Dependentia in esse arguit dependentiam in operatione 3.303
Pendere aliquid ab aliquo variè dicitur 4.30

Denominatio.

Denominatio sit à potiori quomodo intelligendum? 26.6
Denominativa differunt casu à suo themate 25.29

Determinatum.

An detur locus à determinato? 1.30

Deus.

Unde dicatur? 26.9
Quomodo sit à se? 2.76
Bifariam assumitur 8.4
An agat liberè, an necessariò 3.38
Si Deus necessario ageret, extremè ageret 4.30
An Deus agens liberè sit immutabilis? 3.41
Deus non egit in agendo determinante 3.44
An in persona Christi sit Deus subjectum hæresis 8.44
An Dei concursus tollat libertatem nostram 3.54. *An Dei providentia tollat effectus fortuitos* 3.70 & 74. *Ejus attributa possunt dici adjuncta* 8.38. *An Deus sit alicujus rei causa per accidens* 3.75. & seqq. *An sit causa per accidens peccati* 3.66, 67, 68. *Potest conservare subjectum sine propriis* 8.10
Non formatum sine forma ibid
Deus præscit quid admissurum sit nostris actibus 3.77. *An Deus removens prohibens, sit causa per accidens?* 3.78. ib. *An Deus Pater generans suum filium sit causa univoca* 3.9
Deus an concurrat ad omnes actus causarum particularium 3.
Non specialiter, sed generaliter ib. *An Deus concursus ad quosvis actus arguat eius imprudentiam & impotentiam* 3.10
Deus concurrit ad actus formæ 104. *à suis attributis non differt realiter* 8.38. *Quomodo requiescat ab omni opere* 5.105. *An propositio inusitata. Deus est homo* 12. 32. *Deus tribus modis specialiter movet agentia particularia* 3.10
An eius concursus cum secundis causis sit eius voluntio? 3.106. *vis impressa* 107. *vel motio causæ secundæ?* 108. *Deus est homo quatenus sine termini disparati* 14.35. *Quomodo sit aliquid figurare et tamen prædicetur* 28. 184. *Eius efficacia quomodo communicetur ad personas* ib. *Semper agit propter finem* 6.19. *Non est necessarium, ut moveat quod*

vis agens secundum 3.110. Non potest esse agens univocum, 3. 165. sed æquivocum ib. 166. An comprehendatur sub Metaphys. 4. 34. An habeat materiam, 4. 14. Quomodo sit a se, 6. 21. Potest comparari cum corpore, 23. 43. Quomodo ipsi tribuantur membra corporea, 4. 61. Eius simplicitati non repugnat ut si pars τελοϛου. 8. 51. Appellatur Deus corpus à Tertul. 4. 21. Deus non est causa peccati, 2. 83. Deus non potest perfecte definiri, 30. 30. In Deo nihil habet rationem differentiæ, 40. Cur sit scibilis & non definibilis, 41. Eius negativa definitio, 144. & 145. Deus Pater communicat eandem numero essentiã 25

Dianoia

Quid sit? 37. Discursus est inter duos terminos 8

Differentia.

Differentiarum distinctio, 2. 3. Non absolvit totam definitionem, 30. 46. Non est alia essentialis, 29. 11. & 12. Differentia non est negativa, 28. 113. Differentiæ sunt interdum negativæ ratione modi significandi, ib. Differentia non debet esse accidentalis 28. 118. Differentia unius generis non debet convenire alteri 28. 122. Differentiæ unitas sumitur ex unitate rei, non vocis ib. Differentia sumitur ex primo subiecto 28. 127. Differentia ad duo refertur, 28. 129. Differentia communicatur ex æquo 28. 128. Differentia quomodo distinguatur à diversis? 13. 3. Differre ratione varie dicitur 13. 5. Differre re quid sit? 13. 6. & 14. 3.

Difficile.

Difficile ex parte obiecti nobilioris est præstantius, 22. 47. Quò difficilius est, eò nobilius ib.

Disparata.

Sunt argumenta, 14. 29. & 15. 8. Dicuntur à disseparata, an solùm sint duæ pluresve species oppositæ, 15. 12. Diversimodè accipiuntur, 15. 6. Sunt oppositæ, 15. 7. Disparata etiam sunt privationes; Primò diversa, summa genera. 14. à contrariis in quo differant, 16. Eorum uno affirmato, negatur alterum, 19. Uno negato, non necessariò negatur alterum 15. 20.

Dispositio.

Dispositiones materiales non sunt instrumenta 3. 136.

Distinctio nominis.

Quid sit? 27. th. 2. Est in vocibus æquivocis, th. 3. An sit seorsim tractanda? 27. 2. Quomodo fieri debeat? In plena tractatione nunquam omittenda 27. 28. Distinctio vocum continet etiam distinctionem phræsium 27. 33.

Dissimilia.

Quid sint? 23. 10. Dissimilis vox declaratur 23. 4. Definitio dissimilium declaratur. 23. 7. Dissimilium unum quod convenit, alteri non convenit 24. 50. Quomodo dici possint dissentanea. 12. 13. 14.

Dissentanea.

De iis est toto cap. 12. seqq.

Cur definiantur nũero plurali, 12,4
Dissentire variè sumitur 3
Dissentencorum distributio 12.8
Subijs non intelligitur dissensio comparata, 14. *Eorum peculiares species an sint repugnantia* 15.
Non possunt eorum plures species esse, quam diuersa disparata, relata, aduersa, contraria & privantia, 12,15. 16. *Dissentiuntur negando*, 9. *Quomodo sint æquè nota*. 12.32. *Vnum eorum potest alio esse natura notius* 34
Sua dissensione clariùs elucescunt, 36

Diuersa.

Differunt ab oppositis, 12.10. *Inter ea & opposita non datur medium* 17. *Sunt priora oppositis, & non sunt* 2.8. *Non sunt quæ affirmatè disponuntur* 31 & 13.16
De diversis est toto cap. 13
Diversum variè accipitur, 13.2. *sint argumenta*, 13.7. *sunt dissendanea. Non potest ex iis fieri syllogismus* 16

Distributio, Diuisio, Diuisum,

Reciproca diuisio debet esse, quoad res, non quoad voces 2.16
Diuisio generis tunc melior, quando major inter species oppositio, 2.19
Adæquatio ejus consistit in duobus 21.25
Ejus requisita potissima 14.8
Quomodo ejus partes debeant dissentire? 12.31
Est de eo toto cap. 19.
Divisiones essentialis 29 3
Universalis 6
Divisionis in species, quarundam, 7. *Potest ea fieri infinitam* 29.8
Distributio secundaria, 15. *accidentis in accidentia, quæ sint* 16
Distributio substantiæ in accidentia, 29.17. *Divisionis ex diversis quinque modis*, 2. *Cum alijs debet reciprocari* 23.
Nomina iuridica in distributione quomodo intelligantur restricta 24. *Partes aliquidem singulares nomen habent, quam universum* 29. *Consentiant cum toto*, 29, 37. *Dissentiant inter se*, 29. *Quatenus hic intelligitur dissensio*, 29. *Universum non debet esse nomen*, 32. *Neque pars dividens est nomen*, 29. 33. 36. *Non debet fieri per membra negativa*, 23. 34. *Duobus tantùm admittitur*, ibid. *Diuisio debet esse membrorum*, 29. 36. *Cum ea proponatur arte*, ibid. *Potest duobus modis argumendo intendendo dubitando* 29. 37
Non debet fieri per membra extrinseca & formata 38. *Diuisa partes ambulant æquali passu*, 29. 39. *Divisum non debet esse simplex*, 30. *Divisio ad definitionem inutilis* 30. 36

Diuturnum

Quod est diuturnius est magis mobile 25

Effectus.

Qualis causa, talis effectus 2. 79
Causæ causa etiam est causa causati, 2. 80. *Plures causæ pauci effectus*, 2. 84. *Quid sit causalitas* 3. 4. *Duplex est connexio causarum*, 31. 32. *Effectus pendet à causis particularibus solùm insitis*, 2. 84. *Effectus quatenus mutuantur*

Quomodo

INDEX RERUM.

Quomodo effectus per accidens referatur ad causam per se. 3. 80
Effectum quomodo distinguatur in materiatum, formatum &c. 7. 17
Effectus assimilatur causæ duplicer. 3. 152
Quid sit effectus per accidens? 3. 75
Effectum ab omne ens materiatum, & formatum. 7. 37

Elementa.

Cur aliquando moveantur ad loca incongrua cum sui perniciem? 28. 107. Eorum formæ non sunt qualitates. 5. 80. & 8. 118
Cur dicantur simplicia. 28. Sunt aliquæ operationes in iis, quæ non sunt à qualitatibus primis. 5. 80. Eorum finis duplex. 6. 71. Nunquam abiiciunt suas qualitates, 8. 95. & 106. Extenduntur & extenduntur. 8. 112. Eorum proprietates communicantur mixtis. 8. 135

Eligibile.

Eligibilia duplicia sunt genere. 22. 24. Et aliquando idem est, quod vel 30. 154

Energeia, seu actus.

Quid sit? 7. 8. & 9

Entelecheia.

Ἐντελέχεια quid sit? 5. 6

Ens.

Ens dupliciter sumitur 20. 33. Non potest habere differentias. 28. (114. Unde ens est compositum 30. 42. Quomodo omnia entia habeant materiam. 4. 4. Distinctum sumitur. 8. 35. An sit suorum attributorum subjectum. 8. 35. à suis affectionibus quomodo differat 20. 42

Ens rationis.

Entia rationis quomodo causæ, 2. 77. Quomodo effectus 78

Ens in potentia.

Quomodo ens & non ens 14. 23

Ens per accidens.

Entia per accidens improprie habent materiam. 6. 5

Etymologia.

Etymologia Logica & Grammatica an differant, & quomodo? (16. 4

Exi.

Ambiguitas ejus. 2. 42 & 44. Non semper est nota materiæ. 9. 4

Exemplum.

An detur locus peculiaris ab exemplo? 1. 24

Existentia.

Existentia non est principium individuationis. 5. 54

Expulsio.

Est formalis vel effectiva 17. 7

Extensio.

Quid sit? 8. 112. Non intenditur. 115

Externum. (130

Quot modis dicatur? 2. 21, & 3.

F

Fatum.

Fatum Stoicorum quid? 3. 174. rejicitur. 16

Filius.

An filius in divinis possit dici causatum, 2. 5. An habeat in divinis esse distinctum à patre? ibid. Quid intelligatur per filios Dei, Gen. 6. v. 24. 4. 23
Filius non potest dici omnis effectus, 7. 12. Duo requisita, ut aliquid dicatur filius. ibid.

Finis

Est de eo toto cap. 6.
Sumitur dupliciter 62. *Unde dicatur? An idem sit quod causa finalis & scopus,* 4. *Sub ea continetur finis cur* 7. 62. 8
Finem esse causam probatur, 6. 10
Quomodo agat ad agendum? 6. 11
An nihil agat propter finem? 13
Agentia naturalia agunt propter finem? 16. *An necessariò sit bonum quid?* 6. 17
An incognitum possit esse finis, 37
An non ens possit esse finis? 39
An causet in esse intentionali, an reali, 40. *Quomodo quietet appetentem,* 46. *Ultimus tertio dupliciter dicitur, ibid. Quomodo finis dicatur aliquid ultimum* 51
Finis cujus & cui 6. 53. *finem cui esse verè finem,* 56. *quomodo dicatur subjectum,* 57. *Est finis quodammodo,* 38. *Finis cujus est verè finis,* 59. *Finis formalis vel objectivus,* 6. 62. *In natura ea causandi verè sunt una causa* 62
Finis indigentia 6. 64. *Quomodo sit nobilior medio* 6. 68

Finitum

Quid sit? 7. 160. *Finiti ad infinitum nulla est proportio* 25. 47.

Fœmina

Est homo 3. 169

Fortuna

Variæ ejus significationes 3. 87
Ejus definitio declaratur 88

Forma, Formatum

De eo est toto cap. 5.
Multa vide in voce causa formalis.
Non individuatur per materiam, 5. 59. *Est materialis vel immaterialis,* 5. 60. *Totalis & partialis* 63. *partiales formæ an plures dentur in composito?* 64
Quid forma assistens & informans 5. 69. *De applicatione Physica ad Formam possunt ponitur formaliter,* 5. 71. *Ea sola non facit compositum, ibid. Ex qua re id est forma quo sublato res tollitur* 5. 71
Est prior forma ita, 75. *Dat esse rei,* 76. *Distinguitur realiter* 5. 76. *Dat operationem completam,* 79. *per eam intelligimus,* 5. 80. *Non datur ultima, & est imperatrix omnium, una an compositi sint* 81. *ea est anima est* 88. *quomodo fit indivisibilis* 89
Formatum quid? 7. 115. *Ambigue dicitur, ibid. quid sit formatum ex quo* 117. ibid.

Frigus

Medii gerit vices 6. 146
Frigiditas aeris frigefacit aquam 147. *Est res positiva,* 148. *quomodo dicatur privatio* 148

Genus

Genus & materia sunt similia 28. 38
Genus & materia quomodo differant 28. 39
Est materia specierum 28. 182
Genus quomodo sit totum & pars 28. 92
Genus generalissimum quid? 28. 25
Habet duas conditiones ibid.
Genus subalternum quid? 28. 74
Non potest perfectè definiri, 30. 32
Quid genus remotum 28. 85
Quod plura suo ambitu continet, remotius genus est 28. 87

Genus

Genus Logicum & Physicũ, 17.39 Quid genus univocum & analogon 28.9. & 91. An detur genus æquivocum 28.92. An detur genus analogon 28.93. Quicquid tribuitur generi, id convenit speciebus 28.137. Genus tribuitur pluribus 28.139 an possit esse in una specie ib. Genus est prius specie 28.142. Genus continet species, 28.145. Positu genus reponitur species confuse 28.146. Non absolvit totam definitionem 30.46. Genus & species debent esse in eodem prædicamento 28.153. Genus quomodo æquivocum 28.180 Omne genus est compositum 28.177. Quod rectè distinguatur per suas differentias 29.

Generatio 19
An detur locus à generatione 1.28 Quorum generatio bona est ipsa bona sunt, & vice versa ib. Generatio dupliciter sumitur 3.15 Gignens producit aliquid sibi simile tribus modis 3.94 Omne generabile oportet reduci ad aliquid ingenerabile 3.119

Glacies
Est filia & mater aquæ 14.13.23.

Grave, Gravitas
Bifariam dicitur 8.105. quomodo in loco suo dicitur non grave ib. Gravitas quomodo dicatur privatio ibid. 17.33

Habitus
Quid significet in privantib. 20.3 Omnis habitus est aliquid attributum positivum 20.9

Homo
An sit agens liberum? 3.50. Hominem necessariò agere Stoici affirmant 3.81. Propter hominem an sint omnia 6.66 Etiam cælum 68 est nobilior cælo, ibid. Varii modi quibus alia sunt propter hominem 69 Hominis definitio hæc [Homo est animal rationale] an sit bona 30.136

Homonyma
Quid sint? 27.5 Eorum duo sunt genera, ib Ambigua alia sunt casu, alia consilio 17.6 Unde cognoscatur homonymia 17. & seqq.

I

Identicas
Dupliciter capitur 21.5 Identitas & diversitas est fundamentum comparationis 21.6 Identitatis enumeratio 21.7. & seq. Ambiguitas vocabuli, Idem 23.37

Ignis
Magis urit ignis in ferro, quam in pyro 3.143 An habeat liberum motum 38. & (61

Immediatio
Quotupliciter sit 3.171 (20

Impar
Scal. vult melius dici super par 22 An imparia rectè definiantur negative? 22. (23 Dividuntur in majora & minora, In alio esse Octomodis dicitur 8.19

Inanimata
(95 Inanimata sunt causæ univocæ 3.

Inæquale 19
Quomodo sit privatium 18.18. &

Incorruptibile
Incorruptibile nobilius est corruptibili 22.76. Incorruptibile etiam simpliciter, simpliciter nobilius

bilius est, 22.77

Indifferens.

Quid sit 6.34. An possit esse finis? 11.2

Individuum, individuationis.

An sit species specialissima 28.77. & seq. quomodo dicatur incommunicabile? 5.37. Praeterea bifariam 28.184. non potest definiri 30.34. Differentiæ earum non possunt definiri & nominari propriis nominibus 38.40

Inductio.

Quomodo semper fit a singularibus 30.41

Infames.

An iis competat liberum arbitrium? 3.56

Influxus.

Influxus ipsius esse, quo Deus conservat res secundas, potest motio Dei vocari 31.172

Ingenerabile.

Ingenerabile duplex est 22.71

Inhæsio.

Trifariam dicitur 8.66

Inspicuum.

Quotuplex sit? 20.52

Intellio.

Quid sit? 8.112

Interitus.

Interitui quomodo contrarius 16.6

Judæi.

Judæorum testimonium pro nostris Scripturis quanti faciendum 31.65

Intellectus.

Ubi plus est intellectus, ibi minus est fortunæ 3.75. quomodo per se versetur in solo vero 8.185

Internum.

Quot modis capiatur 2.21

L

Legio.

Legio quid 4.

Lex.

Lex non scripta est consuetudo 3.

Lex naturæ recte comprehendi sub divinæ testimonio 4.

Liberum arbitrium.

Quid sit? 3.45. Liberum arbitrium in tribus versari potest. 3.48. requirit tria differentia ad bonum & malum 6.22. In quo consistit libertas 3.52. Bifariam sumitur 3.49. Quæ libertati repugnant 3. Naturalibus agentibus non tollitur concursus Dei 3.

Locus.

Locus non est unus, sed multa subjectum loci 8.159. Naturale locatum, & in diversis non idem, 60. Locus est habitudo loco esse duplicem sensum habet

Locus Dialecticus.

Quid sit? 21. Ejus divisio 1.

Locus maximus quis sit

Locus differentia quando, 1.14. An loci pertineant ad Logicam 8. & seqq.

Logica.

Ejus perfectio cognitio quæ sit 9. In ejus terminis duo spectantur, 12. Eorum definitiones applicandæ rebus

Ejus partes possunt dici divina & humana natura 8.45

Imper-

Imperfectiones ait *Christ* partis remotionem fuisse, cum ea Christo usurpantur 4.17 *Hæc* indicare videntur, quid in eo ista non sint partes 1.47

Humana natura non est adjunctum *divinæ* 8.52

Caro quomodo dicitur, δὸχειον τῆς θεότητος 8.55 quomodo sit ejus vestis & velamen 58

Magnum

Non est contrarium parvo 17.30

Bifariam dicitur ibid.

Major

Unius consistat excessus majoris & defectus minoris 32.24

Malum

Quæ tale an possint esse finis 6.24

Malum ingratis habet naturam signi 7.38

Mas I

An mas producens fœminam sit causa univoca 3.93

Mas & fœmina non sunt diversæ species 3.169

Materiale

An recte dicatur pars essentialis. 7.58. 1.64. & seqq. Vide plura. Una causa materialis, una formalis dicitur esse una compositione 7.14

Media

An possint esse fines 6.35. quid sint & quotuplex eorum requisita 7.8. medium aliquando est finis 7.8. Duo media genera non possunt esse finis ib.

Metaphora

Dupliciter dicitur 30.120

Metaphysica

Quomodo aliquando egrediatur ex abstractione sua 1.112

Membrum

Ejus requisita quot sint 7.171 quid 28.20

Methodus

An sit terminum simplex 1.9

Minor

Est de iis cc. 22. 22.24

In quo consistat defectus minoris, Mors

Mors Christi privatio quomodo sit, & simul causa salutis nostræ 20.

Motus

Ejus doctrina non est Log. 7.12

Est adjunctum quid effectus 7.11

Non est causa 2.28. Convenit omnibus entibus 7.25 Bifariam sumitur 8.89. Quomodo sit proprium contrarii 8.161. Est inter contraria. 8.161. Omne mobile refertur ad immobile 3.18

Mulier

Quid sit? 17.30

N

Natura

Quid sit suapte natura inesse 27.8

Natura an prævaleat arti 22.31

Naturale

Multis dicitur modis 3.35

Necessarium

An detur locus a necessario 1.27

Necessitas hypothetica non excludit contingentiam 3.56

Negationes

Num possint esse genera 28. 64. seq. Duæ faciunt affirmationem 22.1. Negationes non possunt esse differentia, nec propria, nec accidentia 28.68. Negationes quomodo differant 20.13

Nigredo

Migredo
Non est vere privatio 20.50
Nobilius & 17.35
Nobilius est quod ineſt nobiliori, 2.55. *Nobilius est cujus forma est nobilior* 22.80. *Nobilitas entis semper est in comparatione duorum facta in aliquo tertio* 12.35. *Nobilitas entis potissima colligitur ex operationibus* 22.36
Nonens
An possit esse finis 6.39. *an possit esse subjectum vel adjunctum* 8.30
Quomodo sit objectum 33. *Non potest dividi* 29.32. *Non potest esse pars dividens* 29.33
Nomen, Notatio.
Nomen quid 24.5. *quot modis dicatur? Cujus disciplinæ sit agere de nominibus* 24.6. *nomina ad Phys. bifariàm pertinent*, ibid. *Nomina an sint argumenta* 24.8. *Nominis præcognitio quid*, 24.10. *Nominis cognitio confert ad rerum definitiones* 24.11. *Notatio quid sit?* 26. *th.* 3. *De nomine notationis & æquipollentibus* 26.2
De definitione notationis 26.5
Notationes ex quibus sumantur argumentis? 26.6. *An à sola formâ?* ibid. *An vera exempla haberi Notationis per contrarium possint?* 20.9. *Definitio nominis quid sit?* 26. *th.* 1
Can. notationis vide 26.20. *seqq.*
Nomina essentialia non possunt tribui personis divinis in plurali numero 3.35
Notationes Logicæ
An de notationibus Log. generaliter sit in Logicis docendum, 1.4. *an notatio Logica sit genus argumenti?* ibid. *Notationes Logicæ per respectum ad primas sumi definiendæ* 2.4
Notius
Bifariàm dicitur 30.12
Numerus
Ejus forma quomodo sit ultima unitas 5.73
G
Objectum
De eo multum 8.68. & 175. *an rectè referatur ab subjectum* 8.69. *ei solum convenit terminare, non etiam agere* 8.70. *objectis potentiarum sensitivarum competentia* ibid.
Est totale vel partiale 8.177. *Totale est pars objecti totalis*
Est objectum adæquationis, vel perfectionis: per se vel per accidens 184
Oxymoron.
Fit dupliciter 7.5
Operatio
Repugnantia operationum in homine à quo perveniat 5.44
Oppoſita, oppoſitio
De iis est toto cap. 14 *seqq.*
Aliter sumuntur in inventione, aliter in iudicio 12.1. *Oppositio est extremorum simplicium* ibid. *Ea aliter sumit* Aristoteles, *aliter* Ramus 2. *Possunt eidem attribui secundùm idem, ad idem, & eodem tempore* 7
Habent repugnantiam ad consentiendum, non ad coëxistendum in subiecto 12.27. *Rectè dividuntur in disparata & contraria* 28.

Non

Non possunt consentire 12.13
Sunt simul natura 30.38

Optabile

Quod per se optabile est, optabilius est eo, quod est optabile propter alterum 22.41

Oratio

Quid sit? 30.31. *dupliciter sumitur* 30.192

Ordo

Ordo universi non tollitur, licet non à cœlo provocetur omnes operationes inferiorum 3.149. *Non sumitur ex necessitate* 30.15

Origo

Origines posteriora sunt præsupposita prioribus 22.69

Idi Originale peccatum

Utrum sit privatio pura? 20.60 *seqq. an & quomodo conveniat ei definitio Porphyriana accidentis* 9.136

Orta argumenta

Orta quid? 24.ib. *quemplicia* ib.

Definitio explicatur 12.ead. 2

Differentia ortorum & testimonii 24.3

Os

Quid significet? 1.16. *Eius definitio* ibid.

P

Par

Ambiguitas paris 20.12. *Etym.* ib.

Paria

Quid sint? 23.6. *an paritas sit in sola quantitate?* 22.6. *Eorum exacta est convenientia* 22.7

Quod de uno parium affirmatur id etiam affirmatur de altero, & contra 22.18. *Paria & similia quomodo distinguantur* 23.17

Parabola

Quid sit? 28.66. *Parabola est species nodata ad genus docendi exotericum populumque* 24.54. *In parabolis non sensus unus spectandus considerandi* ib

Pars

Quid sit? 28.ib. *Pars in eius divisione* ib. *Eius ambiguitas* 29.7. *in partes dissimulares recte dicuntur sbeiale s* 28.49

Quæ pars sit principalis & quæ minus principalis 28.63

Quod convenit parti, convenit toti, 28.106. *Partes sunt propter totum* 28.107. *In partibus datur triplex ordo,* ib. *Pars non prædicatur de toto* 28.109. *Partes similares habent idem nomen, essentiam, & attributa* 28.46. *seq.* b *Partium propria communicantur toti* 8.132. *quæ prædicentur de toto, quæ non?* 134

Patres

Eorum testimonia non sunt infallibilia 31.16. *Nolunt ipsi sibi omnium tribui* 17. *Ipsi declinarunt objectiones prioribus patribus* 18 *aliquando erranum* 30.19. *Eorum doctrinam continuere aliquando dominium Pontificii* 31.20. *Consensus cum iis inducit verisimilitudinem* 21. *Quænam sint in Patrum allegatione observanda* 31.23. *Patrum supposititia scripta* 31.14

Per

Per est ambiguum 5.13

Perfectio

Perfectio duplex 2.18

Persona

Persona

An loci distinguantur in locos personarum 1.25

Planeta

An sit libera in agendo? 58,63

Πολυσ

Quid sit? 7.7

Potentia

An potentia peccandi sit formaliter à Deo 3.99

Potentiæ rationales non sunt per se ad contraria 3.158

Potentia passiva analogicè vocatur Materia 4.17

Quot modis res sit in potentia 4.18

Potentiarum naturalium actus ut mutabiles? 8.124

Positivum

An detur locus à positivo 2.30

Præscientia

Præscientia non affert rebus necessitatem 3.155

Quomodo præscita non possint non evenire 3.58

Principium

Principium duplex est 2.63. *non est latius causa, co. c.* 65. *non æquipollet etiam causa, eod.* 6.67.72

Privantia, privatio

An privantia sit relativa? 2.35

Privativum non est causa positivi 2.77

Privationes quomodo effectus 2.79 *quomodo adjuncta* 8.36. *sunt entia & non sunt* 14. 24. *privantia quid sint?* 20.1

Quomodo opponatur formæ? 16 *Axiomata* 15. *eorumque expositionem vide* 20.20. *seq.*

Definitur per habitum & subjectum 10.16

Proprium

De eo est tota c. 8. *n.* 72. *seq. quatuor modi* 73. *proprium quatuor modi omnes conditiones* ib. *An isti quatuor modi recte censeantur* 74. *Proprium est solutè, vel per comparationem* 76. *Unde soli quomodo conveniat* 79. *Secundi modi non est proprium absolutè* 18. *potest aliis convenire secundo* 82. *Ejus communicabilitas non tollit proprietatem* 83. *Cujus respectu sit proprium* 84. *Ejus subjectum primum liquando est evidens* [illegible]

Quomodo conveniat omni subjecto

Proprietatum duo genera

Quomodo semper conveniat?

Proprium non est prius suo subjecto semper inest 93. *quatenus primo conveniat?*

Propria non habent necessariò primariam causam

An separari possint à subjecto

Deum separare posse?

Non suscipiunt magis & minus 109. *Alia pendent ab essentia subjecti, alia non* 111, 112. *Proprium communicari latè est* 8. 125. *Proprio uno communicato non esse necesse ut communicentur cætera* 8.124

Probabile

An detur locus à probabili 1.17

Propter

Est ambiguum 7.6. *propter quot modis dicatur* 29

Propositio

Omnis propositio constat ex terminis

Pontifex
Ejus decreta non habent autoritatem infallibilem 31.32

Primum
Primum bifariam dicitur 17.32
Primitas causæ & subjecti 8.96

Prædicari
Quid sit prædicari per accidens 25.
Item 26 7
Quid sit 7.6

Q

Quantitas
Quantitas non impedit motum, sed promovet 3.26
In majori quanto major est virtus 3.146
Quantitas effectum proximus materiæ 4.18

Qualitas
An qualitates materiales adversæ simul esse possint? 17.52
Qualitates spirituales an simul sint? 17.53 & seqq.
An sint contrariæ 16. *cur simul sint possibiles* 58.46
Vocis qualitatis explicatio in definitione similium 23.6

Quidditas
Ejus essentia apprehensa sub pluribus conceptis 30.23. & 53

R

Rarefactio
Non fit per remissionem quantitatis 8.114

Ratio
Quid sit? 30.133

Receptivum
Quomodo sit nudum à re quam recipit 8.199
Quomodo non accipiat ad modum recipientis, sed suæ receptivitatis 194

Reciprocatio
Quatuor requirit 8.119

Regula
Regulæ Scripturam interpretandi 31.55. & seqq.

Relata
De iis est toto cap. 11 *Rectè docerî ea inter argumenta consentanea* 11.3 & *dissentanea ib. Differunt à relativè oppositis* 4. *Est inter ea mutuus respectus* 12. *sunt simul naturâ* 14. *Tempore* 15. *Sæpe simul ponunt & tollunt* 20. *Possunt definiri in concreto per genera absoluta* 15. & 30. 16. *Aliorum prædicamentorum* 28. 152 *unum quomodo sit causa alterius?* 17. *unum qui novit, quomodo novit alterum* 21. *mutuo se definiunt* 11. 21. *quomodo opponantur* 16.5

Relativè opposita
Quid sint 18. *th.* 1
Vocis ambiguitas 18.1
Relata & relativè opposita, quomodo capiantur? 18.6
Definitionis Relat. declaratio 18.7 & seqq.
Quomodo unum eorum alteri opponatur? ibid.
In relativè oppositis non datur medium 18.12.
Relativè oppositorum uno posito non statim tollitur alterum quoad nomen 18.15.16

Relatio
Est generalis affectio omnium argumentorum 11.6. *Prædicamentalis non est inter habitum, & illius actum sive objectum* 19
Realis & rationis an conveniant univocè 16.21. *Realis requirit subjectum*

subiectum reale ibid

Repugnantia

Alii faciunt peculiarem speciem dissentaneorum 12,15. *at non sunt* 23. *Repugnantia comprehendi sub disparatis* ibid.

Sunt idem quod opposita 24

Repugnantia duo requirit 17,56

Res

Una eademque pro diverso considerandi modo ad varias potest pertinere disciplinas 2,6

Habens differentias, duo habet 28

S

[illegible] 17

Sacramentum

Altaris an recte definitum a Lutherо 30,11. *In sacramentis vocabula substantiarum quamdiu significant actiones* 114

Scientia, & Scibile

Subjectum debet habere affectiones 39,42. *hæ tamen non sunt realiter distinctæ ab ipso necessario* ib *an sit simul cum scientia* 11,18

Scopus

Quid? 7,5. *quomodo differat a fine*

Scriptura (ib

Scripturæ testimonia firma 50,51

Etiam ea quæ per consequentiam deducuntur 52. *In vero sensu est Scriptura* 53. *Illa sumi debet ex originali lingua* 54

Non debet contrariari aliis Scripturis 55

Eam interpretandi regulæ ibid

Sensus, Sensibilia

Sensibile duplex est 20,51

Sensus multis modis errare possunt 31,48. *an sit simul cum sensu* 11. 18. *Non sunt relata prædicamentaliter* 19

Semper

Quid sit

Separatio

Duplex est 8

Omnis duplex

Simplex

Simplicitas quomodo indicet mobilitatem 22

Similitudinem

Vox similis declinatio 23,1. *Genus similium* 23,5. *In qua re similitudo* 23,9. *Similitudinem pertinere posse ad substantiam, quantitatem* 11, *Similitudo in qualitate* 23,13. *Similitudinis in gradus* 23,14. *Similitudo est relationale* 23,

In actione & passione 16. *an & quomodo differant similitudo & paritas* 23. *An simile dicatur relative mutua?* 23, 15. *Similitudo mutat rei similis conditionem* 44. *Similitudo est inter res eiusdem generis* 23,

Simul

Naturâ quæ sint 11,15 *ea sunt etiam simul tempore*

Signo non est attribuendus peculiaris locus

Singulare

Facilius definitur quam universale 30,43. *Quomodo incommunicabile* 163. *Prædicatus duplici*

Somnia

Aliqua à Deo sunt 31,43. *Somnia civis cuiusdam* ibid. *iis primo non est credendum*

Species

Quomodo capiatur? 28,57. *quid sit species subalterna & specialissima?* 28,75. *Species dupliciter sumuntur*

mutatur 28,79. *Cuique speciei unum convenit genus* 21,145. *Species interdum cognoscitur ante genus, & id ob duplicem causam* 21 142. *Nulla species debet habere conditiones repugnantes generi, eiusq; proprietatibus* 28,164. *speciei correlatum non est adiunctum* 8.8 *nec alterius speciei* 15.10. *Species infima quid?* 15,183. *De nulla reipsa prædicatur essentiali* ib. *Species diversa necesse est, in eodem genere esse* 28, 181. *inordinatione specierum habetur respectus* 2,19. *solas perfectè definiri*

Status 30,seqq.

Status hominis sunt quatuor 3, 50

Subiectum

De eo est toto c. 8. *Eius varia significata* 8,2. *An subiectum sit peculiaris locus dialecticus* 8,6. *Non potest referri ad totum* 7. *Vel speciem* 8. *In subiecto esse bifariam dicitur* 17 *Requirit tres conditiones* 20. *Eius definitio declaratur* 22. *Non est in adiuncto* 55. *Subiecti divisiones* 8. 65. *Inhasionis subiectum* 66. *Subiectum originis quid dicatur?* 160. *Prius est adiuncto* 184. *Non prædicatur de adiuncto quidditativè, seq.*

Syllogismus

Est simplex ratione vocis, non rationerei 1.9

Syncategorematica

Quid sint? 1,169. *Non debent poni in definitione* ibid.

T

Tempus

Non est causa 2,28. *An sit adiunctum rerum temporalium* 8,63

Est extrinsecum vel intrinsecum ib. *Eius doctrina an pertineat ad Logicam* 8. 64. *temporis differentiæ* 8,42

Testimonium

An sit terminus simplex 1,8. *De eo est toto c.* 31. *differt ab autoritate* 31,2. *quomodo dicatur inartificiale?* 3. *assumptum* 4. *eius definitio* 6. *an rectè dicatur argumentū* 31,7. *quid divinum & humanū* ib. *Dei testimonium an argnat assumpta vi* 31,19. *A testimoniorū sacrorum sensum eruendum regulæ* 31,15 *Conciliorum* 28. *Pontificum* 32. *Traditionum* 34. *Apparitionum* 41

Testimonium humanum

Inclinant non necessitant 31,62. *adversarii contra ipsum firma sunt* 63. *Vetus novo dignius* 66. *humanum habet auvritatem à teste* 62. *domesticum in vituperium suorum magni faciendum* 71. *humanum non valet contra rationem* 74. *humanum cepit divino* 75. *ceremoniale morali* 76. *recentius ejusdem autoris veteri* 78. *populare accurato* 78. *Eo utimur affirmativè & negativè quomodo* 80

Tenebræ

Bifariam sumitur 20.37

Terra

Quid sit mobilis probatur 8.89

Traditiones

Quid sint? 31.34. *non sunt divina testimonia* 35. *Multæ falsæ traditiones* 36

Transcendentia

Non possunt perfectè definiri 30,32

Transumptio

Quid

Quid sit? 26. *th.* 3. *Locus eius necessarius* 16. 33. *rectè annectitur notationi* ibid. 34. *Quomodo differant notatio & transumptio* 26 35. *Non est solùm in voce simplici, sed etiam in phrasi.* 26. 36

Totum

Quid sit? 28. *th.* 3. *uariæ eius diuisiones enumerantur* ibid. *th. seqq. Eius ambiguitas declaratur* 28. 6 *Definitio Eius enunciatur* 28. 8. *an à partibus realiter differat?* 5. 21. *Totum essentiale quomodo differat ab integrali* 6. 28. 9. *Totum essentiale duplex* 28. 10. *an quod est totum Metaphysicum, sit etiam Physicum?* 28. 22

Integrũ ambiguè dicitur 28. 27. 28

Quod sit totum similare & dissimilare 28. 33

Ex quo aliquid cognosci possit an sit similare, an dissimilare 28. 35. *seqq.*

Totum dissimilare est indiuisibile in partes diuersæ essentiæ numerali 25. 44

Totum dissimulare est diuisibile in partes diuersæ essentiæ 16. 45

Totum integrale est duplex, per se, & per accidens 21. 51

Gradus totius per accidens quot sint? 28. 52

An dissimilare totum sit per accidens 28. 53

An detur totum perfectionale 28. 97

An detur totum potestatiuum 28 98

An detur totum numerale? 28. 96

An detur totum individuale? 2 100

Quid totum secundarium ibi

Partes sunt priores toto 28. 20

Totum universale prius est suis partibus ibid.

Totum & partes sunt eiusdem prædicamenti 28. 10

Omne totum continet partes 2 10

Omne totum est aliquo modo multum 28. 11

Totum quod perfectum est, est optimis 28. 11

V

Verum

Verum & falsum an sint contraria 17. 1

Vinum

Frigidum & calidum 14 12. *quomodo?* 1

Virtus

Virtus unita est fortior diffusa 14

Voluntas

Impropriè brutis attribuitur 3. *volitio Dei terminatur intra se substantialiter* 3. 206. *quomodo versatur in solo bono* 8. 18

Usus

An detur locus ab usibus? 1. 3

Vox

Significat essentiam & substantiam 30. 27

Umbra

Non est priuatio 16. 7

Utile

Quid sit? 6. 36

FINIS.

BIBLIOTHECA BODLEIANA
DOMINATIO ILLIMEA